ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

DE

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

VERITATE FUNDAMENTALI

PHILOSOPHIAE CHRISTIANAE

Quae per leges iura sunt scriptoribus
ea sibi auctor reservat.

FR. N. DEL PRADO, O. P.

IN UNIVERSITATE FRIBURGENSI APUD HELVETIOS PROFESSOR

DE

VERITATE FUNDAMENTALI

PHILOSOPHIAE CHRISTIANAE

« Philosophicas conclusiones Angelicus Doctor speculatus est in rerum rationibus et principiis, quae quam latissime patent, et infinitarum fere veritatum semina suo veluti gremio concludunt. »
(LEO XIII., *Aeterni Patris.*)

« Magistros autem monemus, ut rite hoc teneant, Aquinatem vel parum deserere, praesertim in re Metaphysica, non sine magno detrimento esse. *Parvus error in principio,* sic verbis ipsius Aquinatis licet uti, *est magnus in fine.* »
(PIUS X., *Pascendi,* ac *Sacrorum Antistitum.*)

FRIBURGI HELVETIORUM

EX TYPIS CONSOCIATIONIS SANCTI PAULI

1911

LICENTIA ORDINIS

Opus « *De Veritate fundamentali Philosophiae Christianae* » a R. P. N. DEL PRADO conscriptum, dignum iudicamus quod evulgetur.

Friburgi Helvet., die 25. Iunii 1911.

FR. H. A. MONTAGNE, O. P.
S. Theol. Mag.

FR. J. DE LANGEN-WENDELS, O. P.
S. Theol. Mag.

Attenta approbatione quae supra, permittimus ut opus de quo, agit, typis detur.

Friburgi, 25. Junii 1911.

Loco † Sigilli.

FR. HYACINTHUS-M^A^ CORMIER,
Generalis Magister Ordinis Praedicatorum.

LICENTIA ORDINARII

IMPRIMATUR :

Friburgi, die 29 Junii 1911.

Loco † Sigilli.

L. CURRAT,
Vicarius Generalis.

INTRODUCTIO

I

Philosophiae Primae subiectum, ac dignitas, et necessitas, atque utilitas, eiusdemque a Sacra Theologia distinctio.

Philosophiae Primae subiectum est ens, in quantum ens. — Tritum quidem est ac celebre illud Boëtii effatum, cum de rerum corporalium cognitione agitur, videlicet : *Singulare, dum sentitur ; universale vero, dum intelligitur ;* seu aliis verbis : *Sensus est singularium, intellectus vero universalium.* Ex quo patet, quod obiecto speculativae scientiae, prout est speculabile, per se competit separatio et a materia et a motu ; quia nihil cadit sub speculatione intellectus nisi quatenus aliquo modo sit *immateriale ac necessarium.* Scientia enim de necessariis est ; atque immaterialitas est radix tam intelligentiae cognoscentis quam intelligibilitatis rerum cognoscibilium. Quamobrem, secundum ordinem remotionis a materia et a motu, scientiae speculativae veniunt proprie ac formaliter distinguendae. Inde tria speculativarum scientiarum genera convenienter distinguuntur, nimirum : scientiarum *physicarum,* quae abstrahunt tantummodo a conditionibus individualibus materiae sive a sola materia singulari ; scientiarum *mathematicarum,* quae abstrahunt a materia singulari et a materia sensibili ; et *Metaphysicae,* quae abstrahit ab omni prorsus materia, et transcendens universa corporalia, illa tamquam subiectum proprium speculatur quae non depen-

dent a materia secundum *esse*, vel quia sine materia esse possunt, vel etiam quia ab omni materia sunt realiter separata. Unde scientiae physicae considerant *ens mobile* ac *sensibile;* mathematicae vero, *ens quantum;* metaphysica denique, ens simpliciter, ens sub ratione entis, seu *ens in quantum ens*. Quamvis autem haec superior scientia ut subiectum proprium non consideret nisi *ens commune*, ad illam tamen pertinet etiam considerare substantias a materia separatas, quatenus praedictae substantiae sunt communes et universales et primae causae essendi. Etenim eiusdem scientiae est considerare causas alicuius generis et genus ipsum. Ideo ad scientiam, cuius subiectum proprium est ens commune, pertinet considerare non modo rationes universales *entis*, *unius*, *veri*, *boni*, *potentiae* et *actus*, *causae* et *effectus*, *substantiae* et *accidentis*, et alia huiusmodi quae, tametsi in materia sint, possunt tamen sine materia esse ; verum etiam illa quae numquam in materia esse possunt, ut *substantiae intellectuales*, et ipse *Deus*. — Philosophia itaque Prima considerat omnia sub ratione universalissima entis, atque ipsius entis quaerit proinde proprietates et causas ; idcirco finis, ad quem consideratio Philosophiae Primae pertingere debet, est cognitio Causae omnium quae sunt, quatenus sunt seu per diversos gradus participant *esse*. Nihil excipitur a consideratione huius supremae scientiae, eo ipso quod nihil quod *est* aut *esse* potest, excluditur a participatione entis. Unde Metaphysica est scientia *Primi Entis* et *entis communis*, scientia de primis substantiis et de universalibus, scientia rerum omnium, etiam materialium et corporalium, sub ratione *entis*. Quapropter Metaphysica considerat quoque de singulis entibus non secundum proprias rationes per quas sunt tale vel tale ens, sed secundum quod participant entis rationem ; et sic etiam, ut profunde observat D. Thomas, pertinet ad eius considerationem *materia* et *motus*. — Ex his tribus (concludit Angelicus Doctor) circa quae versatur, videlicet circa primas causas, et circa maxime universalia seu transcendentia, et circa substantias a materia separatas, perfectio huius altissimae scientiae attenditur, atque tria perinde nomina sortitur. Dicitur enim *scientia divina* seu *Theologia*, in quantum ad considerationem ipsius Dei attingit ; *Metaphysica*, in quantum considerat ens et ea quae consequuntur ipsum, eo

quod trans physica inveniuntur in via resolutionis ; et *Prima Philosophia*, in quantum considerat primas rerum causas [1].

Philosophia Prima est omnium scientiarum rectrix, princeps et domina. — Illa namque inter cunctas humanas disciplinas debet esse naturaliter aliarum regulatrix, quae maxime intellectualis est, atque proinde est maxima inter diversa genera scientiarum ; quia quod est maxime tale in unoquoque genere, est causa ceterorum quae in illo genere sunt. — Metaphysicam vero esse maxime intellectualem et circa maxime intelligibilia versari, triplici ratione ab Angelico Doctore [2] sic ostenditur :

a) *Ex ordine intelligendi.* — Ex quibus enim intellectus noster certitudinem accipit, videntur esse intelligibilia magis. Unde, cum certitudo scientiae per intellectum acquiratur *ex causis*, causarum cognitio maxime intellectualis esse videtur. Unde et illa scientia, quae *primas causas* considerat, videtur esse maxime aliarum regulatrix.

b) *Ex comparatione intellectus ad sensum.* — Etenim cum sensus sit cognitio *particularium*, intellectus per hoc ab ipso differre videtur, quod *universalia* comprehendit. Unde et illa scientia maxime est intellectualis, quae circa principia maxime universalia versatur. Quae quidem sunt *ens* et *ea* quae consequuntur ens, ut *unum* et *multa*, *potentia* et *actus*. Huiusmodi autem non debent omnino indeterminata remanere, cum sine his completa cognitio de his, quae sunt propria alicui generi vel speciei, haberi non possit. — Nec iterum in una aliqua particulari scientia tractari debent ; quia, cum his unumquodque genus entium ad sui cognitionem indigeat, pari ratione in qualibet particulari scientia tractarentur. Unde restat, quod in una communi scientia huiusmodi tractentur : quae, cum maxime intellectualis sit, est aliarum regulatrix.

c) *Ex ipsa cognitione intellectus.* — Nam cum unaquaeque res ex hoc ipso vim intellectivam habeat, quod est a materia immunis, oportet illa esse maxime intelligibilia, quae sunt

[1] D. Thomas, in Prooemio *In XII Libros Metaphys. Arist.* — *In Boetii lib. de Trinit.* q. 5. a. 1. et a. 4. ad 6.

[2] Prooem. *In XII lib. Metaph.*

maxime a materia separata. *Intelligibile* enim et *intellectum* oportet proportionata esse, cum intellectus et intelligibile in actu sint *unum*. Ea vero sunt maxime a materia separata, quae non tantum a signata seu individuali materia abstrahunt, sicut formae naturales in universali acceptae, de quibus tractat *scientia naturalis*, sed omnino a materia sensibili. Et non solum secundum rationem, sicut *Mathematica;* sed etiam secundum *esse*, sicut *Deus* et *intelligentiae* sive immateriales substantiae. Unde scientia, quae de istis rebus considerat, maxime videtur esse intellectualis et aliarum princeps sive domina.

In ordinata ergo humanarum scientiarum hierarchia, Metaphysica supremum occupat principatum ; quia si omnis vera scientia est de universalibus, Metaphysica est de universalioribus, imo etiam de transcendentibus. Metaphysica regit ac tenet imperium ; quia si omnis scientia est cognitio rerum per causas, Metaphysica est cognitio rerum per causas superiores et attingit usque ad causam omnium causarum cognoscendam. Metaphysica denique omnibus aliis scientiis praeest ac dominatur ; quia si omnis scientia abstrahit aliquo modo a materia et motu, Metaphysica, transcendens omnia mutabilia et corporalia, tractat quoque de his quae, cum sint separata secundum *esse* ab omni prorsus materia, sunt aeterna et immutabilia et necessaria in essendo. Unde *Philosophia Prima* iure meritoque nominatur.

Omnes scientiae, sive considerentur in ordine logico sive in ordine reali ex parte obiecti, veniunt in suo processu quodammodo resolvendae in Philosophiam Primam. — *a*) *Ordo logicus*. — Ordo siquidem logicus est ordo principiorum cognitionis humanae ; atque per hanc viam omnis processus rationis incipit quodammodo a Philosophia Prima, et in Philosophiam Primam pervenit tamquam in terminum resolutionis. Ideae primariae, nostrarum cognitionum directrices, et quae necessario praesupponuntur ad ipsummet initialem rationis usum, sunt notiones universalissimae entis eorumque quae ad ens consequuntur. Ac pariter omnia, tam speculativae quam practicae rationis principia, fundantur supra principia Philosophiae Primae. Quapropter recte dici potest, quod Metaphysica praebet veluti initium in exercitio rationis, simul atque constituit postremam eiusdem rationis

perfectionem ac coronam. Unde D. Thomas, I.-II. q. 94. a. 2. : « In his autem qui in apprehensione hominum cadunt, quidam ordo invenitur. Nam illud quod primo cadit sub apprehensione, est *ens*, cuius intellectus includitur in omnibus quaecumque quis apprehendit. Et ideo primum principium indemonstrabile est, quod non est simul affirmare et negare quod fundatur supra rationem entis et non entis ; et super hoc principio omnia alia fundantur, ut dicit Philosophus, *IV. Metaph.* Sicut autem *ens* est primum quod cadit in apprehensione simpliciter, ita *bonum* est primum quod cadit in apprehensione practicae rationis, quae ordinatur ad opus. Omne enim agens agit propter finem, qui habet rationem boni. Et ideo primum principium in ratione practica est, quod fundatur supra rationem boni ; quae est : *Bonum est quod omnia appetunt.* Hoc est ergo primum praeceptum legis, quod bonum est faciendum et prosequendum, et malum vitandum ; et super hoc fundantur omnia praecepta legis naturae, ut sc. omnia illa facienda et vitanda pertineant ad praecepta legis naturae, quae ratio practica naturaliter apprehendit esse bona humana. » Et *In Boëtii lib. de Trinit.* q. 6. a. 1. : « Quandoque vero proceditur de uno in aliud secundum rationem, ut quando est processus secundum causas intrinsecas ; componendo quidem, quando a formis maxime universalibus in magis particularia proceditur ; resolvendo autem, quando e converso, eo quod universalius est simplicius. Maxime autem universalia sunt, quae sunt communia omnibus entibus ; et ideo terminus resolutionis in hac via est consideratio *entis* et eorum quae sunt entis in quantum huiusmodi. »

b) *Ordo realis.* — Ordo vero realis, qui se habet ex parte ipsius obiecti scientiarum, est ordo ontologicus rerum, dum per effectus inquirimus causas. Scientia enim est cognitio rerum per causas ; et omnis scientia, quaerens causas sui proprii subiecti, conatur pervenire ad *id* quod est *ultimum* in hoc vel illo genere cognoscibilium. Id autem quod est ultimum in unoquoque genere scibilium, multiplicatur iuxta diversa scibilium genera ; ideo sunt diversi habitus scientiarum. Verum *id* quod est *ultimum* respectu totius humanae cognitionis, est tantummodo *unum ;* et in processu effectuum et causarum, ad unam tantum supremam oportet finaliter devenire causam ; ideoque, licet scientiae sint multae, sa-

pientia tamen non est nisi una. Unde D. Thomas, *In Boëtii lib. de Trinit.* q. 6. a. 1. : « Tota autem rationis consideratio, resolventis in omnibus scientiis, ad cognitionem divinae scientiae terminatur. Quandoque enim ratio procedit de uno in aliud secundum rem, ut quando est demonstratio per causas vel per effectus extrinsecos ; componendo quidem, proceditur a causis ad effectus ; resolvendo autem, quando e converso ab effectibus ad causas, eo quod causae sunt effectibus simpliciores et magis immobiliter et uniformiter permanentes. Ultimus igitur terminus resolutionis in hac via est, cum pervenitur ad causas supremas maxime simplices, quae sunt substantiae separatae... Haec autem sunt, de quibus divina scientia considerat, ut supra dictum est, substantiae sc. separatae et communia omnibus entibus. Unde patet, quod sua consideratio est maxime intellectualis. Et inde etiam est, quod ipsa largitur principia omnibus scientiis, in quantum intellectualis consideratio est principium rationalis, propter quod dicitur *Prima Philosophia ;* et nihilominus ipsa addiscitur post Physicam et ceteras scientias, in quantum *intellectualis* consideratio est terminus *rationalis* [1] ; propter quod dicitur *Metaphysica,* quasi transphysica ; quia post Physicam resolvendo occurrit. »

A Philosophia Prima omnes scientiae accipiunt lucem, ordinem et quandam supremam unitatem. — Est enim Philosophia Prima, ut ex dictis constat, quasi ratio suprema, scientias alias ordinans ac regulans, sive principia cognitionis sive principia rerum considerentur. Ex praestantia atque amplitudine subiecti Metaphysicae, cunctae quidem humanae disciplinae unitatem quandam adipiscuntur ; atque ex cognitione communium, quae in Metaphysica dilucidantur, dependet clara cognitio rerum propriarum quae ad scientias particulares spectant. Sic se habent ad Metaphysicam scien-

[1] D. Thomas vocat considerationem Philosophiae Primae *intellectualem ;* et considerationem aliarum scientiarum, *rationalem ;* quam quidem differentiam explicat Angelicus Doctor ibidem in responsione ad 1^um^, dicens : « *Intellectualiter* procedere non attribuitur scientiae divinae (Metaphysicae seu Philosophiae Primae), quasi non ipsa ratiocinetur, procedendo de principiis ad conclusiones ; sed quia eius *ratiocinatio* est intellectuali considerationi *propinquissima,* et conclusiones eius *principiis.* »

tiae particulares, sicut diversi arboris rami in unum truncum coëuntes. Ut ergo multiplices unius arboris rami in uno trunco coniunguntur, sic diversae scientiae partitiones in Philosophia Prima, veluti in suae unitatis centro, et principium et finem inveniunt. Atque similiter, sicut ex radicibus eiusdem trunci, ex quo pullulant, ipsi rami nutriuntur ac florescunt, ita ex Philosophia Prima, quae caput scientiarum est, accipiunt robur principiorum claramque definitionem sui proprii subiecti inferiores scientiae, quarum obiecta sunt determinationes entis communis, et quarum axiomata pendent quodammodo ac derivantur ex principiis immediate evidentibus ipsius Metaphysicae, eo ipso quod est fundamentum, mensura ac veluti prima regula aliarum scientiarum. Quod quidem manifestum fit :

a) Ex amplitudine subiecti Philosophiae Primae. — Ita D. Thomas, *IV. Metaph.* lect. 1. : « Necessitas autem huius scientiae, quae speculatur *ens* et per se accidentia entis, ex hoc apparet, quia huiusmodi non debent ignota remanere, cum ex eis aliorum dependeat cognitio ; sicut ex cognitione communium dependet cognitio rerum propriarum... Nulla scientia particularis considerat *ens universale* in quantum huiusmodi, sed solum aliquam partem entis divisam ab aliis ; circa quam speculatur per se accidens, sicut scientiae mathematicae aliquod ens speculantur, sc. *ens quantum.* Scientia autem communis considerat ens universale secundum quod *ens.* Ergo non est eadem alicui scientiarum particularium. Ista scientia, quae prae manibus habetur, habet ens pro subiecto. Omne enim principium est per se principium et causa alicuius naturae. Sed nos quaerimus prima rerum principia et altissimas causas ; ergo sunt per se causae alicuius naturae. Sed nonnisi *entis.* Quod ex hoc patet, quia omnes philosophi, elementa quaerentes secundum quod sunt *entia*, quaerebant huiusmodi principia, sc. prima et altissima. Ergo in hac scientia nos quaerimus principia entis in quantum est ens. Ergo *ens* est subiectum huius scientiae ; quia quaelibet scientia est quaerens causas proprias sui subiecti. » Et *VII. Metaph.* lect. 11. : « Prima enim Philosophia est de primis substantiis, quae sunt substantiae immateriales, de quibus speculatur, non solum in quantum sunt *substantiae*, sed in quantum substantiae *tales*, in quantum sc. *immateriales ;* sed de sensibilibus substantiis, in quantum sunt

substantiae, aut etiam *entia*, vel in quantum per eas manuducimur in cognitionem substantiarum immaterialium. Physicus vero, e converso, determinat de substantiis materialibus, non in quantum sunt *substantiae*, sed in quantum *materiales* et habentes in se principium *motus*. » *IX. Metaph.* lect. 7. : « Eadem enim scientia quae est de primis entibus, et quae est universalis. Nam prima entia sunt principia aliorum. »

b) *Ex hoc quod omnes scientiae uniuntur in consideratione unius et entis.* — Ita D. Thomas, *IV. Metaph.* lect. 1. : « Partes philosophiae distinguuntur secundum partes *entis* et *unius;* et dicit (Philosophus) quod tot sunt partes philosophiae, quot sunt partes *substantiae*, de qua dicitur principaliter *ens* et *unum*, et de qua principalis huius scientiae consideratio et intentio. Et quia partes substantiae sunt ordinatae ad invicem ; nam substantia immaterialis est prior substantia sensibili naturaliter : ideo necesse est inter partes philosophiae esse quandam primam. Illa tamen quae est de *substantia sensibili*, est prima ordine doctrinae ; quia a notioribus nobis oportet incipere disciplinam. Illa vero quae est de *substantia immateriali*, est prior dignitate et intentione huius scientiae. Et tamen quaecumque sunt prima, necesse est quod sint *continua* aliis partibus ; quia omnes partes habent pro genere *unum* et *ens*. Unde in consideratione *unius* et *entis* diversae partes huius scientiae uniuntur, quamvis sint de diversis partibus substantiae ; ut sic sit una scientia, in quantum partes praedictae sunt consequentes *unum* et *ens*, sicut communia substantiae. Et in hoc philosophus est similis mathematico. Nam mathematica habet diversas partes, et quandam principaliter sicut arithmeticam, et quandam secundario sicut geometriam ; et alia consequenter se habent his, sicut perspectiva, astrologia et musica. »

c) *Ex hoc quod Philosophia Prima considerat finem universalem omnium.* — Ita D. Thomas, *I. Metaph.* lect. 1. : « Haec conditio est eiusdem scientiae, quae sc. est considerativa primarum causarum ; quia videlicet ipse finis, qui est bonum et cuius causa fiunt alia, est una de numero causarum. Unde scientia quae considerat primas et universales causas, oportet etiam quod consideret universalem finem omnium, quod est *Optimum* in tota natura. » — Atque per hanc viam ipsa

scientia morum coniungitur Philosophiae Primae. Quod profecto Aristoteles indicavit et D. Thomas declaravit *I. Ethic.* lect. 15., dicens : « Manifestum est enim, quod ad altiorem finem aliquid perducitur ab altiori virtute, sicut ad altiorem finem perducit ars militaris quam frenefactiva. Unde rationabile est, quod ultimus finis, sc. felicitas, proveniat homini ex suprema omnium virtute, sc. Dei Summi. Quod autem a substantiis separatis aliquid detur hominibus, evidens fit ex ipsa convenientia hominum ad substantias separatas secundum intellectualem virtutem. Sicut enim corpora inferiora recipiunt suas perfectiones a corporibus superioribus, ita intellectus inferiores ab intellectibus superioribus. Circa hoc autem non diutius moratur (Philosophus), sed hoc dicit magis proprium alterius perscrutationis, sc. Metaphysicae. » Hanc porro generalem subordinationem reliquarum scientiarum ad Philosophiam Primam sic quoque ostendit Angelicus Doctor, *III. C. Gent.* cap. 25. : « Ordinantur igitur artes practicae ad speculativas, et similiter omnis humana operatio ad speculationem intellectus, sicut ad finem. In omnibus autem scientiis et artibus ordinatis, ad illam videtur pertinere ultimus finis, quae est praeceptiva et architectonica aliarum ; sicut ars gubernatoria, ad quam pertinet finis navis, qui est usus ipsius, est architectonica et praeceptiva respectu navifactivae. Hoc autem modo se habet Philosophia Prima ad alias scientias speculativas ; nam ab ipsa omnes aliae dependent, utpote ab ipsa accipientes sua principia et directionem contra negantes principia ; ipsaque Prima Philosophia tota ordinatur ad Dei cognitionem, sicut ad ultimum finem ; unde et *scientia divina* nominatur. Est ergo cognitio divina finis ultimus omnis humanae cognitionis et operationis. »

Philosophiae Primae conditiones seu qualitates. — Ut Aristoteles indicat et D. Thomas declarat *I. Metaph.* lect. 2., Philosophia Prima dicitur : *a*) *Prima in dignitate et ultima in addiscendo.* — Quia versatur et circa universalia et circa immaterialia. Circa universalia quidem, tam in causando quam in praedicando. Universalia autem in causando sunt posterius nota quoad nos, licet sint prius nota secundum naturam ; universalia vero per praedicationem, quamvis sint aliquo modo prius quoad nos nota quam minus universalia,

non tamen prius nota quam singularia ; nam cognitio sensus, qui est cognoscitivus singularium, in nobis praecedit cognitionem intellectivam quae est universalium. Unde quantum ad investigationem prius sunt nota minus communia quam generalia ; prius causae particulares, quae sunt unius generis vel speciei, quam causae universales ; prius materialia quam immaterialia. Illa enim quae sunt a materia penitus separata secundum *esse*, sicut substantiae immateriales, sunt magis difficiles nobis ad cognoscendum quam etiam universalia ; et ideo ista scientia, quae *sapientia* dicitur, quamvis sit prima in dignitate, est tamen ultima in addiscendo.

b) *Maxime doctrix.* — Eo quod maxime considerat causas. Illi enim soli docent, qui causas de singulis dicunt ; quia scire per causas est, et docere est scientiam in aliquo causare. Sed illa scientia quae universalia considerat, causas primas omnium causarum considerat. Unde patet, quod ipsa est maxime doctrix.

c) *Libera inter scientias.* — Nam Philosophia Prima est circa altissimas causas ; et inter causas altissimas etiam est finalis causa. Unde oportet, quod haec scientia consideret ultimum et universalem finem omnium. Et sic omnes aliae scientiae in eam ordinantur sicut in finem. Unde Philosophia Prima maxime propter se est ; et ipsa sola libera inter scientias ; et quia de maxime scibilibus, ideo maxime sui gratia desideratur.

d) *Scientia honorabilissima.* — Quia cum haec scientia sit de primis causis et principiis, oportet quod sit de Deo ; quia Deus hoc modo intelligitur ab omnibus ut de numero causarum existens et ut quoddam principium rerum. Aliae scientiae sunt necessariae, magis quam Metaphysica, ad aliquam vitae utilitatem ; sed nulla aliarum dignior Metaphysica potest esse. Metaphysica enim propter se quaeritur ; sola inter scientias propter se est ; et utpote scientia maxime divina, est omnium scientiarum honorabilissima, sicut etiam Deus honorabilior est rebus omnibus.

e) *Scientia propria Dei.* — Nam, ut Angelicus Doctor ibid. scribit, « talem scientiam, quae est de Deo et de primis causis, aut solus Deus habet, aut si non solus, ipse tamen maxime habet. Solus quidem habet secundum perfectam comprehensionem. Maxime vero habet, in quantum suo modo etiam

ab hominibus habetur, licet ab eis non ut *possessio* habeatur, sed sicut aliquid ab eo *mutuatum*. Ad eam perfecte homo pervenire non potest. Illud tamen modicum, quod ex ea habetur, praeponderat omnibus quae per alias scientias cognoscuntur. Erit ergo finis huius scientiae, in quem proficere debemus, ut causas cognoscentes non admiremur de earum effectibus. Patet igitur ex praedictis, quae sit natura huius scientiae : quia est *speculativa, libera, non humana*, sed *divina*. »

Theologia tamen quae pars philosophiae ponitur, differt secundum genus a theologia quae ad sacram doctrinam pertinet. — Etenim diversa ratio cognoscibilis diversitatem scientiarum inducit. Inter utramque autem theologiam eadem interest differentia, qua discernitur duplex ordo cognitionis, naturalis videlicet ac supernaturalis. Distinguuntur itaque non solum *principio*, sed *obiecto* etiam. *Principio* quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscere incipimus ; *obiecto* autem, quia praeter ea ad quae naturalis ratio pertingere valet, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae nisi revelata divinitus innotescere non possunt. — Theologia quae Metaphysica dicitur, considerat res divinas non tamquam *subiectum* scientiae, sed tamquam *principium* sui subiecti ; theologia vero quae Sacra Doctrina dicitur, considerat res divinas propter seipsas, ut *subiectum* scientiae. — Philosophus assurgit ad conspiciendum invisibilia Dei, sempiternam quoque eius virtutem ac divinitatem, per ea quae facta sunt, a creatura mundi ; theologus vero descendit ad considerationem creaturarum ex ipsamet contemplatione Dei Creatoris qui habitat lucem inaccessibilem. — *Deum esse*, prout cadit in consideratione philosophi, constituit *praeambulum* ad articulos fidei ; sed *Deum esse*, prout cadit in consideratione theologi, constituit *primum credibile*, in quo omnia alia credibilia virtualiter continentur. — In theologia quae pars philosophiae ponitur, omnia tractantur sub *ratione entis* ; in theologia vero quae ad Sacram Doctrinam pertinet, omnia tractantur sub *ratione Dei*. — Theologia quae ad Philosophiam Primam pertinet, est de altissimis principiis ; theologia vero quae pertinet ad Sacram Doctrinam, non solum *de* altissimis, sed etiam *ex* altissimis est. — Unde Philosophia

Prima caput est omnium scientiarum, regulans omnes alias, utpote sapientia inter cunctas humanas disciplinas lumine naturalis rationis acquisitas ; Theologia vero Sacra maxime sapientia est inter omnes sapientias humanas, non quidem in aliquo genere tantum, sed simpliciter. Est enim altior illâ divinâ quam philosophi tradiderunt, cum ex altioribus principiis procedat [1].

II

Philosophiae D. Thomae conditiones atque excellentiae.

Philosophia D. Thomae iure merito appellatur christiana. — Auream Sancti Thomae sapientiam restituere et quam latissime propagare ; sapientiae rivos purissimos ex Angelico Doctore iugi ac praedivite vena dimanantes studiosae iuventuti large copioseque praebere ; doctrinam Thomae Aquinatis studio magistrorum in discipulorum animos insinuare, eiusque prae ceteris soliditatem atque excellentiam in perspicuo ponere ; eandemque illustrare ac tueri, et ad grassantium errorum refutationem adhibere : En quod, ut faciant, enixe hortatur Leo XIII. episcopos Ecclesiae omnes, singulos etiam ab episcopis ipsis intelligenter lectos magistros, atque universas Academias ab episcopis institutas aut instituendas, cunctosque denique veritatis amatores qui scientiam veri nominis excolere in votis habeant. Siquidem semper constanterque Ecclesia Catholica doctrinam D. Thomae summis laudibus extulit ac honorificentissimis titulis decoravit, speciali tamen modo Leo XIII. ostendit et declaravit Angelici Doctoris philosophiam : *a*) habere « soliditatem atque excellentiam prae ceteris » ; *b*) esse « sanam et magisterio Ecclesiae conformem » ; *c*) « in doctrinis thomisticis eximiam quandam inesse praestantiam, et ad sananda mala, quibus nostra premitur aetas, vim virtutemque

[1] I. q. 1. a. 1. ad 2. et a. 6. — *I. C. Gent.* cap. 2. et 5. — *II. C. Gent.* cap. 4. — Boetii, *De Trinit.* q. 1. a. 2. ; q. 5. a. 1. — Conc. Vatic. sess. 3. *De Fide Catholica.*

singularem » ; *d*) atque « ad catholicae fidei tutelam et decus, ad societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum Philosophiam Christianam ad mentem Sancti Thomae Aquinatis, Doctoris Angelici, in Scholis Catholicis instaurandam » : ut Litterae Encyclicae *Aeterni Patris* alta voce proclamant ac permagnificum atque indelebile perhibent testimonium. — Unde et ipsemet Romanus Pontifex postea in Litteris Apostolicis *Gravissime Nos* ita adhuc plane et plene suae mentis intentionem aperiebat : « Deliberatum Nobis esse et constitum doctrinam Sancti Thomae Aquinatis in scholas omnes revocare : eam nempe doctrinam, quam amplae Romanorum Pontificum sacrorumque Conciliorum laudes commendant, et qua, suffragante saeculorum voce, nihil solidius possit aut fructuosius optari. Philosophia Sancti Thomae nihil demum alia est atque Aristotelea : hanc nempe Angelicus scientissime omnium interpretatus est ; hanc erroribus, scriptori ethnico facile excedentibus, emendatam, christianam fecit ; hac ipsemet usus est in exponenda et vindicanda catholica veritate. Hoc ipsum numeratur inter summa beneficia, quae magno Aquinati debet Ecclesia, quod christianam theologiam cum peripatetica philosophia iam tum dominante tam belle sociaverit, ut Aristotelem Christo militantem, iam non adversarium habeamus. Neque vero aliter ab eo fieri poterat, qui doctorum theologiae scholasticae existit princeps ; nam, quod omnes norunt, haec disciplina eiusmodi est, quae fontes adeat quidem proprios, doctrinas nimirum divinitus revelatas, ex eisque in rem suam omni religione et studio derivet, sed operam quoque multam adhibeat sibi philosophiae tamquam optimae adiutricis ad fidem ipsam sive tuendam sive illustrandam. Quotquot igitur Aristotelem cogitant debentque tutâ viâ sectari, philosophiam Aquinatis amplectantur oportet [1]. »

In Philosophia D. Thomae splendent miro modo characteres seu notae verae ac perfectae philosophiae christianae. — Doctrina quidem D. Thomae non modo perfecte christiana

[1] « Litterae Apostolicae, quibus Constitutiones Societatis Iesu de doctrina S. Thomae Aquinatis profitenda confirmantur. » — « Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXX. Decembris 1892, Pontificatus Nostri anno decimoquinto. »

a viris illustribus [1] censetur ac proclamatur, verum simul quoque praedicatur et pura ab erroribus, et solida in dogmatibus, et sublimis in principiis, et uniformis in conclusionibus, et completa in tractatibus, et sancta in moralibus, et facilis addiscentibus. Unde inter causas, ob quas Leo XIII. tantopere adlaboravit ad philosophiam D. Thomae in studiis scholarum catholicarum restaurandam, huiusmodi enumerantur, nimirum :

a) *Universalitas seu extensio materiae complete tractatae simul cum perspicua et optima procedendi ratione.* — « Nulla est (inquit) Philosophiae pars, quam non acute simul et solide pertractavit : de legibus ratiocinandi, de Deo et incorporeis substantiis, de homine aliisque sensibilibus rebus, de humanis actibus eorumque principiis ita disputavit, ut in eo neque copiosa quaestionum seges, neque apta partium dispositio, neque optima procedendi ratio, neque principiorum firmitas aut argumentorum robur, neque dicendi perspicuitas aut proprietas, neque abstrusa quaeque explicandi facilitas desideretur. »

b) *Sublimitas atque amplitudo principiorum.* — « Illud etiam accedit, quod philosophicas conclusiones Angelicus Doctor speculatus est in rerum rationibus et principiis quae quam latissime patent, et infinitarum fere veritatum semina suo veluti gremio concludunt, a posterioribus magistris opportuno tempore et uberrimo cum fructu aperienda. Quam philosophandi rationem cum in erroribus refutandis pariter adhibuerit, illud a seipso impetravit, ut et superiorum temporum errores omnes unus debellarit, et ad profligandos qui perpetua vice in posterum exorituri sunt, arma invictissima suppeditarit. Atque illud est permagnum, quod eius

[1] Vide Goudin, *Philosophia*, vol. I. *Dissert. II. praeliminari, De Commendatione doctrinae S. Thomae.* — Joann. a St. Thoma, *Curs. theol.* t. I. *Tract. De approbatione et auctoritate doctrinae D. Thomae.* — Cardin. Gonzalez, *Estudios sobre la filosofia de Santo Tomas, lib. 1°.* — R. P. Ventura de Raulica, *La Filosofia Cristiana*, t. II. part. II. : *Santo Tomas.* — Ibid. part. III. *Introd.* ita legitur : « Estos son los grandes principios que Santo Tomas explicó posteriormente en todo su esplendor, y que estableció como bases de ese maravilloso edificio de la filosofia cristiana, cuyo glorioso fundador y maestro fué ; de manera que la filosofia de Santo Tomas es exclusiva y eminentemente cristiana; y la filosofia cristiana, en toda su plenitud y perfeccion, sólo se encuentra en Santo Tomas. »

doctrina, cum instructa sit atque apparata principiis latissime patentibus, non ad unius dumtaxat, sed ad omnium temporum necessitates est apta, et ad pervincendos errores perpetua vice renascentes maxime accomodata. Eadem vero, sua se vi et ratione confirmans, invicta consistit atque adversarios terret vehementer. »

c) *Mirabilis D. Thomae doctrinae cum veritatibus fidei concordia.* — « Praeterea, rationem, ut par est, a fide apprime distinguens, utramque tamen amice consocians, utriusque tunc iura conservavit tunc dignitati consuluit, ita quidem ut ratio ad humanum fastigium Thomae pennis evecta, iam fere nequeat sublimius assurgere ; neque fides a ratione fere possit plura aut validiora adiumenta praestolari quam quae iam est per Thomam assecuta. Cuius convenientiae mirabilisque concordiae cunctis beati Thomae scriptis expressa imago perspicitur. In iis enim excellit atque eminet modo intelligentia quae, quod vult, praeeunte fide, consequitur in pervestigatione naturae ; modo fides, quae rationis ope illustratur ac defenditur, sic tamen, ut suam quaeque inviolate teneat et vim et dignitatem ; atque ubi res postulat, ambae quasi foedere icto ad utriusque inimicos debellandos coniunguntur [1]. »

Philosophia D. Thomae est vere perennis philosophia. — Sicut veritas qua praedita est, D. Thomae Philosophia retinet quidem aliquid quod non veterascit, sed antiquum semper est semperque novum. Iam Leo XIII. in suis Litteris *Aeterni Patris* admonet non esse confundendam auream S. Thomae sapientiam cum his quae a doctoribus scholasticis vel nimia subtilitate quaesita vel parum considerate tradita reperiuntur. Utique, philosophia Angelici Doctoris est vere ac genuine *scholastica ;* tamen absque sophismatum nugis et metaphysicorum vanis portentis, quibus est sordibus apud nonnullos indigne foedata, quae amputanda et repurganda

[1] Vide Enc. Litter. *Aeterni Patris* (4. Aug. 1879). « De Philosophia Christiana ad mentem Sancti Thomae Aquinatis, Doctoris Angelici, in Scholis Catholicis instauranda. »

Vide etiam « Motu proprio » *Cum hoc sit* (4. Aug. 1880). « De Sancto Thoma Aquinate, Patrono coelesti studiorum optimorum, cooptando. »

Dominicus Soto [1] ad Patres Tridentini Concilii clamabat. D. Thomae quidem philosophia in odio habet vanas disputationes et aniles fabulas; illa, inquam, quorundam theologorum et philosophorum extrema, a Melchiore Cano adeo acriter flagellata [2]. « D. Thomam (addit) semper excipio, apud quem mirabilis est contextus rerum, summus quaestionum et articulorum ordo et compositio disciplinae incredibilis. Adeo respondent extrema primis, media utrisque, omnia omnibus [3].» « Conclusionum itaque naturalium a philosophis petenda demonstratio est, praesertimque a D. Thoma, perfecto, mea sententia, philosopho, cuius admirabilem naturam et ingenium, cum gratia perfecisset, tum ubique alias, tum in Libro *Contra Gentes* maxime, quidquid expeti ab hominis ingenio poterat, id unus videtur ad miraculum praestitisse [4]. » — Pariter, Philosophia D. Thomae, etsi quoad methodum *Aristotelica*, quoad substantiam rei est vere ac realiter *eclectica*, in qua sola elucet purior et perfectior veritatis expressio ; et insuper, quidquid tam ab Aristotele quam a Platone, tam ab Augustino quam a ceteris Ecclesiae doctoribus sapienter est dictum, in D. Thoma adinvenitur multis incrementis adauctum et miro ordine digestum. Quod et Leo XIII. sic eleganter tradit ac praeclare testatur : « Iamvero, inter Scholasticos Doctores omnium princeps et magister longe eminet Thomas Aquinas qui, uti Caietanus (II.-II. q. 148. a. 4.) animadvertit, *veteres doctores sacros quia summe veneratus est, ideo intellectum omnium quodammodo sortitus est.* Illorum doctrinas, velut dispersa cuiusdam corporis membra, in unum Thomas collegit et coagmentavit, miro ordine digessit et magnis incrementis ita adauxit, ut Catholicae Ecclesiae singulare praesidium et decus iure meritoque habeatur. Ille quidem ingenio docilis et acer, memoria facilis et tenax, vitae integerrimus, veritatis unice amator, divina humanaque scientia praedives, soli comparatus,

[1] Soto, *De natura et gratia. Ad sanctos Patres Tridentinae Synodi nuncupatoria Praefatio.* — Ubi etiam adiungit : « Detur tamen summa opera, ne penitus depereat (philosophia), sed instauretur potius, nisi plurimos velimus habere nomen, rarissimos tamen re esse theologos. »

[2] *De Locis theol.* lib. 9.

[3] Ibid. lib. 12. cap. 2.

[4] Ibid. lib. 12. cap. 13.

orbem terrarum calore virtutum fovit et doctrinae splendore complevit [1]. » Et iterum : « Doctrina quidem est tanta, ut sapientiam a veteribus defluentem, maris instar, omnem comprehendat. Quidquid est vere dictum ac prudenter disputatum a philosophis ethnicorum, ab Ecclesiae patribus et doctoribus, a summis viris qui ante ipsum floruerut, non modo ille penitus dignovit, sed auxit, perfecit, digessit tam luculenta perspicuitate formarum, tam accurata disserendi ratione, et tanta proprietate sermonis, ut facultatem imitandi posteris reliquisse, superandi potestatem ademisse videatur [2]. »

In philosophia D. Thomae vera notio Dei refulget quasi sol, omnes philosophiae partes penetrans et illuminans. — Sicut in universo, sic in Philosophia D. Thomae Deus est ubique per essentiam, praesentiam et potentiam ; atque ex vera Dei notione suprema eiusdem philosophiae capita solide firmantur, clare ostenduntur, miroque lucis splendore in perspicuo posita coronantur. Si enim philosophia recte definitur cognitio scientifica et rationalis Dei, mundi et hominis, sive cognitio rerum per altiores causas, id est, quoad rerum principia, et essentias, et relationes, et praecipuas proprietates atque effectus : utique ex cognitione mundi et hominis assurgere oportet ad rationalem et scientificam Dei cognitionem ; at cognitio ipsa certa et evidens hominis et mundi per altiores causas naturalibus viribus rationis acquisita, nonnisi ex vera Dei notione haberi iterum potest perfecte ac complete ; nam si per effectus cognoscuntur causae, ex vera causae cognitione completur quoque ac perficitur ipsamet cognitio effectuum. Quod quidem in philosophia D. Thomae maxime manifestatur, dum ex rebus sensibilibus, quae moventur et fiunt et incipiunt *esse* et *esse* diversimode participant atque propter finem attingendum ordinate operantur, patet ascensus rationalis humanae mentis usque ad Primum Movens quod a nullo movetur, et usque ad Primum Efficiens quod a nullo fit, et usque ad Primum Necessarium non habens aliunde causam suae necessitatis in essendo, et usque ad maxime Ens quod vi suae propriae

[1] Encycl. Litt. *Aeterni Patris.*
[2] Motu proprio, *Cum hoc sit*, 4. Aug. 1880.

essentiae existit, et usque ad Intellectum Separatum qui omnia gubernat. — Hanc itaque primam Dei scientificam notionem, a creatura mundi, per ea quae facta sunt et testimonio sensuum subiiciuntur, accipimus atque per ratiocinium intelligendo efformamus. Verum, ex hac prima scientifica Dei notione eruuntur deinde divina alia attributa et perfectiones, quibus vera Causae Primae idea in mente nostra completur ; atque exinde ad ulteriora in cognitione Dei, mundi et hominis recta securaque via properamus, dum magnae quaestiones de creatione rerum et de ipsarum conservatione in *esse*, deque earundem motione ad operandum philosophice ostenduntur atque, ut oportet, declarantur ac in perspicuo ponuntur. Nullum quippe remanet dubium, quod ex vera Dei notione pendet ratio mundi et hominis vere philosophica, et ordo cognitionis et ordo moralis exinde maxime illustrantur. Integra namque Philosophia est cognitio causarum ; atque per omnia causarum genera ad Deum tandem pervenire necesse est, qui est Prima Causa in serie causarum efficientium, et suprema separata a rebus ipsis in serie causarum formalium, et ultima in serie causarum finalium. Ex vera idcirco Dei notione derivatur lux ad praecipua Philosophiae problemata recte intelligenda, solide probanda, convenienter solvenda, omni ex parte dilucidanda. Cosmologia ergo et Logica, Ethica, Psychologia, aliaeque Philosophiae partes ex Metaphysica pendent, quae caput scientiarum est ; vera autem Dei notio veluti corona est ipsius Metaphysicae. Neque idea mundi et hominis habetur usquequaque perfecta nisi claritatem accipiat ex vera Dei idea, quae quasi sol refulget in altissimis Philosophiae Primae. Unde D. Thomas, *I. Sent.* dist. 19. q. 5. a. 1. : « Utraque autem veritas, sc. intellectus et rei, reducitur, sicut in primum principium, in ipsum Deum ; quia suum *esse* est causa omnis *esse*, et suum intelligere est causa omnis cognitionis. Et ideo ipse est Prima Veritas sicut et Primum Ens ; unumquodque enim ita se habet ad veritatem sicut ad *esse*. Et inde est, quod prima causa essendi est prima causa veritatis et maxime vera, sc. Deus, ut probat Philosophus, *II. Metaph.* »

Ex Philosophiae D. Thomae restauratione atque studio maxima possunt provenire adiumenta ad alias etiam disciplinas fructuose excolendas. — Quod Leo XIII. data ex

opera in Litteris Encyclicis *Aeterni Patris* ita ex eo ostendit, quod nimirum « a Philosophia magna ex parte pendet ceterarum scientiarum recta ratio... Cunctae humanae disciplinae spem incrementi praecipere, plurimumque sibi debent praesidium polliceri ab hac, quae nobis est proposita, disciplinarum philosophicarum instauratione. Etenim a Philosophia, tamquam a moderatrice sapientia, sanam rationem rectumque modum bonae artes mutuari, ab eaque, tamquam vitae communi fonte, spiritum haurire consueverunt. »

a) *Quoad artes liberales.* — « Facto et constanti experientia comprobatur artes liberales tunc maxime floruisse, cum incolumis honor et sapiens iudicium Philosophiae stetit ; neglectas vero et prope obliteratas iacuisse, inclinata atque erroribus vel ineptiis implicata Philosophia. »

b) *Quoad scientias physicas.* — « Quapropter etiam physicae disciplinae quae nunc tanto sunt in pretio, et tot praeclare inventis singularem ubique cient admirationem sui, ex restituta veterum philosophia non modo nihil detrimenti, sed plurimum praesidii sunt habiturae. Illarum enim fructuose exercitationi et incremento non sola satis est consideratio factorum contemplatioque naturae, sed cum facta constiterint, altius assurgendum est, et danda solerter opera naturis rerum corporearum agnoscendis, investigandisque legibus quibus parent, et principiis unde ordo illarum, et unitas in varietate, et mutua affinitas in diversitate proficiscuntur. Quibus investigationibus mirum, quantam philosophia scholastica vim et lucem et opem est allatura, si sapienti ratione tradatur. »

c) *Quoad scientias iuridicas et politico-sociales.* — « Domestica vero atque civilis ipsa societas, quae ob perversarum opinionum pestem quanto in discrimine versetur, universi perspicimus, profecto paccatior multo et securior consisteret, si in Academiis et Scholis sanior traderetur et magisterio Ecclesiae conformior doctrina, qualem Thomae Aquinatis volumina complectuntur. Quae enim de germana ratione libertatis, hoc tempore in licentiam abeuntis, de divina cuiuslibet auctoritatis origine, de legibus earumque vi, de paterno et aequo summorum Principum imperio, de obtemperatione sublimioribus potestatibus, de mutua inter omnes caritate : quae sc. de his rebus et aliis generis eiusdem a Thoma disputantur, maximum atque invictum robur ad

evertenda ea iuris novi principia, quae pacato rerum ordini et publicae saluti periculosa esse dinoscuntur. »

In doctrina D. Thomae iacet positum fundamentum ad vere philosophandum atque errores rationalismi et modernismi secure vitandos. — Quod et ipse Leo XIII. magnifice praedicat his verbis : « De studio maiorum disciplinarum satis commonstrant Litterae Nostrae Encyclicae *Aeterni Patris*, qua sit ingrediendum via. Discedere inconsulte ac temere a sapientia Doctoris Angelici, res aliena est a Voluntate Nostra, eademque plena periculi. Perpetua quidem sunt humanae cogitationis itinera, augeturque accessionibus fere quotidianis scientia rerum ac doctrina ; quis autem nolit his rebus sapienter uti quas recentiorum pariat eruditio et labor ? Quinimo adsciscantur hinc libenter quae recta sunt, quae utilia, quae veritati divinitus traditae non repugnantia ; sed qui vere philosophari volunt, velle autem potissimum debent religiosi viri, primordia ac fundamenta doctrinae in Thoma Aquinate ponant. Eo neglecto, in tanta ingeniorum licentia, pronum esse in opinionum portenta delabi atque ipsa *Rationalismi* peste sensim afflari, nimium iam res et facta testantur [1]. » — Atque Pius X. in Litteris

[1] Litterae Leonis XIII. ad Ministrum Gener. Ord. Minor. 25 Nov. 1898. — Ad rem P. Michaeli de Maria S. I. : « Ex his... appareret *nobilissima veritas* et admirabilis nexus doctrinarum qui viget in Metaphysica, quam ex Aristotele S. Thomas docuit. Doctor quippe Angelicus ex illa veritate exorsus, quod *entia creata sint realiter composita ex essentia et esse*, explicat proprium conceptum entis ab intellectu nostro efformatum, per hoc quod ens significat *id quod habet esse* seu *id quod est*... Ex eo D. Thomas infert Deum non esse in genere, quia ens praedicatum de Deo non significat *quidditatem* habentem *esse*, sed ipsum *esse* cum *quidditate* identificatum... — Huic Angelici Praeceptoris nobilissimae doctrinae, quae versatur circa ipsa Metaphysicae fundamenta, quaeque consequenter longius serpit, totamque Philosophiam late pervadit, e regione opponuntur placita *philosophiae Scotisticae*. — Scotus quidem exordia ducit ab *identitate essentiae et existentiae* in naturis creatis ; exinde deducit *ens* significare praedicamenta mediate, et esse univocum Deo et creaturis, substantiae et accidenti..... Quaenam autem ex istis oppositis Sancti Thomae et Scoti doctrinis veritati melius ac securius consulat, cordatus quisque iudicare per se potuerit ; praesertim si considerat christianae et peripatetico-scholasticae Philosophiae subversores haud raro usos esse doctrinis a Scoto traditis de univo-

Encyclicis *Pascendi dominici gregis*, dum *Modernismi* vulneribus medendis apta quaerit remedia, primum, et hoc quidem efficacissimum, ita indicat : « Primo igitur ad studia quod attinet, volumus probeque mandamus, ut philosophia scho-

citate entis, de potentia et actu, et de rerum distinctione ; cum, contra, a principiis philosophandi ab Aquinate traditis semper abhorruerint. Probe enim intelligebant errores ab ipsis in vulgus disseminatos ex firmissimis Sancti Thomae principiis non confirmari, sed potius subverti opprimique ; ideoque in aliis officinis sua arma paraverunt et cum aliis propria iunxerunt castra. Sapientissime ergo supremus Ecclesiae Catholicae Magister Leo XIII. P. M. iussit Philosophiam esse revocandam ad firmissa Thomae Aquinatis principia, ex quibus perperam admodum fuerat separata. » (*Ontolog. tract.* 1. q. 1. a. 5.). — Quod autem P. DE MARIA adnotavit, corroborari videtur ex his quae leguntur in opere cui titulus : *Dogme et Critique* par EDOUARD LE ROY (3me édit. 1907), page 123 : « Mais surtout il serait à propos d'invoquer Duns Scot et la théologie séraphique. Voici quelques passages d'un théologien de cette École, Frassen, qui sont bien remarquables : *Teologia nostra non est scientia ; Nostra Theologia nullatenus speculativa est, sed simpliciter practica ; Theologiae obiectum non est speculabile, sed operabile ;..: Quidquid in Deo est, practicum est respectu nostri.* — Et pag. 377, note VIII, sic : « Lettre d'un probabiliste à M. Edouard Le Roy. Monsieur : Un théologien qu'on n'a pas convié à l'enquête de la *Quinzaine*, c'est le célèbre contradicteur de saint Thomas, J. Duns Scot. Les exemplaires de ses ouvrages sont rares. Pour ma part, j'ai dû me résigner à suivre la pensée du Docteur subtil à travers les commentaires de son école. Voici quelques lignes de Frassen († 1711) mises en présence de vos formules. Vous y trouverez écrites dans la langue du XIIIme siècle, une doctrine scholastique du *primat de l'action*, et une conception du dogme qui n'est pas la *conception intellectualiste* courante... Une conséquence, considérable à votre point de vue, résulte de l'application *ancienne* de ces principes à la théologie. On ne peut lire : *Qu'est-ce qu'un Dogme ?* sans être frappé de l'air de parenté qui rapproche les thèses de Frassen de votre essai de solution. En voici quelques-unes : *La théologie n'est pas une science. — Elle n'est ni spéculative, ni spéculative et pratique en même temps, mais simplement pratique. — Son objet n'est pas un objet de spéculation, mais d'action. — Tout ce que nous pouvons saisir de Dieu est pratique !...* Ouvrez donc un exemplaire de Scot. Si votre pensée rejoint celle du plus subtil des scholastiques, le fait, déjà curieux, ne sera pas sans résultat... » — Postea, apparuerunt Litterae Encyclicae *Pascendi Dominici gregis ;* et liber scriptus a Le Roy fuit *proscriptus Romae*, 24. Maii 1907, Auctoritate Card. Vicarii. (Analecta Eccl. 1907, pag. 210.) — Et tandem Sacra Cong. Ind. librum in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit, 26. Julii 1907.

De Scoto etiam scripsit P. EUSEBIUS STATECZNY, Ord. Frat.

lastica studiorum sacrorum fundamentum ponatur... Quod rei caput est, philosophiam scholasticam cum sequendam praescribimus, eam praecipue intelligimus, quae a Sancto Thoma Aquinate est tradita ; de qua quidquid a Decessore Nostro sancitum est, id omne vigere volumus, et qua sit opus instauramus et confirmamus stricteque ab universis servari iubemus. Episcoporum erit, sicubi in seminariis neglecta haec fuerint, ea ut in posterum custodiantur urgere atque exigere. Eadem religiosorum Ordinum moderatoribus praecipimus. Magistros autem monemus, ut rite hoc teneant, Aquinatem deserere, praesertim in re metaphysica, non sine magno detrimento esse. »

III

Philosophiae D. Thomae quaenam sit veritas fundamentalis.

Systema philosophicum D. Thomae exstat breviter delineatum in opusculo De Ente et Essentia[1]. — Omnes magni nominis philosophi, « quasi ab ipsa veritate coacti, » ut

Minorum (*Comp. histor. philosoph.* edit. Rom. 1898, pag. 388) : « In Scoto adest subtilitas summa et vis originaria altissima simulque audax valde, cui vis ingenii dominatur, ne exorbitet ; adest quoque individualis novitas admirabilis, nunquam tamen dogmati religioso et rationali contraria. Eius successores finiunt in litibus infinitis, ut plurimum, quae haud raro errores generant. »

Quod vero Scotus sit « *le célèbre contradicteur de saint Thomas* » ita quoque fatetur Caietanus, *I. Part. Summae*, praefat. (Edit. Leonina) dicens : « Joannes vero Scotus egregia praeter ceteros in hac re laboravit subtilitate et copia, quippe qui singula prope huius Primae Partis verba labefactare contendat. » Et Card. Gonzalez (*Histor. de la filosofia*, t. II. pag. 261. edit. Madrid, 1878) idem etiam asserit : « El blanco principal de sus reparos y ataques son las razones y doctrinas de Santo Tomas, de quien se separa casi siempre que se trata de puntos opinables. »

[1] Ad rem Cardinalis Pecci in sua italica paraphrasi *Opusculi de Ente et Essentia* in praefatione scribit : « A bene intendere le opere di S. Tomaso e la sua dottrina, che dall' autorità tanto sacra quanto profana ci viene in modo straordinario raccomandata, fa d' uopo conoscere profondamente la sua filosofia... Chi farà tanto di applicarsi per pochi giorni allo studio serio di questa opericiuola, si troverà

observat D. Thomas [1], posuerunt Primum rerum Principium, *unum, simplicissimum, infinitum;* tametsi errarent ipsorum plures, aut saltem ad ipsum medium, in quo veritas est, minime attigerint, dum naturam unius et simplicissimi et infiniti Entis declarare conabantur. Attribuere optimum et perfectissimum Primo Principio, in mente atque intentione serio philosophantium certe erat ; huiusmodi autem infinitae perfectionis, quae Primo Principio competit, rationem vere philosophicam reddere, non omnibus datum est ; et non modo antiqui, verum nec moderni plurimi id assequi valuerunt. Omnes siquidem iam recte philosophantes asserere non dubitant : *Primum Ens esse actum purum, omnia vero alia constare ex actu et potentia;* at dum agitur de puritate actus in Primo Ente, ac de compositione potentiae et actus in omnibus quae sub Primo Ente sunt, determinanda et definienda, non omnium tunc est mens una nec una omnium doctrina. Aristoteles aperuit profecto viam actus et potentiae, perscrutando naturam materiae et naturam formae ex quibus, tamquam ex potentia et actu, intrinsece componuntur

in breve posto in stato di caminar con pié franco e con gusto grande in ogni parte delle opere molteplici del Sommo Principe delle Scuole. Scrisse egli questa operetta sul primo fiore de' suoi anni, e annanzi che salisse ancore giovane la cattedra teologica nell' università di Parigi. Porta essa in alcuni codici l' affetuoso indirizzo : *Ad fratres suos.* E si vede chiaro che il piccolo lavoro fu steso precisamente per fissare una traccia di quei principî suoi quali intendeva di tessere il suo magistero, e insieme gittare i fondamenti di quel grande edificio che fin d' allora andava ideando nella sua mente. »

Et Cardinalis Gonzalez, *Estudios sobre la filosofia de Santo Tomas*, lib. 2. cap. 7. ita etiam loquitur : « La obra de Santo Tomas, titulada *De Ente et Essentia;* obra tam poco conocida como digna de ser estudiada, que forma sin disputa uno de sus trabajos más acabados y completos, y en la que se revela con toda su fuerza y esplendor, su poderoso genio filosófico. La maestria y profundidad con que se hallan alli tratadas y desenvueltas las cuestiones más importantes y fundamentales de la Metafisica, hacen sobremanera notable esta produccion literaria, digna ciertamente por mas de un concepto del estudio de todo hombre pensador. Si á esto se añade que el célebre Cardenal Cayetano ilustró esta obra con *Comentarios* tan dignos de la misma como en armonia con la profundidad de su talento y de su genio eninentemente metafisico ; no temeré afirmar que todo espiritu reflexivo, todo hombre amante de los estudios serios encontrará un verdadero placer en su lectura y meditacion. »

[1] I. q. 3. a. 8. ; q. 4. a. 1. ; q. 7. a. 1. — *I. C. Gent.* cap. 42. et 43.

ac constituuntur in ratione essentiae completae omnes substantiae materiales ; at dum, transgrediendo *physica*, intrat in *metaphysicam*, nihil expresse tradidisse videtur de compositione potentiae et actus in substantiis separatis a materia. Utique, substantiam Primi Entis et Primi Intelligibilis et Primi Appetibilis esse *Actum* recto tramite in libris Metaphysicorum concluditur ; at ceterae substantiae, quae sunt formae subsistentes sine materia, componunturne ex *forma* et *esse*? Philosophus strictum tenet silentium. — Avicebron autem in libro *Fons vitae* compositionem formae et materiae diversimode explicatam facit transcendere per omnia entia usque ad Primum Ens, qui est « *Factor primus, Unus tantum, Excelsus* et *Sanctus* »; dum in omnibus aliis sunt « *duo, materia et forma, sustinens et sustentatum* [1]. » — Avicebronis autem vestigia abs dubio premunt philosophi illi et scholastici theologi, qui, uti Scotus [2], propugnant

[1] *Fons vitae*, tract. V. pag. 279 et 303. Edit. Dr Clem. Baeumker, Münster, 1892.

[2] Cardinalis Gonzalez ita indicat relationes inter utriusque doctrinas : *a*) « Concretándonos á Plotino, no es posible desconocer las relaciones de afinidad y filiacion que median entre su doctrina acerca de la existencia de una materia perteneciente al mundo superior é inteligible, ademas de la que pertenece al mundo visible y corpóreo, y la teoria expuesta y desarrollada por Ibn-Gebirol, ó sea el Avicebron de los escolásticos, en su famoso libro *Fons vitae*, citado con frecuencia é impugnado más de una vez por Alberto Magno y santo Tomas. Porque el fondo y como la esencia del libro de Gebirol, consiste precisamente en la concepcion de la universalidad de la materia como parte esencial de todas las cosas, ora sean sustancias corpóreas, ora sean sustancias espirituales ó séres pertenecientes al mundo de las inteligencias. Aunque modificándola en sentido cristiano, Escoto y Raimundo Lulio adoptaron en parte esta concepcion plotiniana de la materia, renovada y desenvuelta en el siglo once por Salomon Ibn-Gebirol. » (*Hist. de la filosof.* t. I : *Plotino. Critica*, edic. 1. pag. 458 et 459). *b*) « La teoria fundamental y caracteristica de la filosofia de Avicebron, es la que se refiere á la *materia y forma* como elementos constitutivos y principios internos de todas las cosas finitas... — La doctrina de Escoto acerca de la unidad de la materia prima, sus vacilaciones y reservas acerca de la existencia de materia en los ángeles, y su opinion acerca de la forma de corporeidad como forma sustancial general del cuerpo, y como base y condicion de las formas sustanciales especiales y superiores, ó sea del alma de los brutos y del hombre, pueden considerarse como reminiscencias y vestigios de esta teoria de Avicebron. » (Ibid., t. II. Avicebron, *Critica*, ed. 1. pag. 404).

compositionem materiae et formae etiam in anima humana, etiam in angelis ; ut exinde habeatur ratio quare omnia, praeter Unum quod est Deus, sint composita et finita atque in genere collocata. — D. Thomas vero, Aristotelis principia evolvens et altius ascendens, concludit ad necessitatem ponendi etiam incorporeas creaturas ab omni prorsus materia separatas, ad hoc quod universum sit perfectum ; et bonum, quod consistit in assimilatione ad Deum, cuius substantia est *esse*, communicetur creaturis per multiplices ac diversos gradus essendi, ab infimis entibus quae ratione materiae sunt prope nihil, usque ad entia suprema quae ratione suae elevationis supra materiam sunt prope Deum. Quamobrem Angelicus Doctor, praeter compositionem potentiae et actus, quae est compositio ex materia et forma, aliam tradit compositionem potentiae et actus altiorem ac profundiorem, quae complectitur universa quae sunt sub Primo Ente, et transcendit per cunctas creaturas, materiales et immateriales, corporeas et spirituales, nimirum compositionem *essentiae* et *esse*. — Utraque compositio est in genere substantiae. Materia et forma sunt prima principia in genere substantiae corporeae ; essentia et *esse* sunt prima principia in genere substantiae existentis. Materia et forma est compositio potentiae et actus intra lineam essentiae, de cuius ratione est materia ; essentia et *esse* est compositio potentiae et actus in linea entis, cuius actus est *esse*. Materia et forma est compositio essentiae ; essentia et *esse* est compositio entis subsistentis. Ubi est compositio materiae et formae, ibi etiam oportet ut sit compositio essentiae et *esse ;* at non e converso ; nam essentia simplex est forma sine consortio materiae cui non advenit *esse* nisi per formam ; forma autem est proprium susceptivum ipsius *esse ;* unde in forma subsistente sine materia recipitur *esse* sicut in proprio subiecto. Itaque, etiam sublata compositione materiae et formae, in substantiis immaterialibus manet semper compositio substantiae quae est forma sine materia subsistens, et *esse* quod est actus substantiae existentis. — Ratione autem huius compositionis omnia entia quae sub Primo Ente sunt, in genere substantiae collocantur ; componuntur ex *esse* et *quod est ;* limitantur ac finiuntur per determinatum modum essendi, etiamsi formae, per quas participant *esse*, non limitentur nec finiantur per materiam. — Angelicus namque

Doctor reprobat, tamquam erroneum, processum Avicebronis, quia ab inferioribus ad suprema entia resolvendo ascendit in principia materialia : quod omnino rationi repugnat. Nam quanto magis resolvendo descenditur ad principia materialia, tanto minus invenitur de ratione entis. Suprema autem in entibus oportet esse maxime entia. Idcirco investigando suprema entium, oportet cum Platone et Aristotele procedere in principia formalia ; gradumque perfectionis in rebus atque infinitatis in ipsismet perfectionibus determinare per elevationem supra materiam et per separationem a potentialitate, quae in immaterialibus vicem materiae gerit. Unde oportet ascendere per res ex materia et forma compositas usque ad formas quae in materia non recipiuntur et absque materia subsistunt ; et per formas quae stant sub suo proprio *esse* et in quibus *esse* recipitur, usque ad ipsum *Esse Subsistens*, quod est formalissimum in rebus. Materia participat formam ; forma vero participat *esse ; esse* autem nihil participat, sed ab omnibus participatur. Res porro, cuius quidditas sit suum *esse*, non potest esse nisi una et prima, et causa essendi omnibus rebus, eo quod ipsa est *esse* tantum ; et haec est Prima Causa, quae Deus est, cuius individuatio est per puram bonitatem eius, seu per hoc quod *esse* non recipitur in forma vel natura quae sit aliud ab ipso *esse*. Solus ergo Deus est Actus Purus ; omnia autem alia, quantumvis perfectissima, componuntur ex potentia et actu in linea entis. Unde illa thesis : *Primum Ens est Actus Purus, omnia vero alia entia constant ex potentia et actu*, sic explicatur ac definitur in systemate philosophico D. Thomae : *Solus Deus est suum esse ; in omnibus autem aliis differt essentia rei et esse eius ;* vel aliis verbis : *Ipsum Esse per se subsistens est Unum tantum et Primum ; in quocumque igitur praeter Primum est ipsum esse tamquam actus, et substantia rei habens esse tamquam rei potentia receptiva huius actus quod est esse.* En thesis fundamentalis totius philosophiae D. Thomae [1], quae Philosophia Christiana iure merito denominatur.

[1] Non desunt tamen inter modernulos, a quibus haec quaestio, antiquis metaphysicis propria, est valde aliena, qui essentiam et existentiam non distingui realiter in creaturis *demonstrant* (sic) praecise ex conceptu creationis secundum doctrinam D. Thomae. At de huiusmodi demonstrationibus non oportet esse sollicitum ; sufficit enim in memoriam revocare, quod LEIBNIZIUS iam praemo-

Fontes unde assumpsit D. Thomas veritatem fundamentalem suae Philosophiae. — Hoc ex professo inquirere ac pertractare librum integrum postulat, et ad historiam Philosophiae per se spectat : historicis ergo tale eruditionis nego-

nuit, sc. *non esse philosophorum rem serio semper agere*. Sunt quoque, qui realem distinctionem essentiae et existentiae in creatis esse doctrinam D. Thomae inficias ire non erubescunt. Nec de istis, cum nihil valeant probare, multum est curandum ; et aliunde, quod merebantur, iam acceperunt responsum a tribus ex Societate Iesu scriptoribus. — Quorum alter ita scribit : « *In rebus creatis essentia et esse realiter distinguitur*. Haec propositio continet manifestam sententiam Sancti Thomae, non solum quia necessario cohaeret cum principiis fundamentalibus totius philosophiae sancti Doctoris et cum nonnullis eius theologiae conclusionibus, sed etiam quia : 1° dissertissimis verbis traditur, e. g. *I. Sent.* dist. 19. q. 2. a. 2. ; *De Hebdom.* cap. 2. lect. 2. ; *De Verit.* q. 27. a. 1. ad 8. ; 2° et plurimis argumentis probatur, e. g. *II. C. Gent.* cap. 52. ; *De Ente et Essent.* cap. 5. ; *De Angelor. natura*, cap. 6. etc. Atque hic notatum velim, S. Doctorem oleum et operam, ut aiunt, perdidisse ; si, ut nonnulli contendunt, per haec argumenta, toties repetita, nihil aliud voluisset quam propugnare distinctionem rationis inter essentiam et *esse*, quam omnes concesserunt, concedunt et in posterum concedent animo per quam libenti. » (Remer, S. I. *Metaph.* q. 1. De ente in communi.) — Alter vero : « Ingenue fatemur, inquit, mirabile videri et ostento simile, homines eruditos et, ut supponimus, in pervolutandis Aquinatis voluminibus sane versatos, tam confidenter ac libere affirmare sanctum Thomam nullo in loco docuisse aperte distinctionem realem essentiae et *esse* in creaturis. (P. Mich. de Maria, S. I. *Ontolog.* tract., q. 1. a. 5.) — Alter denique ita pronuntiat sententiam : « Quod existentiam in creaturis (D. Thom.) re distinguat ab essentia, id vel negare vel in dubium revocare, hominis est impudentis vel in eius doctrina peregrini. » (Tiphanus, S. I. *De hypostasi et persona*, cap. 6.) — Inter hos *peregrinos*, de quibus loquitur Tiphanus, eminent P. Piccirelli et P. Chossat, S. I. qui adinvenerunt vere admirandum adinventum, nempe quod *auctor* realis distinctionis *esse* et essentiae in creatis fuit *Aegidius Romanus*, sicut auctor physicae praemotionis fuit *Bañez*. (Cf. N. del Prado, *De gratia et libero arbitrio*, vol. 3. cap. 11. : *De Comoedia Bañeziana*, pag. 464-67.) Vide etiam *La Revue Thomiste*, mars et mai 1910. — Sed P. Chossat venit in adiutorium P. Piccirelli, et accendens lucernam historiae, confidenter extollit vocem, dicens : « *Je parle histoire* ». « *Tranchons la question par l'histoire.* » Cui P. Mandonnet, historiae professor, ita respondit : « Le R. P. Chossat n'a rien tranché... Prétendre que Gilles est l'inventeur de la distinction réelle de l'essence et de l'existence est donc, histoire en main, une comédie, ainsi que l'a déclaré le P. del Prado, par le seul considérant que saint Thomas avait soutenu cette doctrine longtemps avant Gilles. » (R. P. Mandonnet, O. P. *Les premières disputes sur la distinction réelle entre l'essence et l'existence, 1276-1287*, *La Revue Thomiste*, nov.-déc. 1910).

tium relinquimus investigandum et dilucidandum. Verumtamen, quantum ex scriptis ipsius Angelici Doctoris colligere licet, D. Thomas videtur invenisse plus minusve indicatam hanc sublimem veritatem :

a) *Apud Aristotelem.* — Unde *II. Posterior. Analytic.* lect. 6. declarans illa verba Philosophi : Τὸ autem *quid sit* homo, et τὸ *esse* hominem diversa sunt. Τὸ *esse* autem non est substantia ulli rei ; non enim genus est ens » ; ita Angelicus Magister dicit : « Aliud est *quod quid est homo* et *esse hominem.* In solo enim Primo essendi Principio, quod est essentialiter ens, ipsum *esse* et *quidditas* eius est unum et idem ; in omnibus autem aliis, quae sunt entia per participationem, oportet quod sit aliud *esse* et *quidditas* entis... Hoc enim ipsum quod est *esse*, non est *substantia* vel *essentia* alicuius rei in genere existentis. Alioquin oporteret, quod hoc quod dico *ens*, esset genus ; quia genus est quod praedicatur de aliquo in eo *quod quid.* Ens autem non est genus, ut probatur in *III. Metaph.* Et propter hoc etiam Deus, qui est suum *esse*, non est in genere. »

b) *Apud Platonem.* — Unde in opusc. *De natura angelorum*, cap. 1. D. Thomas scribit : « Plato sufficientiori via processit ad opinionem primorum Naturalium evacuandam... Unde ipsam primam ideam *Unius*, quod nominabat secundum se *Unum* et secundum se *Bonum*, primum rerum principium esse ponebat, et hunc summum *Deum* esse dicebat. Sub hoc autem *Uno* diversos ordines participantium et participatorum instituebat in substantiis a materia separatis : quos quidem omnes ordines *secundos deos* esse dicebat, quasi quasdam unitates secundas post Primam Simplicem Unitatem. » Et cap. 3. : « Sic igitur secundum Platonem summus Deus causa est omnibus immaterialibus substantiis, quod unaquaeque earum et *unum sit* et *bonum sit.* Et hoc etiam Aristoteles posuit ; quia, ut dicit, necesse est ut id quod est maxime ens et maxime verum, sit causa essendi et veritatis omnibus aliis... Uterque posuit omnes huiusmodi substantias penitus esse *a materia* immunes ; non tamen esse eas immunes a *compositione potentiae et actus.* Nam omne participans *ens*, oportet esse compositum ex potentia et actu. Id enim quod recipitur ut participatum, oportet esse actum ipsius substantiae participantis ; et sic cum omnes substantiae, praeter supremam quae est per se

ST. ALBERT'S COLLEGE

Unum et per se *Bonum*, sint participantes secundum Platonem, necesse est quod omnes sint *compositae ex potentia et actu;* quod etiam necesse est dicere secundum sententiam Aristotelis. » — Ac denique, cum in *Summa Theologica*, I. q. 44. a. 1. ostendat omnia esse facta secundum totam suam entitatem a Deo, ex hoc ipso quod solus Deus est suum *esse*, et in omnibus aliis differt essentia rei et *esse* eius, D. Thomas iterum scribit : « Unde Plato in *dialog. Parmenides* dixit, quod necesse est ante omnem multitudinem ponere Unitatem. Et Aristoteles dicit *II. Metaph.* quod id quod est maxime ens et maxime verum, est causa omnis entis et omnis veri. »

c) In libro *De Causis*. — Unde in *Comentariis* quae super textum huius libri scripsit D. Thomas ait, lect. 2. : « Ipsum autem *esse* abstractum est Causa Prima, cuius substantia est suum *esse*. » Et lect. 3. : « Cum Deus sit ipsum *esse* et ipsa essentia bonitatis, quidquid pertinet ad perfectionem bonitatis et *esse*, totum ei essentialiter convenit, ut sc. ipsa sit essentia vitae et sapientiae et virtutis et ceterorum. » Et lect. 4. : « Prima Causa est *esse* purum subsistens, et est vere unum non participatum, in quo non potest aliqua multitudo inveniri differentium secundum essentiam... Quantum autem ad naturas intelligentiarum, necesse est quod naturae earum diversificentur secundum ordinem quendam ; non enim est in eis materialis differentia, sed formalis ; non enim sunt compositae ex materia et forma, sed ex *natura* quae est *forma*, et *esse* participato. » Et lect. 7. : « Licet intelligentia (angelus) transcendat totum ordinem corporalium rerum, quia tamen sua quidditas vel essentia non est ipsum suum *esse*, sed est res subsistens in suo *esse* participato : ideo quodammodo convenit in genere cum corporibus, quae etiam in suo *esse* subsistunt ; et sic secundum logicam intentionem videtur, quod ponatur in genere substantiae. Et ideo intelligentia notificari potest enarrative sive affirmative quantum ad suum genus, ut dicatur esse substantia ; sed quantum ad differentiam specificam enarrari non potest, sed oportet, quod per negationem notificetur, in quantum transcendit totum ordinem corporalium rerum, quibus convenit diversitas. Et ideo notificans intelligentiae essentiam, prout a nobis notificari potest, proponit (auctor libri) hanc propositionem : *Intelligentia est substantia quae non dividitur.* Causa autem Prima non est natura subsistens in suo *esse*

quasi participato ; sed potius est ipsum *Esse Subsistens ;* et ideo est supersubstantialis et simpliciter inenarrabilis. »

d) In libro *De divinis nominibus.* — Unde ibidem D. Thomas, cap. 5. lect. 1. : « Deinde, cum dicit (auctor libri) : *Etenim Deus non quodammodo est existens, sed simpliciter,* ostendit quod omnia conveniunt Deo quodammodo. Ad cuius evidentiam considerandum est, quod omnis forma, recepta in aliquo, limitatur et finitur secundum capacitatem recipientis ; unde hoc corpus album non habet totam albedinem secundum totum posse albedinis. Sed si esset albedo separata, nihil deesset ei quod ad virtutem albedinis pertineret. Omnia autem alia, sicut superius dictum est, habent *esse* receptum et participatum ; et ideo non habent *esse* secundum totam virtutem essendi ; sed solus Deus, qui est ipsum Esse Subsistens, secundum totam virtutem essendi *esse* habet. Et hoc est quod dicit, quod ideo potest esse causa essendi omnibus, quia ipse *non est existens quodammodo,* id est, secundum aliquem modum finitum et limitatum ; sed ipse universaliter et infinite accepit in seipso totum *esse* et praeaccepit ; quia in eo praeexistit sicut in causa ,et ab eo ad alia derivatur. »

e) In libro Boëtii, *De Hebdomadibus.* — Angelicus namque Doctor exponens illa verba Boëtii, cap. 2. : *Diversum est esse et id quod est,* concludit quod in omnibus, praeter Unum quod est Deus, differunt realiter *id quod est* et ipsum *esse.* Omnia, etiam substantiae immateriales, componuntur ex *esse* et *forma* quae est determinativa ipsius *esse ;* et quod solum est vere simplex id, cuius forma vel substantia est ipsum Esse Subsistens. Hoc autem simplex unum et sublime est ipse Deus. — Quam quidem doctrinam iterum evolvit D. Thomas, exponendo librum Boëtii, *De Trinit.* q. 5. a. 4. ad 4. dicens : « Actus et potentia sunt communiora quam materia et forma ; et ideo in angelis etsi non inveniatur compositio materiae et formae, potest tamen in eis inveniri potentia et actus... Et hoc est quod dicitur, quod sunt compositi ex *quo est* et *quod est :* ut ipsum *esse* intelligatur *quo est,* ipsa vero *natura* angeli intelligatur *quod est.* » Atque istud Boëtii testimonium constanter affertur a D. Thoma et luminose explanatur in utraque *Summa,* in *Quaest. Disputatis* et in diversis *Quodlibetis,* quotiescumque agitur de reali compositione substantiae et *esse* demonstranda,

etiam in formis sine materia subsistentibus, ut angelus et anima humana [1].

Fons tamen principalis, in quo D. Thomas hanc sublimem veritatem conspexit, est ipsa notio Dei prout traditur in

[1] I. q. 50. a. 2. ad 3. ; q. 75. a. 5. — *II. C. Gent.* cap. 53. et 54. — *De creat. spirit.* a. 1. — *De Anima*, a. 6. — *Quodl.* 3. a. 20. — *Quodl.* 2. a. 3. — *Quodl.* 7. a. 7. — *Quodl.* 9. a. 6. — *Quodl.* 12. a. 5.

— In hac quaestione de *essentia* et *esse* solet saepius D. Thomas etiam adducere nomen et auctoritatem Avicennae, cuius tamen doctrinam corrigit et reicit quantum ad duo. Avicenna enim, ex eo quod in creatis aliud est *essentia* et aliud *esse* rei, inferebat : 1° quod *esse* rerum est in *genere accidentis ;* 2° quod nulla res creata potest dici *necessaria in essendo*, id est, incorruptibilis secundum suam naturam. Primum enim Avicennae assertum reicitur ab Angelico Doctore multis in locis : *a*) *IV. Metaph.* lect. 1. ; *b*) *X. Metaph.* lect. 1. ; *c*) *Quodl.* 2. a. 3. ad 2. ; *d*) *Quodl.* 12. a. 5. ; *e*) *De Pot.* q. 5. a. 4. ad 3. « Opinio Avicennae fuit, quod unum et ens semper praedicant accidens. Hoc autem non est verum ; quia unum, prout convertitur cum ente, significat substantiam rei ; et similiter ipsum *ens.* » « *Ens* quod dividitur per decem genera, significat ipsas *naturas* decem generum secundum quod sunt actu vel potentia. » « *Esse* non dicitur *accidens* quod sit in genere accidentis, si loquamur de *esse* substantiae (est enim actus essentiae), sed per quandam similitudinem ; quia non est pars essentiae, sic nec accidens. » Ita D. Thomas. — Caietanus vero in suis *Comment.* supra opusc. *De Ente et Essent.* cap. 4. scribit ad hoc propositum : « Propter quod a quibusdam dicitur, quod ens dupliciter sumitur, sc. *nominaliter* et *participaliter*... Et ideo reprehensibilis erat Avicenna, qui hanc distinctionem praetermisit. Mihi autem aliter dicendum occurrit... Avicenna ergo attendens ad *id quo res est*, unde nomen entis sumptum est, dixit simpliciter *ens* esse praedicatum extra essentiam rei. S. Thomas vero intuens *ipsum quod est*, ad quod nomen entis impositum est, Avicennae non adhaesit ; nam *ipsum quod est* non praedicat aliquid extra essentiam rei. » (Vide infra, lib. 1. cap. 7. ; lib. 2. et 3. et 4. in Prologo.)

Alterum autem Avicennae assertum reicitur a D. Thoma, *De Pot.* q. 5. a. 3. ; nam dantur entia creata quibus secundum suam naturam competit *necessitas essendi*. « Nec tamen (ait D. Thomas) per hoc removetur quin necessitas essendi sit eis a Deo. » (Vide infra, lib. 4. cap. 7.)

Ex quibus facile colligitur P. Chossat, S. I., sine causa scripsisse : « Saint Thomas a constamment rejeté avec Averroës la *distinction réelle* de l'essence et de l'existence qu'admettait Avicenne... Il nous suffit de retenir que, de la double potentialité du fini simple, d'après Averroës, S. Thomas ne retient qu'une seule, celle qui vient de la *composition réelle* de l'essence et de l'existence. » (*Vacant*, Dictionnaire de théol., *Dieu*, col. 931 et 1221) Etenim : 1° D. Thomas non

S. Scriptura et explicatur a Patribus [1]. — Hoc fatetur in terminis ipsemet Angelicus Doctor, dum *I. C. Gent.* cap. 22. et *II. C. Gent.* cap. 52. ostendit utramque huius fundamentalis veritatis partem, videlicet, quod in Deo idem est *esse* et essentia, in omnibus autem aliis differt essentia rei et *esse* eius. Hic profecto tanguntur radices huiusce profundae quaestionis ; hic certe volvuntur cardines totius Philosophiae Primae ; hic in perspicuo ponitur nota characteristica, qua Ens per essentiam discernitur ab entibus per participationem, et nota characteristica qua entia per participationem secernuntur ab Ente per essentiam. — Ratio enim Entis per essentiam notificatur per identitatem essentiae et *esse ;* ratio vero entis per participationem notificatur per hoc quod in eo aliud est *esse* et aliud essentia eius. — Quare in Deo idem est *esse* et essentia ? D. Thomas respondet, quia Deus est : 1° Motor immobilis ; 2° Causa sine causa ; 3° Per se necesse

reicit realem distinctionem essentiae et *esse* in creatis, sed ea dumtaxat duo supradicta quae Avicenna ex reali distinctione intendebat deducere. 2° Si D. Thomas admittit *realem compositionem* essentiae et existentiae, hoc sufficit ; at tunc, quare asseritur Angelicum Doctorem talem realem distinctionem numquam docuisse ; et quomodo verum erit Aegidium Romanum eam primo in scholis introduxisse ? 3° Averroës, utique, reicit doctrinam Avicennae circa realem distinctionem essentiae et *esse*, sed affirmando identitatem substantiae et *esse*. « Ideo dicimus, quod *substantia* cuiuscumque unius communis est *esse* eius ; et ideo dicimus, quod *substantia* cuiuslibet unius, per quam est *unum*, est suum *esse* per quod est *ens*. » (Averroës, *Comment.* in *IV. Metaph.* cap. 2.) — D. Thomas ergo tenet *medium veritatis* inter Avicennam et Averroëm, declinans similiter erroneum utriusque extremum. (Vide *La Revue Thomiste*, mars et mai 1910. *La Vérité fondamentale de la Philosophie chrétienne ;* et *Destruction des destructions du R. P. Chossat*, par le P. Gardeil, O. P. ibid.)

[1] Quod etiam observat Cardinalis Gonzalez in opere : *Estudios sobre la filosofia de Santo Tomas*, t. I. lib. 2. cap. 6. dicens : « Una de las principales razones de que echa mano el Santo Doctor para establecer esta distincion, se funda sobre el *sentir comun* de los Padres de la Iglesia y filósofos cristianos más autorizados, los cuales todos á una voz nos enseñan que es atributo proprio de Dios existir esencialmente ó por su esencia misma ; de manera que su esencia es la existencia actual ó el acto de existir, conforme á la definicion que la Divinidad dió de sí mismá cuando dijo á Moyses : *Yo soy el que soy*. Luego si en las criaturas la existencia se identifica absolumente con su esencia, podremos decir de ellas que existen esencialmente, es decir, por su misma esencia, del mismo modo que lo decimos de Dios. » — Vide infra, lib. 3. cap. 5.

esse ; 4° Maxime Ens ; 5° Primum appetibile seu illud cuius naturae participationem appetunt omnia. Unde substantia Dei est ipsum Esse Subsistens. — Quare in omnibus aliis oportet quod differat *id quod* est et *esse* eius ? Quia aliter non essent entia per participationem, nec haberent limitem sui *esse*, nec possent multiplicari, nec indigerent causari, nec ullam haberent compositionem, nec ullum reciperent accidens, sed ipsorum *esse*, utpote identificatum cum ipsorum substantia, esset subsistens et omnem essendi perfectionem praecontineret ; et omnia proinde essent una sola substantia. Impossibile est ergo, quod substantia alterius entis, praeter Deum, sit ipsum *esse ;* quia Dei solius proprium est, quod sua substantia non sit aliud quam suum *esse*. — « Hanc autem sublimem veritatem (concludit D. Thomas) Moyses a Domino edoctus est, qui, cum quaereret a Domino dicens : *Si dixerint ad me filii Israël : Quod est nomen eius ? quid dicam eis ?* Dominus respondit : *Ego sum qui sum ; sic dices filiis Israel :* **Qui est,** *misit me ad vos* (Exod. 3, 13), ostendens suum proprium nomen esse : **Qui est.** Quodlibet autem nomen est institutum ad significandum naturam seu essentiam alicuius rei. Unde relinquitur, quod ipsum Divinum Esse est sua Essentia vel Natura. Hanc etiam veritatem catholici Doctores professi sunt. Ait namque Hilarius, *VII. De Trinit. : Esse non est accidens Deo, sed subsistens veritas, et manens causa, et naturalis generis proprietas.* Boëtius etiam dicit in libro *De Trinit.* cap. 3. quod : *Divina substantia est ipsum esse.* »

Haec autem sublimis veritas, nimirum identitas substantiae et esse in Deo et realis utriusque compositio in omnibus aliis, censenda est veritas fundamentalis Philosophiae D. Thomae. — Quod profecto, etsi ex praelibatis iam infertur atque ex dicendis per integrum huiusce operis decursum amplissime patebit, manifestum quoque fit ex communi consensu ac sententia omnium qui doctrinam D. Thomae vere agnoscunt, amant et sapiunt. Ita, inter alios plures, testimonium perhibent huic veritati :

a) Cajetanus, *Comment.* in *Poster. Analytic. Aristotel.* cap. 6. : « In hoc loco expresse Aristoteles dicit, quod *esse* non est ipsa essentia rei : quod est maximum fundamentum doctrinae Sancti Thomae. »

b) SONCINAS, *IV. Metaph.* q. 12. : « Et quia ista quaestio est difficillima, et quasi fundamentum maximae partis doctrinae D. Thomae, et quoddam universale principium in ea, conandum est ut bene resolvatur. »

c) Cardinalis PALLAVICINI, lib. 8. *De Deo uno et trino*, cap. 3. : « Sed quoniam est familiaris doctrina Sancti Thomae, quam ille tamquam certam ac fundamentalem assumit, existentiam in solo Deo identificari cum essentia, placet hic eius rationem explicare ac tueri. »

d) PETRUS DE LEDESMA, *De divinis perfectionibus*, q. 1. : « Resolutio huius quaestionis est radix et fundamentum fere omnium quae in theologia definiuntur. Ex eo enim quod Deus est ipsum *esse*, tamquam ex fonte et radice omnes conclusiones theologicae oriuntur. Nam ex hoc principio colligitur, quod Deus sit summe bonus, et per essentiam bonus ; quod sit infinitus, immutabilis, aeternus, summe cognoscibilis et summe cognoscens. Ex eo vero quod creatura non sit ipsum *esse*, colliguntur omnia quae in theologia dicuntur et definiuntur de creaturis. Divus Thomas hanc veritatem repetit multis in locis ; quoniam est fundamentum et radix totius theologiae. »

e) GOUDIN, *Philosoph.* P. 3. q. 2. a. 3. : « Celebris est haec quaestio, unaque ex fundamentalibus doctrinae sancti Thomae. »

f) SYLVEST. MAURUS, *Quaest. Philosoph.* col. 2. q. 6. : « Qui etiam (D. Thomas) I. Part. totam doctrinam de infinitate et perfectionibus Dei, de limitatione atque imperfectionibus creaturarum fundat in hoc, quod Deus sit suum *esse* ; secus creaturae. »

g) LIBERATORE, *Metaph. general.* cap. 1. a. 3. : « Quod autem haec sententia sit ex punctis non levis momenti doctrinae eius, apparet tum quia Sanctus Doctor ipsam saepissime inculcat, tum quia inde desumit plerumque argumenta ad perfectiones praesertim divinas demonstrandas. »

h) Cardinalis LORENZELLI, *Metaph. general.* P. 2. lect. 4. : « Momentosissima est conclusio superius posita, ita ut Sanctus Thomas eam habeat ceu fundamentalem in scientia metaphysica de Deo et de creaturis. »

i) Cardinalis GONZALEZ, *Philosoph. element. Metaph. general.* cap. 1. a. 2. : « Hanc thesim Angelicus Doctor habet tamquam veritatem fundamentalem philosophiae christianae ;

eam sexcentis plus minus locis vehementer propugnat ; ac ex eadem colligit ac constituit unam e differentiis primariis, quibus Deus a creaturis secernitur [1]. »

[1] Quod semel atque iterum asseverat Card. GONZALEZ in suo magistrali opere, *Estudios sobre la filosofia de Santo Tomas*, t. I. lib. 2. Ontologia, cap. 6. his verbis : « Aunque no pretendo imponer á nadie el yugo de la autoridad, ni es mi ánimo ventilar la cuestion por este medio, me permitiré observar sin embargo para aquellos lectores que tengan formado de la doctrina de Santo Tomás un concepto digno de su profundidad y solidez, que éste es *uno de los puntos capitales* de su elevada filosofia. En todas partes, en cien lugares de sus obras, establece explicitamente, con toda la claridad que desearse puede, la distincion real entre la esencia y la existencia de las criaturas, mirando siempre la identificacion entre estas dos cosas como un atributo particular de la Divinidad, y parece que se complace en dilucidar esta cuestion interessante. » Quod etiam asserit in sua *Filosofia elemental* (T. II. pag. 25. ed. 1876). « No es posible en un Compendio elemental presentar, ni menos desarrollar las varias pruebas y raciocinios con que Santo Tomás establece esta *Conclusion*, á la que considera como *una de las afirmaciones más fundamentales* de la Filosofia cristiana. » — Dr RITTLER, in opusculo *Wesenheit und Dasein* concludit quoque his verbis : « Die Lehre des hl. Thomas vom realen Unterschiede zwischen Wesenheit und Sein in den Geschöpfen ist nicht nur ein integrierender Bestandteil seiner Metaphysik, sondern ein Fundamental-Princip der gesamten thomistischen Philosophie » (pag. 117, ed. 1887). — P. DENIFLE, *Archiv. II.* pag. 487 : « Diese Lehre ist eine der Grundlehren des hl. Thomas geworden, die überall in seinen Werken hervorleuchtet. » — M. DE WULF, *Hist. de la philosophie médiévale* (2. éd. 1905, pag. 344, n. 288) « *Essence et Existence.* Cette composition, laissée dans l'ombre par Aristote, fait l'objet de délicates discussions... Cette thèse (de la distinction réelle) n'est une trouvaille de Thomas d'Aquin, puisqu'on la rencontre chez maint représentant de l'ancienne scolastique. (Voir la dissertation de SCHINDELE, citée nº 310. Suivant l'auteur, Thomas s'inspire du pseudo-Denys et de Boèce. Notons que si l'idée de participation d'être se rencontre chez le pseudo-Denys, on n'y trouve pas l'étude comparée de l'essence et de l'existence.) Mais personne n'en a mieux pénétré la profondeur. Et si on considère l'architecture générale du thomisme, on est frappé du rôle organique et unificateur de cette thèse vis-à-vis d'autres thèses principales de la scolastique. La distinction réelle de l'essence et de l'existence met en relief la contingence de la créature ; elle sauvegarde l'unité d'existence dans les êtres composés de matière et de forme, c'est-à-dire d'éléments consubstantiels incomplets et irréductibles, et dans les êtres qui exercent leurs activités par des facultés réellement distinctes entre elles. » — CAIETANUS vero in *I. Part.* q. 3. a. 4. ita etiam loquitur : « Et scito, quod ista quaestio est subtilissima et propria antiquis metaphysicis, a modernulis autem valde aliena, quia tenent non

IV

Totius operis scopus et divisio atque dedicatio.

Operis scopus. — Hoc praecipue intendimus, quod Leo XIII. in suis Litteris Encyclicis *Aeterni Patris* omnes enixe hortatur, videlicet « ut ad catholicae fidei tutelam et decus, ad societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum aurea Sancti Thomae sapientiam restituatis et quam latissime propagetis. Sapientiam Sancti Thomae dicimus... Doctrinam Thomae Aquinatis studeant magistri in discipulorum animos insinuare, eiusque prae ceteris soliditatem atque excellentiam in perspicuo ponant. Eandem Academiae a vobis institutae aut instituendae illustrent ac tueantur, et ad grassantium errorum refutationem adhibeant. Ne autem supposita pro vera, neu corrupta pro sincera bibatur, providete, ut sapientia Thomae ex ipsis eius fontibus hauriatur, aut saltem ex iis rivis, quos ab ipso fonte deductos adhuc integros et illimes decurrere certa et concors doctorum hominum sententia est ; sed ab iis, qui exinde fluxisse dicuntur, re autem alienis et non salubribus aquis creverunt, adolescentium animos arcendos curate. »

Hoc, inquam, intendimus, quod Pius X. in suis Litteris *Pascendi Dominici gregis* et *Sacrorum Antistitum* iterum atque iterum commendat, dicens : « Quod rei caput est, philosophiam scholasticam, quam sequendam praescribimus, ea praecipue intelligimus, quae a Sancto Thoma Aquinate

solum in Deo, sed in omni re essentiam identificari existentiae illius. » — B. Albertus Magnus, *I. De Caus.* tract. 1. cap. 8. Boëtii documenta tenens, scribit : « Multi alii hoc dicunt, quod Boëtius dicit, licet non intelligant, quomodo in omni eo quod est citra Primum, aliud sit *esse* et *quod est* ; in Primo autem idem penitus. » — En igitur quaestionem, quae, tametsi *propria antiquorum metaphysicorum*, singulariter tamen *propria* D. Thomae dicenda est ; quippe qui ipsam ab antiquis equidem acceptam, profundius tamen introspexit, mirifice evolvit, omni ex parte complevit. Angelicus enim Doctor, qui philosophicas conclusiones speculatus est in rerum rationibus et principiis, quae quam latissime patent, hanc de *Esse et Essentia* quaestionem, quasi *lapidem angularem* totius Christianae Philosophiae dolavit, perfecit atque expolivit, inque omnium magnarum quaestionum fundamentum iecit et solide collocavit.

est tradita : de qua quidquid a Decessore Nostro sancitum est, id omne vigere volumus et, qua sit opus, instauramus et confirmamus, stricteque ab universis servari iubemus. Episcoporum erit, sicubi in Seminariis neglecta haec fuerint, ea ut in posterum custodiantur urgere atque exigere. Eadem religiosorum Ordinum moderatoribus praecipimus. Magistros autem monemus, ut rite hoc teneant, Aquinatem vel parum deserere, praesertim in re metaphysica, non sine magno detrimento esse. *Parvus error in principio*, sic verbis ipsius Aquinatis licet uti, *est magnus in fine* (*De Ente et Essentia*, prooem.). »

Unde nobis quidem satisfiet, modo vel minimam interponamus operam ad haec supra insinuata Romani Pontificis, qui Christi vices gerit in terris, desideria praeceptaque adimplenda : « Longe lateque fluat Angelici Doctoris excellens sapientia, qua opprimendis opinionibus perversis nostrorum temporum fere nihil aptius, conservandae veritati nihil efficacius [1]. »

Operis divisio. — Ut autem quaestio haec magna, quae caput est totius Metaphysicae Angelici Doctoris, omnibus sit nota, momentumque ipsius in Philosophia D. Thomae omnibus quaerentibus veritatem plane fiat manifestum, opus hocce quod prae manibus scribendum habemus, ita in quinque distinguimus ac dividimus libros, in quorum :

I. De reali substantiae et esse compositione in omnibus quae sub Primo Ente sunt, tractabimus. — In hoc itaque Primo Libro ipsamet totius quaestionis fundamenta ab Angelico Doctore praeiacta suis propriis oculis introspicere poterit sapiens lector ac contemplari. Etenim hic quaestionis sensus definitur ; quaenam sit D. Thomae mens aperte ostenditur ; atque argumenta, quae ab ipso D. Thoma elaborata sunt et conscripta, in medium depromuntur et ad litteram offeruntur legentibus meditanda, iterumque mente volvenda.

II. De fundamento primae divisionis entis realis in Ens per essentiam et in ens per participationem, pertractando disse-

[1] Leo XIII. Motu proprio *Placere Nobis*, 18 ianuar. 1880.

remus. — In hoc Secundo Libro magis declarabitur materia Primi, magisque in perspicuo ponetur profundum huius momentosae quaestionis. Equidem manifeste apparebit identitatem substantiae et *esse* in Deo et realem utriusque compositionem in omnibus aliis, praeter Deum, revera constituere lapidem angularem, supra quem firmiter stabilitur prima divisio entis realis in duo membra suprema atque extrema et totaliter opposita, nimirum : Ens a se et ens ab alio ; ens necessarium et contingens ; finitum et infinitum ; creatum et increatum ; per participationem et per essentiam. Hic declarantur a radice ideae primariae ac directrices mentis humanae et signatur *Alpha* et *Omega* totius Ontologiae.

III. De Ente per essentiam, quod est Deus, agemus. — In hoc Tertio Libro gradum faciendo ad culmen Philosophiae Primae attingendum nobis est, ubi profecto fulgebit nota characteristica, qua Ens per essentiam secernitur ab omnibus quae nonnisi per participationem *esse* habere possunt. In termino namque quinque viarum, quibus Dei existentia demonstrative probatur, splendet atque emicat, luce meridiana clarius, identitas essentiae et existentiae tamquam nota propria et incommunicabilis Primi Motoris et Primi Efficientis et Primi Necessarii et Primi Entis et Primi Intelligentis ; atque exinde evidenter demonstratur, quod necesse est omnia entia per participationem causari secundum totam suam entitatem ab Ente per essentiam.

IV. De ente per participationem, quod est creatura, peragemus. — In hoc Quarto Libro, ex altitudine considerationis Entis per essentiam ad entia per participationem consideranda descendentes, videbimus qualiter opposita iuxta se posita maioris lucis splendore elucescant. Si enim ratio propria Entis per essentiam in identitate essentiae et *esse* consistit, abs dubio, quod propria ratio entis per participationem in reali essentiae et *esse* compositione radicatur. Regredientes itaque per illas quinque vias, per quas ad Deum ascendimus, reperiemus profecto omnia, praeter Deum qui in summitate viarum solium tenet, constare actu et potentia, cuius quidem compositionis fundamentum iacet positum in compositione entis in quantum entis. Unde quinque viae, quibus Deum esse evidenter probari potest, videntur esse sicuti quinque

scalae fixae in creaturis et stantes super realem compositionem actus et potentiae in linea entis, et pertingentes per creationem rerum universarum ad Deum qui, utpote Esse Subsistens, est causa essendi omnibus. Quoniam ergo omnia, praeter unum quod est Deus, componuntur ex *esse* et *quod est*, ideo omnia entia per participationem, utpote composita ex eo quod participat *esse* et ex *esse* quod participatur, indigent, ut sint, creari ; atque, ut operentur, physice praemoveri seu ad operandum applicari. Atque ita quaestiones capitales, quae ordinem tam essendi quam operandi creaturarum respiciunt, veniunt postremo resolvendae in quaestionem de essentia et *esse*.

V. De ipsa veritate fundamentali Philosophiae Christianae relate ad sacram Doctrinam, sermonem faciemus. — In hoc denique Libro Quinto examinare oportet, qualiter ex principiis doctrinalibus in philosophia anticipatis et propugnatis proceditur deinde in Sacra Theologia ad veritates supernaturales divinitus revelatas explicandas et propugnandas et rationabiliter exponendas. Ex veris notionibus entis, et essentiae, et substantiae, et *esse*, et personae seu hypostasis, et huiusmodi : quis non videt pendere rectam declarationem et expositionem mysteriorum fidei, ut Trinitatis et Incarnationis, et transsubstantiationis, et visionis Divinae Essentiae, quas in Sacra Theologia necesse est recte ac convenienter fieri ? Tunc facilius erit intelligere gravem illam admonitionem Pii X. iam supra transscriptam, nempe : « Magistros autem monemus, ut rite hoc teneant, Aquinatem vel parum deserere, praesertim in re metaphysica, non sine magno detrimento esse. »

Operis dedicatio. — Haec igitur quaestio, in qua D. Thomas attingit ipsas radices Philosophiae Primae, atque totius Metaphysicae ponit fundamentum, adnumerari debet inter illa « *studia quae*, ut Plato in *Convivio* eloquitur, *mentes acutas generosasque reddunt.* » Quaestionis huiusce magna adeo est utilitas, grave ita momentum, ut in doctrina philosophica Angelici Doctoris omnia ex illa oriri videantur, omnia dependere appareant, atque in illam, dum evolvuntur, omnia iterum redeant. Totius namque Metaphysicae, totius perinde Philosophiae scito hic cardinem verti. Est enim

veritas fundamentalis ; veritas nimirum infinitarum fere veritatum semina suo veluti gremio concludens, ita quod, licet non sit prima in *via inventionis*, ex illa tamen iam cognita praecipue Philosophiae Christianae veritates enascuntur et profluunt ; veritas porro prima *in via iudicii*, eo quod inter causas altiores scientificae cognitionis summum videtur occupare locum. Agitur, abs dubio, hic de *veritate* quae simul est *alpha* et *omega*, fundamentum et corona totius Philosophiae Christianae. Hinc paratur via ad recte loquendum de Deo ac divinis perfectionibus, atque ad secure et fructuose perscrutandum initium ac processionem omnium rerum a Deo per creationem. Platonis certe est hic locus repetendi verba, quae ex ore Socratis proferuntur in dialogo *Timaeus* [1] : « *Socrates:* Copiosam et splendidam disputationis mensam apparavisse mihi videris. Tua ergo interest, o Timaee, invocatis secundum legem diis, disputationem iam exordiri. — *Timaeus:* Probe consulis, Socrates. Nam cum omnes qui mentis quoquo modo compotes sunt, in operis cuiuslibet vel magni vel parvi principio invocare Deum soleant, quanto nos aequius est de *Universo* disputaturos, nisi forte desipimus, invocare divinam opem ? Ergo deos omnes deasque precamur ; in primis quidem, ut ea dicantur a nobis, quae illis placeant ; deinde, ut nobis ipsi constemus. Et quoad nos spectat, poscendum est, ut et vos facile assequamini, et ego secundum mentis propositum rem ipsam, qua de agitur, transigam. Aequum est meminisse, et me qui disseram, et vos qui iudicabitis, homines esse ; ut si probabilia dicentur, nihil ulterius requiratis... — Deum igitur etiam nunc disputationis servatorem in primis oremus, ut nos ex admirabili et insolita expositione ad verisimilem doctrinam traducat ; atque ita instituti, disputationem exordiamur. »

— Exordiamur itaque hanc certe copiosam splendidamque totius Philosophiae Primae disputationem ; atque ad Socratis instar de *Pulchro* disserentis, Verbum Dei, ac *Pulchrum* [2] eius, Patrisque splendorem [3], qui caro factus nos homines dixit *amicos* [4], sic alloquendo exoremus : *O amice*

[1] Translat. Marsilii Ficcini.
[2] Zachar. 9, 17.
[3] Hebr. 1, 3.
[4] Joan. 15, 15.

Deus! Da mihi, ut pulcher intus efficiar, et quaecumque extrinsecus habeo, intrinsecis sint amica [1]. — **Verbo** igitur **Dei,** quod erat in principio apud Deum [2] et fons sapientiae in excelsis [3]; — **Filio Dei** et **Deo vero,** qui factus homo in terris visus est, et cum hominibus conversatus est [4], ac pertransiit benefaciendo [5], cuius gloriam vidimus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, pleni gratiae et veritatis; — simul atque **Virgini-Matri Mariae,** in cuius castissimis visceribus Verbum caro factum est, et de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus [6], quaeque proinde *Sedes sapientiae* et *Mater pulchrae dilectionis et timoris et agnitionis et sanctae spei* in Sacris Eloquiis [7] appellatur : hocce quale id cumque opus offerimus, dicamus et consecramus. Quoniam ipse Deus scientiarum Dominus est; et Ipse sapientiae dux et sapientium emendator; in Ipso omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi; Ipse, via et veritas et vita; Ipse, unus magister noster qui in coelis est Christus; qui pro omnibus mortuus est, ut et qui vivunt, iam non sibi vivant, sed Ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit : qui factus est nobis sapientia a Deo, et iustitia, et sanctificatio, et redemptio; ut quemadmodum scriptum est : *Qui gloriatur, in Domino glorietur* [8].

Friburgi Helvetiorum, in festo gloriosae Resurrectionis Domini nostri ac Redemptoris Iesu Christi, 16. Aprilis anno post Virginis partum 1911.

Fr. N. del PRADO, O. P.

[1] Plato, *Phaedrus*, circa finem.
[2] Ioan. 1, 2.
[3] Eccli. 1, 5.
[4] Baruch. 3, 38.
[5] Act. 10, 38.
[6] Math. 1, 16. — Ioan. 1, 14.
[7] Eccli. 24, 24.
[8] *I.* Reg. 2, 3. — Sap. 7, 15. — Ioan 14, 6. — Colos. 2, 3. — Math. 23, 8. — 1. Cor. 1, 30 et 31. — II. Cor. 5, 15.

LIBER PRIMUS

DE REALI COMPOSITIONE SUBSTANTIAE ET ESSE IN OMNIBUS QUAE SUB PRIMO ENTE SUNT

PROLOGUS

Veritas dilucidanda. — Veritas enim illa, quae maximum est fundamentum doctrinae philosophicae D. Thomae, quamque dilucidandam aggredimur, duas complectitur partes, quarum una ex alia necessario infertur atque altera per alteram veluti per sibi oppositam magis elucescit. Prima quidem huius veritatis pars sic se habet : **In Deo esse et essentia sunt idem**. Pars autem secunda : **In omnibus aliis differt essentia rei et esse eius.** — En veritatem, quam ipsemet Angelicus Doctor non dubitat appellare *sublimem*, dum, postquam valida ac plena robore ad utramque veritatis partem ostendendam attulerit argumenta *I. C. Gent.* cap. 22. et *II. C. Gent.* cap. 52., argumentationis suae processum claudit his verbis : « Hanc autem sublimem veritatem Moyses a Domino est edoctus, qui, cum quaereret a Domino dicens : *Si dixerint ad me filii Israel: Quod est nomen eius ? quid dicam eis ?* Dominus respondit : *Ego sum qui sum; sic dices filiis Israel :* **Qui est** *misit me ad vos* (*Exod.* III, 13-14), ostendens suum proprium nomen esse : **Qui est**. Hinc est, quod proprium nomen Dei ponitur esse **Qui est** ; quia eius solius proprium est quod sua substantia non sit aliud quam suum esse. »

Quaestionis difficultas. — Compositio autem haec rerum omnium, praeter Deum cuius substantia est suum esse, est compositio rerum quatenus sunt *entia*. Ens vero est, cuius

actus est *esse*. *Esse*, actum quendam nominat. Per *esse* suum de quolibet dicitur quod *est;* per *essentiam* vero suam de quolibet dicitur *quid* sit. Rerum ergo compositio in linea entis est compositio duorum, quibus res ipsae realiter constituuntur in ratione entis completi ac subsistentis. De rebus enim, quarum natura est substantia, cuius quidditati competit esse non in alio, controversia praesertim agitatur. In qua quidem controversia D. Thomas subsequentem profert sententiam, nimirum, quod ens, cuius essentia sit substantia, nisi realiter componeretur ex substantia et esse quod est complementum substantiae existentis, esset : 1° unum solum ; 2° infinitum ; 3° increatum ; 4° necessario existens ; 5° actus purus ; 6° ipsamet Dei substantia [1].

Quaestionis momentum. — Etenim, ut facile quisque perspicere valet, quaestio ista tangit simul radicem ac verticem Philosophiae Primae. Agitur namque de compositione rerum in linea entis, quae est quid fundamentale ac necessario praerequisitum ad quamcumque aliam rerum compositionem, sive realem sive logicam. Agitur de compositione sine qua redditur impossibilis *ratio causati;* quia, ut docet D. Thomas I. q. 3. a. 7. ad 1. : « Est autem hoc de ratione causati, quod sit aliquo modo compositum, quia ad minus *esse* eius est aliud quam *quod quid est* ». Inde clare apparet, quod ex convenienti huius momentosae quaestionis resolutione, dum occluditur introitus ad errorem pantheismi, via paratur lata et spatiosa ad veritatem creationis demonstrative probandam. Immo, si mente sedula profundum disputationis introspiciatur, perspicue videbitur realem essentiae et esse compositionem constituere lapidem angularem illius *quartae viae*, ex gradibus qui in rebus inveniuntur sumptae, per quam ascendit D. Thomas usque ad Deum cuius substantia est esse, et qui, utpote Esse Subsistens, omnibus entibus est causa essendi et bonitatis et cuiuslibet perfectionis [2].

[1] *II. C. Gent.*, cap. 52.
[2] *Summa Theol.* I. q. 2. a. 3.

D. Thomas sui ipsius interpres. — Ut ergo tanti momenti quaestio, alta, ut oportet, ac generosa mente pertractetur, hanc diligenter dabimus operam, ut D. Thomas ipse sit interpres sui ipsius. D. Thomae proinde erunt argumenta in medium depromenda ; D. Thomae etiam erunt ipsaemet argumentorum explanationes ; atque ita per totum operis decursum D. Thomam audiemus perpetuo loquentem, qui, utpote sapientissimus, *quaesivit* semper *verba utilia et conscripsit sermones rectissimos ac veritate plenos* [1].

[1] Eccle. 12, 10.

CAPUT PRIMUM

Notiones praeviae ad sensum quaestionis definiendum.

I

Essentia. — Ens. — Esse, actus essentiae, a quo omnia denominantur entia.

PRIMO : **Quotuplici modo dicatur esse.** — Sciendum, quod *esse* dicitur tripliciter :

Uno modo *esse* dicitur secundum quod significat veritatem compositionis in propositionibus, secundum quod *est* dicitur nexus vel coniunctio praedicati cum subiecto ; et hoc *esse* non est in re, sed in intellectu componente et dividente ; attamen fundatur in ipsa entitate rei.

Secundo modo dicitur *esse* ipse actus essentiae ; sicut *vivere*, quod est *esse* viventibus, est animae actus ; non quidem actus secundus, qui est operatio, sed actus primus. Et hoc quidem *esse* pertinet ad naturam rei et est in re ipsa ; et est actus resultans ex principiis rei, sicut *lucere* est actus lucentis.

Tertio modo dicitur *esse* ipsa quidditas vel natura rei ; sicut dicitur quod definitio est oratio significans *quod quid est res ;* definitio enim quidditatem rei significat. Etenim aliquando sumitur *esse* pro essentia secundum quam res est, quia per actus consueverunt significari eorum principia, ut potentiae vel habitus. Unde *esse* hoc modo dictum significat substantiam rei, formam, quidditatem vel naturam ; sicut humanitas est essentia hominis [1].

[1] *I. Sent.* dist. 33. q. 1. a. 1. ad 1. — *III. Sent.* dist. 6. q. 2. a. 2.

SECUNDO : **Quid nomine essentiae, formae, quidditatis, naturae communiter significetur.** — Per haec nomina venit significandum aliquid commune omnibus rebus, per quod diversa entia in diversis generibus et speciebus collocantur, sicut humanitas est essentia hominis, et sic de aliis. Et quia illud, per quod res constituitur in proprio genere vel specie, est quod significamus per definitionem indicantem quid est res, ideo nomine *quidditatis* exprimitur. Dicitur etiam *forma*, secundum quod per formam significatur perfectio vel certitudo uniuscuiusque rei. Dicitur *essentia*, secundum quod per illud et in illo res habet esse. Dicitur quoque *natura*, secundum quod per illud res habet ordinem ad propriam operationem, cum nulla res propria operatione destituatur [1].

TERTIO : **Quid nomine entis significetur.** — Aliquid enim dicitur *ens*, quia in se subsistit ; aliquid autem, quia est principium subsistendi, ut forma ; aliquid vero, quia est dispositio subsistentis, ut qualitas. Unde omnia denominantur entia ab *esse* : vel quia sunt ipsum *esse*, vel quia habent *esse*, vel quia dicunt aliquem ordinem ad *esse*. Atque hoc nomen *ens*, secundum quod importat rem cui competit huiusmodi *esse*, sic significat essentiam rei ; et dividitur per decem genera, non tamen univoce, quia non eadem ratione competit omnibus *esse*, sed substantiae quidem per se, aliis autem aliter. Quapropter *ens* absolute et primo dicitur de substantiis, et posterius et secundum quid de accidentibus ; inde est, quod *essentia* proprie et vere est in substantiis ; sed in accidentibus est quodam modo et secundum quid. Substantiarum vero quaedam sunt simplices, et quaedam compositae, et in utrisque est *essentia* ; sed in simplicibus veriori et nobiliori modo. Ipsum autem *esse* se habet ut actus, tam ad naturas compositas quam ad naturas simplices [2].

QUARTO : **Quid sit esse, quod est actus essentiae et a quo omnes res denominantur entia.** — 1° *Esse est actus omnium.*

[1] Opusc. *De Ente et Essentia* cap. 1.

[2] I. q. 45. a. 4. — *Quodl.* 2. a. 3. — *De Verit.* q. 21. a. 4. — *De Ente et Essentia* cap. 2. — *Qu. Disp. De spirit. creatura*, a. 8. ad 3.

Quia est actualitas omnis formae vel naturae ; non enim bonitas vel humanitas significatur in actu nisi prout significatur eam esse. Nam humanitas vel igneitas potest considerari ut in potentia materiae existens, vel ut in virtute agentis, vel etiam ut in intellectu ; sed ex hoc quod habet *esse*, efficitur actu existens. Quaelibet igitur forma signata non intelligitur in actu nisi per hoc, quod esse ponitur. Unde patet, quod hoc, quod dico *esse*, est actualitas omnium actuum et omnium rerum.

2° *Esse est inter omnia perfectissimum.* Quia actus est semper perfectior potentia, et *esse* comparatur ad omnia ut actus. Cum igitur *esse* sit actualitas omnium rerum et omnium formarum et omnium actuum, ideo propter hoc est perfectio omnium perfectionum. Ac omnes perfectiones pertinent ad perfectionem essendi ; etenim secundum hoc aliqua perfecta sunt, quod aliquo modo *esse* habent.

3° *Esse non determinatur per aliud sicut potentia per actum, sed sicut actus per potentiam.* *a*) Quia *esse* comparatur ad omnia ut actus ; nihil enim habet actualitatem nisi in quantum est. *b*) Quia exinde non comparatur ad alia sicut recipiens ad receptum, sed magis sicut receptum ad recipiens. Cum enim dico *esse* hominis vel equi vel cuiuscumque alterius, ipsum *esse* consideratur ut formale et receptum, non autem ut *illud* cui competit *esse*. *c*) Quia *ei*, quod dico *esse*, non est possibile ut aliquid addatur quod sit eo formalius, ipsum determinans, sicut actus potentiam. *Esse* enim quod huiusmodi est, est aliud secundum essentiam ab eo cui additur determinandum. Nihil autem potest addi ad *esse* quod sit extraneum ab ipso, cum ab eo nihil sit extraneum nisi *non ens*, quod non potest esse nec forma nec materia. Unde non sic determinatur *esse* per aliud, sicut potentia per actum, sed magis sicut actus per potentiam. Et inde est, quod in definitione formarum ponuntur propriae materiae loco differentiae, sicut cum dicitur : *Anima est actus corporis physici organici.* Ac per hunc modum *hoc esse* ab *illo esse* distinguitur in quantum est talis vel talis naturae.

4° *Esse est actus ultimus.* *a*) Quia est actus omnium

actuum, et inter omnia perfectissimum, et non determinatur per aliud nisi sicut actus per potentiam. *b*) Quia nihil potest addi ei quod sit eo formalius. *c*) Quia participabilis est ab omnibus, ipsum autem nihil participat. Unde, si sit aliquid quod sit ipsum *Esse* subsistens, sicut de Deo dicimus, nihil participare dicimus. Non autem est similis ratio de aliis formis subsistentibus, quas necesse est participare ipsum *esse* et comparari ad ipsum ut potentiam ad actum ; et ita, cum sint quodammodo in potentia, possunt aliquid aliud participare.

5° *Esse est illud quod est magis intimum cuilibet et quod profundius omnibus inest.* *a*) Quia *esse* est formale respectu omnium quae in re sunt. *b*) Quia *esse* est magis intimum cuilibet rei, quam ea per quae *esse* determinatur. *c*) Quia *esse* est actus *essentiae*, et ad omnia interiora rei intrat actuando. Et ideo *esse* formalius se habet ad rem constituendam in linea entis quam ipsa forma rei quae hoc ipsum *esse* dat, vel materia cui datur ; ex quibus compositum resultat, cuius est hoc *esse* ut entis. Intimius ergo ad rem ipsam, quae est ens, inter omnia est ipsum *esse ;* et post ipsum, ipsa *forma* rei, qua res habet ipsum *esse ;* et ultimo, ipsa materia quae, licet sit fundamentum in re, inter omnia ab ipso tamen *esse* rei magis distat.

6° *Esse est nobilius quam vivere et intelligere, et per se esse est primum et dignius quam per se vita et per se sapientia.* *a*) Quia quaecumque participant aliis participationibus, primo participant ipso *esse ;* prius enim intelligitur aliquod *ens* quam *unum*, *vivens* vel *sapiens ;* viventia enim et sapientia non tantum habent vitam et sapientiam, sed cum vita et sapientia simul habent *esse*. *b*) Quia ipsum *esse* comparatur ad *vivere* et ad *intelligere* et ad alia huiusmodi, sicut participatum ad participans ; nam etiam ipsum *vivere* et *intelligere* est *quoddam esse*. Et sic *esse* prius et simplicius est quam vita et intelligentia et alia huiusmodi ; et comparatur ad ea ut *actus* eorum. Utique, *vivens* est nobilius quam *ens*, et *intelligens* nobilius quam *vivens ;* quia ens clauditur in vivente, et vivens in intelligente ; intelligens namque est vivens et ens, et non e converso ; nam non omne ens est

vivens, nec omne vivens est intelligens. Attamen *per se esse* claudit per se vitam et per se sapientiam ; et *esse subsistens* continet omnem perfectionem vitae atque intelligentiae ; quia et ipsum vivere ac intelligere pertinent ad perfectionem essendi [1].

II

Relationes inter essentiam, suppositum et esse.

PRIMO : **Quorum sit, proprie loquendo, esse.** — *Esse* est ergo illud a quo omnia denominantur entia, et quo omnia formaliter sunt, et quo proinde omnia sunt entia in actu. Esse autem entia in actu contingit dupliciter : 1° *proprie ;* 2° *communiter.*

Communiter quidem vocatur ens in actu omne quod quomodolibet extra causas suas est. *Proprie* autem illud tantum dicitur ens in actu, cuius proprie est *esse*, quod sc. est per seipsum, non quia aliquid est alicuius. Unde illis proprie convenit esse, quibus convenit fieri et creari ; et illis proprie convenit fieri et creari, quibus convenit esse. Nam fieri est via ad *esse* rei ; etenim tam factionis quam creationis terminus est *esse.*

Proprie itaque loquendo *esse* non convenit nisi rebus subsistentibus, id est, substantiis quae in suo esse subsistunt ; sive substantiae sint simplices ut substantiae intellectuales, sive sint compositae ut substantiae materiales ac corporeae. Sicut ergo *creari et fieri*, ita et *esse* est proprium compositorum et subsistentium.

Communiter autem dicuntur etiam *esse* formae et accidentia et alia huiusmodi, sed eo modo quo dicuntur *entia ;* non quasi ipsa sint, sed quia eis aliquid est ; non quia ipsa habeant *esse* aut subsistant in suo esse, sed quia eis subiectum vel compositum est ens, bonum, hoc vel illud : ut *albedo* ea ratione dicitur *ens*, quia ea subiectum est album. Quamob-

[1] I. q. 4. a. 1. ad 2. ; q. 8. a. 1. ; q. 7. a. 1. — I.-II. q. 2. a. 5. ad 2. — *II. Sent.* dist. 1. q. 1. a. 4. — *De Pot.* q. 6. a. 2. ; *De Anima* a. 6. ; *De Verit.* q. 20. a. 2. — *De div. nominib.* cap. 5. lect. 1.

rem accidentia et formae ipsae substantiales, quae sine materia non valent sustentare *esse*, magis dicenda *entis entia*, quam *entia;* quia sunt dumtaxat partes, vel substantiales vel accidentales, totius compositi vel rei subsistentis, cuius proprium est *esse*. Unde *esse* proprie et vere non attribuitur nisi rei per se subsistenti ; et illud proprie dicitur esse, quod habet ipsum *esse*, quasi in suo *esse* subsistens [1].

Secundo : **Quomodo se habeat esse ad essentiam et ad subsistentiam sive rem subsistentem, quae dicitur suppositum vel hypostasis.** — 1° *Subsistentia* idem est quod res subsistens, quod est proprium hypostasis. Hypostasis autem vel suppositum, quod in natura intellectuali vocatur *persona*, significatur ut totum habens naturam, sicut partem formalem et perfectivam sui ; et propter hoc in compositis ex materia et forma, natura non praedicatur de supposito ; non enim dicimus quod hic homo sit sua humanitas.

2° *Esse* autem pertinet et ad naturam sive essentiam, et ad subsistentiam sive hypostasim. Ad hypostasim quidem sive subsistentiam, sicut ad id *quod* habet *esse;* ad naturam autem vel essentiam, sicut ad id *quo* aliquid habet *esse*. Natura enim significatur per modum formae, quae dicitur *ens* ex eo, quod eâ aliquid est ; sicut albedine est aliquid album et humanitate est aliquid homo.

3° *Esse* pertinet ad ipsam constitutionem personae vel suppositi, et sic quantum ad hoc se habet in ratione termini ; et ideo unitas personae requirit unitatem ipsius *esse* completi et personalis.

4° *Esse* autem proprie est rei subsistentis ; nam forma quae non subsistit, dicitur esse solum, quia eâ aliquid est ; persona autem vel hypostasis significatur per modum subsistentis ; natura autem significatur per modum formae, qua aliquid subsistit.

5° *Esse* est id, in quo fundatur unitas suppositi ; unde *esse* multiplex praeiudicat unitati. Hoc autem unum *esse*

[1] Cfr. I. q. 45. a. 4. ; q. 90. a. 2. — III. q. 11. a. 5. ad 3. — *IV. Metaph.*, lect. 1. — *De Pot.* q. 3. a. 1. ad 12. — *Quodl.* 9. a. 3.

substantiale, quod est proprium suppositi, resultat ex his, ex quibus suppositi unitas integratur. *Esse* tamen non est de ratione suppositi [1].

TERTIO : **Substantiae compositae ex materia et forma, et substantiae quae sunt formae sine materia subsistentes.** — 1° In substantiis enim ex materia ac forma compositis tria invenimus, sc. : *materiam, formam*, et ipsum *esse*. Cuius quidem principium est forma ; nam materia, ex hoc quod recepit formam, participat *esse*. Sic igitur *esse* consequitur formam.

2° Nec tamen forma est suum *esse*, cum sit eius principium. Et licet materia non pertingat ad *esse* nisi per formam, forma tamen, in quantum est forma, non indiget materia ad suum *esse;* sed indiget materia, cum sit talis forma quae per se non subsistit.

3° Per hoc enim in compositis ex materia et forma, forma dicitur esse *principium essendi*, quia est complementum substantiae, cuius actus est ipsum *esse;* sicut diaphanum est aëri *principium lucendi*, quia facit eum proprium subiectum luminis.

4° Unde in compositis ex materia et forma, nec forma potest dici *ipsum quod est*, nec etiam ipsum *esse;* forma tamen potest dici *quo est*, secundum quod est essendi principium. Ipsa autem tota substantia est *ipsum quod est;* et ipsum *esse* est quo substantia denominatur *ens*.

5° In substantiis autem intellectualibus ipsa forma est substantia subsistens ; ac perinde forma habet *esse*, et *esse* est in huiusmodi forma ; ipsum autem *esse* est actus formae et *quo* forma *est*. Ipsa namque essentia formae comparatur ad *esse* sicut potentia ad proprium actum. Et ita in formis per se subsistentibus invenitur et potentia et actus, in quantum ipsum *esse* est actus formae subsistentis, quae non est suum *esse*. Ac propter hoc in eis reperitur compositio ex *substantia* et *esse*, quae a quibusdam dicitur ex *quod est* et *esse* [2].

[1] III. q. 2. a. 2. et 3. ; et q. 17. a. 2. ; et q. 19. a. 1. ad 4. ; et q. 35. a. 1. — *Quodl.* 2. a. 3. et 4. — *Quodl.* 9. a. 3.

[2] *II. C. Gent.* cap. 54. — *De Anima.* a. 6. — *Quodl.* 2. a. 4.

QUARTO : **Essentia vel natura, subsistentia vel suppositum, et actus essendi vel esse.** — 1° Tam in substantiis ex materia et forma compositis, quam in substantiis spiritualibus quae ex materia et forma non componuntur, sed sunt simplices formae subsistentes, *suppositum* non est omnino idem quod ipsa *natura*. In compositis quidem ex materia et forma propter duo, videlicet : *a*) Quia determinativa et individuantia essentialium principiorum sunt praeter rationem speciei ; *b*) quia non sunt suum *esse*. In substantiis vero immaterialibus creatis, in quibus ipsa natura speciei non individuatur per materiam, sed per seipsam ex hoc quod talis forma non est nata recipi in aliqua materia, propter hoc dumtaxat unum, nempe : Quia ipsum *esse* angeli est praeter eius essentiam vel naturam. Exinde alia quaedam consequenter ei accidunt, quae omnino pertinent ad suppositum, non autem ad naturam. Quapropter suppositum et natura non sunt omnino idem in quibuscumque res subsistens non est suum *esse*.

2° Ipsum autem *esse* in creatis non est de ratione suppositi, sicut non est de ratione naturae ; attamen *esse* et alia quaedam ad suppositum pertinent et attribuuntur supposito, et non naturae. Propter quod suppositum in creatis non est omnino idem cum natura, etiamsi natura per seipsam individuetur. Et sic in creaturis essentia realiter differt a supposito [1].

III

Essentia et suppositum aliter se habent ad esse in Divinis et aliter in creatis.

PRIMO : **Quomodo essentia et suppositum se habeant ad esse in Divinis.** — In Divinis namque, in communicatione qua divina essentia vel natura communicatur : 1° Quia ipsa est per se subsistens, non requiritur aliquid materiale, per quod *subsistentiam* recipiat ; unde non recipitur in aliquo quasi

[1] *I. Sent.* dist. 5. q. 1. a. 1. — *Quodl.* 2. a. 4. — III. q. 4. a. 2. et 3. ; et q. 17. a. 2.

in materia, ut sic genitus aut procedens ab alio ex materia et forma inveniatur compositus.

2° Et quia iterum ipsa *essentia* est suum *esse*, non accipit *esse* per supposita in quibus est. Unde per unum et idem *esse* est in communicante et in eo cui communicatur ; et sic manet eadem secundum numerum in utroque.

3° Et quia persona divina est idem cum natura, in divinis personis non est aliud *esse* personae praeter *esse* naturae ; et ideo tres personae non habent nisi *unum esse*. Haberent autem triplex *esse*, si in eis esset aliud *esse* personae et aliud *esse* naturae.

4° Ea, quae in creaturis divisa sunt, in Deo sunt simpliciter *unum esse* ; sicut in creatura aliud est *essentia* et *esse*, et in quibusdam est etiam aliud quod subsistit in sua essentia et eius essentia sive natura ; nam hic homo, v. g. Socrates, non est sua humanitas nec suum *esse*, sed Deus est sua essentia et suum *esse*.

5° Et quamvis haec in Deo *unum* sint verissime, tamen in Deo est quidquid pertinet ad *rationem* vel substantiae, vel essentiae, vel ipsius *esse*. Convenit enim ei *non esse in aliis*, in quantum est subsistens ; *esse quid*, in quantum est essentia ; et *esse in actu*, ratione ipsius *esse*. In Deo igitur omnia sunt Deus : omnia, divina substantia ; omnia, ipsum Esse Subsistens ; et omnia, *Unum*, nisi ibi ubi obviat divinarum relationum oppositio.

6° Idcirco sunt plures res subsistentes, si relationes reales considerentur ; est autem una res subsistens, si consideretur essentia, quae est ipsum suum *esse* subsistens. Relationes autem quae distinguunt supposita in divinis, non addunt aliud *esse* praeter *esse* essentiae, quia non faciunt compositionem cum essentia.

7° Unde nullo modo concedendum est, quod in divinis sit nisi *unum esse*, cum *esse* semper ad essentiam pertineat, et praecipue in Deo, cuius *esse* est sua *essentia* [1].

[1] I. q. 3. a. 4. ; q. 39. a. 2. — III. q. 17. a. 2. — *I. Sent.* dist. 4. q. 1. a. 2. — *II. Sent.* dist. 8. q. 1. a. 2. — *De Pot.* q. 2. a. 1. ; q. 9. a. 5. — *IV. C. Gent.* cap. 11. et 14.

SECUNDO : **Quomodo essentia et suppositum se habeant ad esse in creatis.** — In creatis vero : 1° *esse* non est naturae, sed suppositi : quoniam esse consequitur naturam, non sicut habentem *esse*, sed sicut qua aliquid est ; suppositum autem sive hypostasim, sicut habentem *esse*.

2° Inde *esse* proprie est rei subsistentis ; forma autem vel natura dicitur esse ex consequenti, videlicet, in quantum in ea suppositum subsistit.

3° Et quoniam in creatis natura composita ex materia et forma, et ipsa forma subsistens, non sunt suum *esse*, ideo recipiunt *esse* per hoc quod in alio suscipiuntur ; et sic omnis essentia creata, ex eo quod non est suum *esse*, accipit *esse* per supposita in quibus est.

4° Unde, secundum quod essentia in diversis est, necessitate habet diversum *esse ;* et sic *humanitas* non est *una* in Socrate et Platone secundum *esse*, quamvis sit *una* secundum propriam *rationem*.

5° Diversitas ergo secundum *esse* sequitur pluralitatem suppositorum, sicut et diversitas essentiae in rebus creatis. *Unius* enim *essentiae* dici non possunt, nisi quorum est *unum esse*. Et cum in omni creatura differat *essentia* et *esse*, non potest essentia communicari alteri supposito nisi secundum *aliud esse*, quod est actus essentiae. Ita D. Thomas in locis supra citatis, et alibi passim.

IV

Quomodo omnia dicantur ens, et quomodo omnia addant supra ens, atque inveniantur in rerum naturis diversi modi entium.

PRIMO : **Duplex modus additionis ad ens.** — Illud enim, quod primo intellectus noster concipit quasi notissimum et in quo omnes conceptiones resolvit, est : *Ens*. Unde oportet, quod omnes aliae conceptiones intellectus accipiantur ex *additione ad ens*. Sed :

1° *Enti* non potest addi aliquid quasi *extranea natura*, per modum quo differentia additur generi, vel accidens subiecto ; quia *quaelibet natura essentialiter est ens*. Unde :

2° *Ens* non potest esse genus alicuius. Omne enim genus habet differentias, quae sunt extra essentiam generis. Nulla autem differentia potest inveniri quae esset extra *ens ;* quia *non ens* non potest esse differentia. Igitur :

3° Secundum hoc aliqua dicuntur *addere* supra ens, in quantum exprimunt ipsius *modum*, qui nomine ipsius entis non exprimitur. Hic autem modus exprimendi potest esse : 1° *generaliter*, consequens omne ens ; 2° *specialiter*, diversificans omnia entia.

Secundo : **Modus generalis.** — Hic autem modus consequens omne ens, sive in se sive in ordine ad aliud, constituit attributa sive proprietates transcendentes omnium entium. Et sic omne ens est : *a*) *res*, quia aliquam quidditatem vel essentiam habet ; *b*) *unum* et *aliquid*, quia individuum in se et divisum ab aliis ; *c*) *verum*, quia dicit vel dicere potest convenientiam ad intellectum ; *d*) *bonum*, per convenientiam ad aliquem appetitum.

Tertio : **Modus specialis.** — Per hunc vero modum specialiter exprimendi *ens*, significantur diversi gradus entitatis in naturis rerum, secundum quos accipiuntur *diversi modi* essendi ; et iuxta hos modos habentur diversa rerum genera. Sic nomine *substantiae* exprimitur quidam specialis modus essendi, sc. : *per se ens*, seu *quidditas cui competit esse non in alio*. Nomine vero *accidentis* exprimitur quidam specialis modus essendi, sc. : *ens in alio*, seu *quidditas cui competit esse in alio*. Ac neque substantia neque accidens addunt supra *ens* aliquam differentiam, quae significet aliquam naturam superadditam *enti ;* sed exprimunt aliquam naturam, essentiam vel quidditatem, quae *diversimode participant naturam entitatis et diversimode se habent ad esse ;* quod est actus entis, et ratione cuius omnia denominantur entia. *Ens* enim sumitur ab actu essendi, sicut nomen rei exprimit quidditatem sive essentiam entis. Consequenter :

QUARTO : **Multiplex essendi modus.** — Sunt enim *multi essendi modi;* et non omnia uno eodemque modo *sunt*, sed sat est unicuique entium esse modo sibi convenienti. Alio modo *sunt* substantiae, et alio modo accidentia ; et substantiae ipsae, sicut et accidentia, differunt deinceps ad invicem inter se in modo essendi. Alio modo *sunt* partes componentes, et alio modo compositum, licet partes non sint nisi in *esse* totius. Alio modo *sunt* naturae et formae, et alio modo supposita et hypostases ; ac omnibus et singulis competit consonus sibi essendi modus.

QUINTO : **Actus essendi et potentia participans actum.** — Omnia quae sunt, vel sunt ipsemet *actus* essendi, vel sunt potentiae participantes *actum* in linea entis. Atque inter ipsas diversas potentias participantes actum entis, quod est *esse*, diversitas est in modo participandi. Etenim *esse* est actus naturae vel essentiae, *ut principii quo;* suppositi autem vel personae, ut *subiecti quod*. Natura est principium *quo* immediatum ipsius *esse*, sed non est receptivum immediatum ipsius *esse*, sed mediante supposito vel hypostasi. Et quia omne quod est actu, vel est ipse actus vel est potentia participans actum, ideo vere dicitur : *Ens commune est quodammodo potentiae et actui*. Et iterum : *Potentia et actus dividunt ens, et quodlibet genus entis per actum et potentiam oportet distingui* [1].

V

Compositio ex esse et quod est.

PRIMO : **Quonam sensu dicatur, quod in omnibus creatis diversum est esse et quod est.** — D. Thomas, *De Verit.* q. 1. a. 1. ad 3. : « Cum dicitur : *Diversum est esse* et *quod est*, distinguitur actus essendi ab eo cui actus ille convenit. Ratio autem entis ab actu essendi sumitur, non ab eo cui convenit

[1] I. q. 75. a. 5. — *De Pot.* q. 3. a. 1. ad 12. — *V. Metaph.* lect. 7.

actus essendi. Ac rursus ibid. a. 4. ad 4. : « Cum dicitur : *Nulla res est sua veritas*, intelligitur de rebus quae habent *esse* completum in natura, sicut et cum dicitur : *Nulla res est suum esse*. Et tamen *esse* rei quaedam res creata est ; et eodem modo veritas rei aliquid creatum est. » Agitur ergo de rebus quae habent *esse* completum in natura et subsistunt in suo proprio esse, sicut supposita, hypostases, personae, v. g. hic homo *Socrates ;* atque agitur de distinctione, et quidem reali, inter duo quae dicuntur et sunt diversa, videlicet : *a*) *actus essendi ; b*) et *subiectum* cui convenit actus ille.

Secundo : **Compositio ex esse et quod est, est compositio duorum principiorum suppositi, quorum essentia est potentia et esse est actus.** — Quod ita perspicue declarat D. Thomas I. q. 50. a. 2. ad 3. : « Licet in angelo non sit compositio formae et materiae, est tamen in eo actus et potentia. Quod quidem manifestum potest esse ex consideratione rerum materialium, in quibus invenitur duplex compositio. Prima quidem *formae* et *materiae*, ex quibus constituitur natura aliqua. Natura autem sic composita non est suum *esse*, sed *esse* est actus eius. Unde ipsa natura comparatur ad suum *esse* sicut potentia ad actum. Subtracta ergo materia, et posito quod ipsa forma subsistat non in materia, adhuc remanet comparatio formae ad ipsum esse, ut potentiae ad actum. Et talis compositio intelligenda est in angelis. Et hoc est, quod a quibusdam dicitur, quod angelus est compositus ex *quo est* et *quod est*, vel ex *esse* et *quod est*, ut Boëtius dicit. Nam *quod est*, est ipsa forma subsistens ; ipsum autem *esse* est quo substantia est ; sicut cursus est quo currens currit. Sed in Deo non est aliud *esse* et *quod est*, ut supra ostensum est q. 3. a. 4. Unde solus Deus est actus purus. »

Tertio : **Compositio ex esse et quod est, est compositio duorum ad unum constituendum in linea entis subsistentis.** — Quod D. Thomas expresse docet *De Pot.* q. 7. a. 4. : « In qualibet autem creatura invenitur *differentia habentis et habiti*. In creaturis namque compositis invenitur duplex

differentia : quia ipsum suppositum sive individuum *habet* naturam speciei, sicut homo humanitatem ; et *habet* ulterius *esse;* homo enim nec est humanitas nec est suum esse ; unde homini potest inesse aliquod accidens, non autem ipsi humanitati vel eius esse. In substantiis vero simplicibus est una tantum differentia, sc. *essentiae* et *esse*. In angelis enim quodlibet suppositum est sua natura... ; non est autem suum esse ; unde ipsa quidditas est in suo esse subsistens. Unde in huiusmodi substantiis potest inveniri aliquod accidens intelligibile, non autem materiale. In Deo autem nulla est differentia habentis et habiti, vel participantis et participati ; immo, ipse est sua natura et suum esse, et ideo nihil alienum vel accidentale potest ei inesse. » Agitur itaque in hac controversia, utrum haec duo extrema : *a*) *esse*, *b*) et *habens esse*, coniungantur per se ut *actus* et *potentia realis* in linea entis, et ideo ut propria perfectio et id cuius est perfectio seu complementum. Ex hoc autem, quod coniunguntur per se ut potentia subiectiva et actus, ut perfectibile et proprium perficiens, sequitur ulterius, quod distinguuntur realiter. Ac planum est quod, si distinguatur realiter actus essendi a supposito vel subiecto quod habet *esse* et cui convenit immediate essendi actus, eo ipso et a fortiori oportet quod *esse* realiter distinguatur ab *essentia* vel *natura*, quae se habet sicut pars formalis et perfectiva suppositi, et cui non convenit actus essendi nisi mediante supposito. Atque ex *esse* et *habente esse* constituitur *existens* [1].

Quarto : **Compositio ex esse et quod est, est compositio ex substantia et eo quod adhaeret substantiae tamquam complementum.** — *a*) *II. C. Gent.* cap. 53. : « In quocumque enim inveniuntur aliqua duo, quorum unum est complementum alterius, proportio unius ad alterum est sicut proportio

[1] III. q. 2. a. 2. ; q. 17. a. 2. — *Quodl.* 9. a. 3. — Vide infra lib. 2. cap. 6. — Ad rem Cardinalis Gonzalez ; « De la esencia y de la existencia unidas, resulta *un existente*, se constituye una *cosa existente*, la cual por lo mismo deja de ser *posible*. » (Estudios sobre la filosofia de Santo Tomas, tom. 1. lib. 2. cap. 7.)

potentiae ad actum ; nihil enim completur nisi per proprium actum. In substantia autem intellectuali creata inveniuntur *duo*, sc. : *substantia* ipsa et *esse* eius, quod non est ipsa substantia, ut ostensum est cap. 52. ; ipsum autem *esse* est complementum substantiae existentis ; unumquodque enim actu est per hoc quod esse habet. Relinquitur igitur, quod in qualibet praedictarum substantiarum sit compositio actus et potentiae. » — *b*) I. q. 75. a. 5. ad 4. : « Omne participatum comparatur ad participans ut actus eius. Quaecumque autem forma creata per se subsistens ponatur, oportet quod participet *esse ;* quia etiam ipsa vita vel quidquid sic diceretur, participat ipsum *esse*, ut dicit Dionysius [1]. *Esse* autem participatum finitur ad capacitatem participantis. Unde solus Deus, qui est ipsum suum esse, est actus purus et infinitus. In substantiis vero intellectualibus est compositio ex actu et potentia ; non quidem ex materia et forma, sed ex *forma* et *esse participato*. Unde a quibusdam dicuntur componi ex *quo est* et *quod est ;* ipsum enim *esse* est quo aliquid est. »

Quinto : **Compositio ex substantia et esse est fundamentalis et prima omnium compositionum.** — Quia respicit elementa maxime simplicia, nempe ad ipsam rationem entis, quae prima omnium est, pertinentia, et ex quibus constituitur ipsa ratio entis subsistentis. Ac licet nullam comparationem, in rigore loquendo, retineat cum aliis compositionibus, potest tamen quasi illustrari ex compositione materiae et formae, atque ex compositione subiecti et accidentis. 1° Ex compositione quidem materiae et formae : Nam quamvis non sit eiusdem rationis, utraque tamen est ex potentia subiectiva et actu ; materia enim et forma sunt prima principia in genere substantiae mobilis ; substantia vero et esse sunt prima principia in genere substantiae creatae. Deinde in utraque compositione potentia et actus sunt principia ad lineam entis substantialis pertinentia ; etenim *esse* substantiae est complementum substantiae existentis. Attamen

[1] *De Div. Nominib.* cap. 5. lect. 2.

in multis aliis differunt, ut D. Thomas declarat *II. C. Gent.* cap. 54. et *De natura angelorum* cap. 6. 2° Ex compositione vero subiecti et accidentis ; nam compositio ex substantia et esse non est compositio sicut ex partibus substantiae, sed sicut ex substantia et eo quod adhaeret substantiae, sicut album componitur ex eo quod est album et ex albedine ; unde *esse* non est pars essentiae, sed participatur sicut aliquid non existens de essentia rei. Praeterea, ex compositione substantiae et esse non resultat tertia natura, sed substantia completa in linea entis et participans *esse* et sub esse suo stans. Attamen *esse* substantiae non est in genere accidentis, cum sit actus essentiae substantialis [1].

[1] *De Pot.* q. 5. a. 4. ad 3. — *Quodl.* 3. a. 20. — *Quodl.* 2. a. 3. — *De Verit.* q. 16. a. 1. ad 16. — *II. C. Gent.* cap. 53. et cap. 54. Et alibi.

CAPUT SECUNDUM

Aperta D. Thomae mens atque sententia circa realem esse et essentiae in omnibus rebus creatis distinctionem.

Juxta D. Thomae doctrinam, cum dicitur : *In rebus creatis differt essentia rei et esse eius*, sive : *Diversum est esse et id quod est*, agitur non de diversitate tantummodo secundum intentiones, sed de diversitate quoque secundum entitatem. Unde differunt et sunt diversa, non solum distinctione rationis, verum etiam reali *esse* et *essentiae* compositione. Quod quidem iam ex supra dictis facile colligi potest atque ex subsequentibus testimoniis aperte liquet.

Testimonium primum. — *I. Sent.* dist. 19. q. 2. a. 2. : « Sicut autem motus est actus ipsius mobilis in quantum mobile est, ita *esse* est actus existentis in quantum ens est. Unde, quacumque mensura mensuretur *esse* alicuius rei, ipsi rei existenti respondet nunc ipsius durationis quasi mensura. Unde per nunc aevi mensuratur ipsum existens, cuius mensura est aevum ; et per nunc aeternitatis mensuratur illud ens, cuius *esse* mensurat aeternitas. Unde sicut se habet quilibet actus ad id cuius est actus, ita se habet quaelibet duratio ad suum *nunc*. Actus autem ille qui mensuratur tempore, *differt ab eo*, cuius est actus, *secundum rem*, quia mobile non est motus ; et secundum rationem successionis, quia mobile non habet substantiam de numero successivorum, sed permanentium... Actus autem qui mensuratur aevo, sc. ipsum *esse* aeviterni, differt ab eo, cuius est actus, *re* quidem, sed non secundum rationem successionis, quia

utrumque sine successione est. Et sic etiam intelligenda differentia aevi ad *nunc* eius. *Esse* autem quod mensuratur aeternitate, est *idem re* cum eo cuius est actus, sed differt tantum *ratione;* et ideo aeternitas et nunc aeternitatis non differunt re, sed ratione tantum, in quantum sc. ipsa aeternitas respicit ipsum divinum esse, et nunc aeternitatis *quidditatem* ipsius rei, quae secundum rem non est aliud quam suum *esse*, sed ratione tantum. »

Testimonium secundum. — In lib. Boëtii, *De Hebdom.* cap. 2. ubi ex professo Angelicus Doctor declarat illa verba : *Diversum est esse et id quod est*, sic eloquitur : « Est ergo primo considerandum, quod sicut *esse* et *quod est* differunt in simplicibus secundum intentiones, ita in compositis differunt *realiter:* quod quidem manifestum est ex praemissis. Dictum est enim supra, quod *ipsum esse* nec participat aliquid ut eius ratio constituatur ex multis, nec habet aliquid extraneum admixtum ut sit in eo compositio accidentis ; et ideo *ipsum esse* non est compositum. Res ergo composita non est suum esse ; et ideo dicit Boëtius, quod in omni composito aliud est *esse* et aliud *ipsum compositum* quod est participans *esse*. Si ergo inveniantur aliquae formae non in materia, unaquaeque earum est quidem simplex quantum ad hoc quod caret materia, et per consequens quantitate, quae est dispositio materiae ; quia tamen quaelibet forma est determinativa ipsius *esse*, nulla earum est ipsum *esse*, sed est habens *esse*. Et sic nulla earum erit vere simplex. Id autem erit solum vere simplex, quod non participat *esse*, non quidem inhaerens, sed subsistens. Hoc autem non potest esse nisi unum ; quia, si ipsum nihil aliud habet admixtum praeter id quod est *esse*, impossibile est id, quod est *ipsum esse*, multiplicari per aliquid diversificans ; et quia nihil aliud praeter se habet admixtum, consequens est quod nullius accidentis sit susceptivum. Hoc autem simplex unum et sublime est ipse Deus. »

Testimonium tertium. — *De Verit.* q. 27. a. 1. ad 8. : « Omne quod est in genere substantiae, est compositum

reali compositione ; eo quod id quod est in praedicamento substantiae, est in suo *esse* subsistens ; et oportet quod *esse* suum sit aliud quam ipsum ; alias non posset differre secundum *esse* ab illis cum quibus convenit in ratione suae quidditatis... Et ideo, omne quod est directe in praedicamento substantiae, est compositum saltem ex *esse* et *quod est.* »

Testimonium quartum. — *De Anima* a. 17. ad 10. : « Sicut enim substantiae separatae alterius modi *esse* habent quam substantiae materiales, ita Deus alterius modi *esse* habet quam omnes substantiae separatae.

In rebus enim materialibus tria est considerare, quorum nullum est aliud, sc. : 1° *individuum ;* 2° *naturam speciei ;* 3° et *esse.* Non enim possumus dicere, quod hic homo sit sua humanitas, quia humanitas consistit tantum in speciei principiis ; sed hic homo supra principia speciei addit principia individuantia, secundum quod natura speciei in hac materia recipitur et individuatur. Similiter etiam nec humanitas est ipsum *esse* hominis.

In substantiis autem separatis, quia immateriales sunt, natura speciei non recipitur in aliqua materia individuante, sed est ipsa natura per se subsistens. Unde non est in eis aliud habens quidditatem, et aliud quidditas ipsa ; sed tamen aliud est in eis *esse* et aliud *quidditas.*

Deus autem est ipsum suum *esse subsistens.* »

Testimonium quintum. — *De Angelor. natura,* cap. 7. : « Cum enim necesse sit primum principium simplicissimum esse, necesse est quod non hoc modo esse ponatur quasi *esse* participans, sed quasi *ipsum esse existens.* Quia vero *esse subsistens* non potest esse nisi unum, necesse est omnia alia, quae sub ipso sunt, sic esse quasi *esse* participantia. Oportet igitur communem quandam resolutionem in omnibus huiusmodi fieri, secundum quod unumquodque eorum intellectu resolvitur : 1° *in id quod est ;* 2° *et in ipsum esse.* Oportet igitur supra modum fiendi, quo aliquid fit forma materiae adveniente, praeintelligere aliam rerum originem,

secundum quod *esse* attribuitur toti universitati rerum a Primo Ente, quod est suum *esse*. »

Testimonium sextum. — *a*) *De Pot.* q. 3. a. 1. ad 17. : « Dicendum, quod Deus, simul dans *esse*, producit *id* quod *esse* recipit ; et sic non oportet quod agat ex aliquo praeexistenti. » *b*) Et ibid. a. 5. ad 2. : « Ex hoc ipso, quod *quidditati esse* attribuitur, non solum *esse*, sed *ipsa quidditas* creari dicitur ; quia antequam *esse* habeat, nihil est, nisi forte in intellectu creantis, ubi non est creatura, sed creatrix essentia. »

Testimonium septimum. — *a*) *De Verit.* q. 21. a. 5. ad 5. : « *a*) Creatura non solum est a Deo secundum *essentiam suam*, sed secundum *esse suum*, in quo praecipue consistit ratio bonitatis substantialis ». Et ad 1. : « Ipsa bonitas quae attenditur secundum *esse* substantiale, non est ipsa *essentia* rei, sed *esse* participatum. » *b*) I. q. 6. a. 3. ad 2. : « Licet unumquodque sit bonum in quantum habet *esse*, tamen *essentia* rei creatae non est ipsum *esse*. Et ideo non sequitur, quod res creata sit bona per suam essentiam. » « Bonitas rei creatae non est ipsa eius essentia, sed *aliquid superadditum*, vel ipsum *esse* eius, vel aliqua perfectio superaddita, vel ordo ad finem. » Ibid. ad 3.

Testimonium octavum. — Quoniam nulla fere est pagina in operibus D. Thomae, ubi non occurrat legendum quod in creatis aliud est *esse* et aliud *essentia ;* et quotiescumque Angelicus Doctor ita loquitur, affirmat compositionem *duorum* seu *plurium* ad unum constituendum in ratione entis subsistentis. *a*) *I. C. Gent.* cap. 22. : « Omne quod non potest esse nisi *concurrentibus pluribus*, est compositum. Sed nulla res, in qua est aliud essentia et aliud esse, potest esse nisi *concurrentibus pluribus*, sc. *essentia* et *esse*. Ergo omnis res, in qua est aliud essentia et aliud esse, est composita. Deus autem non est compositus. Ipsum igitur esse Dei est sua essentia. » *b*) *II. C. Gent.* cap. 53. : « ... In substantia autem intellectuali creata inveniuntur *duo*, sc. *substantia* ipsa

et *esse* eius quod non est ipsa substantia, ut ostensum est cap. 52. ; ipsum autem *esse* est complementum substantiae existentis... Relinquitur ergo, quod in qualibet praedictarum substantiarum sit compositio actus et potentiae. »

Testimonium nonum. — Denique tandem argumenta ipsa, quibus D. Thomas demonstrative ostendit quod in Deo esse et essentia sunt idem et quod in omnibus differt essentia rei et esse eius, aperte testantur realem compositionem substantiae et esse in cunctis rebus quae sub primo ente sunt. Etenim si Deus est suum esse, si quidem impossibile est quod in Deo sit aliud *esse* et aliud *essentia* vel *natura* eius, eo ipso quod *identitas esse et essentiae* pertinet ad rationem primi motoris immobilis, primae causae efficientis non habentis causam, primi necessarii, et primi entis, et primi gubernantis per intelligentiam : exinde oportet deducere ac inferre quod *identitas esse et essentiae* nullo modo potest pertinere ad omnia alia praeter Deum. Aliter oporteret attribuere etiam creaturis *quinque illa praedicata*, quae soli Deo competunt et quae constituunt *terminos* illarum quinque viarum, quibus Deum esse demonstrative probatur atque evidenter concluditur.

Quapropter argumenta quibus D. Thomas I. q. 3. a. 4. et *I. C. Gent.* cap. 22. ostendit in Deo identificari *esse et essentiam*, reducuntur, tamquam ad suam radicem, ad quinque attributa sub quorum ratione demonstratur Dei existentia ac Deum per creaturas cognoscimus. Demonstrare enim Deum esse, est demonstrare quod in Deo non est aliud *essentia* et aliud *actus essendi*, sed unum ac omnino idem.

Unde et argumenta quibus D. Thomas *II. C. Gent.* cap. 52. et *De Ente* et *Essentia* cap. 5. ostendit in omnibus aliis praeter Deum differre *esse* et *essentiam, sive esse* et *id quod est*, facilius capientur ac intimius penetrabuntur, si cum argumentis, quibus identitas esse et essentiae in Deo manifestatur, attenta mente conferantur.

Haec autem argumenta in subsequentibus capitulis a nobis, Divo Thoma semper praeeunte, exponenda ac declaranda, quibus Angelicus Doctor ostendit *diversitatem* inter

esse et id *quod est* in omnibus rebus creatis, etiam in substantiis intellectualibus quae angeli denominantur, sunt numero undecim, quorum septem prima ex *II. C. Gent.* cap. 52. ac quatuor postrema ex cap. 5. *De Ente* et *Essentia* ad litteram depromuntur.

Atque omnia veniunt finaliter reducenda ad primum, videlicet : *Esse subsistens* non potest esse nisi *unum; Esse subsistens* est ipsa Dei substantia vel natura, ac proinde omnibus aliis incommunicabile. In creaturis itaque *esse* est inhaerens ; adhaeret substantiae vel naturae ; indiget subiecto sub ipso *esse* stante ; diversum proinde est *esse* et *id quod est.*

CAPUT TERTIUM

Argumentum primum. — In rebus creatis non est idem esse et quod est, quoniam aliter omnia essent unum.

Argumentum D. Thomae. — « Invenitur enim in eis (in substantiis immaterialibus) aliqua compositio, ex eo quod non est idem in eis *esse* et *quod est*. Si enim *esse* est subsistens, nihil praeter ipsum *esse* ei adiungitur ; quia etiam in eis, quorum *esse* non est subsistens, quod inest existenti praeter *esse* eius, est quidem existenti unitum, non autem est unum cum *esse* eius nisi per accidens, in quantum est unum subiectum habens *esse*, et id quod est praeter *esse;* sicut patet, quod Socrati praeter suum *esse* substantiale inest *album*, quod quidem diversum est ab eius *esse* substantiali ; non enim est idem esse Socratem et esse album, nisi per accidens. Si igitur non sit nisi *esse* in aliqua substantia, non remanebit aliquis modus in quo possit ei uniri *illud* quod est praeter *esse*.

Esse autem, in quantum est *esse*, non potest esse diversum ; potest autem diversificari per aliquid quod est praeter *esse*, sicut *esse* lapidis est aliud ab *esse* hominis. Illud igitur, quod est subsistens, non potest esse nisi unum tantum.

Ostensum est autem (lib. I. cap. 22. et 42.) quod Deus est suum *esse* subsistens. Nihil igitur aliud praeter ipsum potest esse suum esse. Oportet igitur in omni substantia, quae est praeter Ipsum, aliud esse ipsam *substantiam* et aliud eius esse. »

Argumentum in forma. — Primum quidem hoc argumentum sic breviter potest poni :

Illud, cuius esse non distinguitur realiter ab ipsius essentia substantiali, est suum esse subsistens.

Illud autem, quod est suum esse subsistens, non potest esse nisi unum tantum.

Si ergo in rebus, quae sunt praeter Deum, est idem esse et quod est, omnia sunt unum.

Argumenti explanatio. — PRIMO : **Illud, cuius esse non distinguitur realiter ab ipsius essentia substantiali, est suum esse subsistens.**

1° Quoniam ideo Deus dicitur esse non solum sua essentia, sed etiam suum *esse*, quia impossibile est quod in Deo sit aliud *esse* et aliud eius essentia. Unde ex identitate *essentiae* et *esse* in Deo, divinum esse dicitur stans, subsistens.

2° Quoniam *esse* quod realiter identificatur cum ipsa substantia, cuius est actus, est *esse* cui competit per se esse sine subiecto ; nam substantia est quidditas cui competit esse non in alio, ac significat essentiam cui competit per se esse. Unde si *esse*, actus substantiae, est ipsamet substantialis essentia sive natura, eo ipso subsistens est. Subsistere enim est substantiam esse ; et esse substantiae est subsistere, sicut esse accidentis alteri inesse. Quapropter substantia dicitur *ens* simpliciter, quia in suo esse subsistit, ac proprium actum essendi sustentat.

3° Quoniam si sunt idem *esse* et *id quod est*, idem sunt *esse* et *habens esse ;* idem hypostasis sive suppositum et actus essendi ; ac proinde idem sunt *esse* et id quod subsistit sub suo *esse* proprio. Unde ipsum *esse* est subsistens.

Itaque propositio haec patet fere ex terminis ipsis. Nam in quo non differat ac realiter distinguatur *esse* et *quod est*, existentia et natura substantiae, ipsum *esse* sive actus essendi non est complementum substantiae, non advenit naturae, non adhaeret substantiae, non recipitur in essentia ; sed est ipsa substantia vel natura stans, ipsa essentia per essentiam *ens*, id est *existens* [1].

[1] I. q. 3. a. 4. ; q. 44. a. 1. ; q. 61. a. 1. — *De Pot.* q. 7. a. 2. — *I. C. Gent.* cap. 21. et cap. 22. — *II. C. Gent.* cap. 53.

SECUNDO : **Illud autem quod est suum esse subsistens, non potest esse nisi unum tantum.**

1° Hoc in primis demonstratur per omnia ac singula argumenta, quibus I. q. 11. a. 3. et 4. et *I. C. Gent.* cap. 42. et *Compend. Theol.* cap. 14. demonstrative probatur a D. Thoma, quod Deus est unus et maxime unus atque unicus. Ex eo namque quod Deus est suum *esse* subsistens, inde impossibile est esse nisi unum solum Deum. Unde *De Malo* q. 16. a. 3. : « Deus enim per suam essentiam est ipsum *esse* subsistens, nec est possibile esse duo huiusmodi ; sicut nec possibile foret esse duas ideas hominis separatas aut duas albedines per se substantes. »

2° Quia in illo, cuius *esse* est *subsistens*, non est adinvenire nisi ista duo : *a*) *esse ; b*) *subsistentiam*. Atque ex utroque capite necessaria consecutione infertur *esse subsistens* non posse esse nisi unum tantum. Ex parte quidem *subsistentiae :* nam proprium est subsistentiae complere naturam, idque ita, ut natura seipsam plene possideat et non modo non indigeat alteri communicari ut existat, verum etiam reddatur praeterea alteri incommunicabilis. Ex parte vero ipsius *esse :* etenim *esse subsistens* per id ipsum est *subsistens*, per quod est *esse ;* alioquin iam non esset *esse subsistens*, sed *esse inhaerens ;* iam non esset ipsamet substantia rei existentis, sed quid adhaerens substantiae tamquam subiecto essendi, atque perinde in substantia receptum velut actus in propria sua potentia.

3° Quia si ponerentur duo *esse* subsistentia, non esset assignare per quid alterum ab altero distingueretur, cum in utroque nihil aliud esset nisi *esse* et *subsistentia*. Sicut ergo si color aut albedo esset subsistens, non posset esse nisi unus color aut una albedo subsistens, ita pariter *esse subsistens* non potest esse nisi unum, et solummodo unum.

4° Quia *esse*, in quantum *esse*, non potest esse diversum. Etenim *esse : a*) est actualitas omnium actuum ; et propter hoc *b*) est perfectio omnium perfectionum ; et propter hoc *c*) est actus ultimus qui participabilis est ab omnibus ; et ideo *d*) ipsum autem nihil participat.

Unde si *esse* ponatur subsistens, non remanet aliquis

modus distinguendi vel diversificandi illud. Nam quia *esse* est, nihil participat nec participare potest ; et quia *subsistens* est, a nulla alia re participatur nec potest participari. Quia *esse* est, nihil recipit nihilque ut *actus* potest ei addi ; et quia *subsistens* est, in nullo alio recipitur nihilque ut *potentia* potest ei adiungi. Unde illud quod est suum *esse* subsistens, non potest esse nisi unum tantum.

Tertio : **Si ergo in rebus, quae sunt praeter Deum, est idem esse et quod est, omnia sunt unum, omnia Deus.** — Nam tunc *esse* erit de conceptu omnis substantiae, erit ipsamet natura vel substantia omnium rerum. Et cum de ratione divinae substantiae sit *esse* et *esse subsistens* quod identificatur cum ipsa substantiali essentia divina, idcirco si *esse* pertinet etiam ad essentiam vel quidditatem substantiae aliarum rerum, et in rebus cunctis realiter identificantur *esse* et *id quod est*, omnia sunt unum esse subsistens, et non daretur in universo mundo nisi una sola substantia, sicut non datur nec dari potest nisi *Unum Esse Subsistens*.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

CAPUT QUARTUM

Argumentum secundum. — In omnibus rebus creatis non est idem esse et id quod est; aliter natura entitatis non inveniretur in quibusdam rebus magis nobilis, et in quibusdam minus.

Argumentum D. Thomae. — « Amplius : Natura communis, si separata intelligatur, non potest esse nisi una, quamvis habentes naturam illam plures possent inveniri ; si enim natura animalis per se separata subsisteret, non haberet ea quae sunt hominis vel quae sunt bovis ; iam enim non esset animal tantum, sed homo vel bos.

Remotis autem differentiis constitutivis specierum, remaneret natura generis indivisa ; quia eaedem differentiae, quae sunt constitutivae specierum, sunt divisivae generis.

Sic igitur, si hoc ipsum quod est *esse*, sit commune sicut genus, *esse* separatum per se subsistens non potest esse nisi unum. Si vero non dividatur differentiis sicut genus, sed per hoc quod est *huius* vel *illius esse*, iam hoc magis est verum quod non potest esse per se existens nisi unum.

Relinquitur ergo quod, cum Deus sit *esse* subsistens, nihil aliud praeter Ipsum est suum *esse*. »

Argumentum in forma. — Istud autem secundum argumentum sic potest convenienter declarari :

Esse sive natura entitatis invenitur in omnibus rebus quae sunt.

Sed si ipsarum rerum naturae sunt hoc ipsum esse quod habent, natura entitatis non inveniri potest in quibusdam rebus magis nobilis, et in quibusdam minus.

Ergo si in rebus creatis non differt esse et quod est, omnia sunt unius naturae, omnia eiusdem perfectionis, omnia unum, omnia Deus, cuius natura est esse subsistens.

Argumenti explanatio. — PRIMO : **Esse sive natura entitatis invenitur in omnibus rebus quae sunt.**

Huiusce propositionis veritas aperte liquet, alioquin res quae sunt, non essent. *Esse* namque de omnibus, quae sunt praedicatur ; *esse*, actum quendam nominat ; non enim dicitur esse aliquid ex hoc quod est in potentia, sed ex hoc quod est in actu ; et de omni quod est, affirmatur.

Hoc autem quod est *esse*, communiter invenitur in omnibus quantumcumque diversis ; est in quo omnia conveniunt ; est ipsum *esse* quo substantia denominatur *ens*.

Nihil dicitur *ens* nisi per ordinem ad *esse*, quia ens est illud quod habet vel potest habere *esse*. Omnia prorsus, quantumvis contraria ac diversa, quae sunt in mundo, inveniuntur communicare in *aliquo uno :* 1° vel in natura speciei ; 2° vel in natura generis ; 3° vel saltem in ratione essendi. Hoc igitur quod est *esse*, communiter invenitur in omnibus rebus quantumcumque diversis. Et sicut hic homo participat humanam naturam, ita quodcumque ens creatum participat, ut ita dixerim, *naturam essendi ;* quia solus Deus est suum esse. Aliunde est etiam manifestum, quod diversae rerum species gradatim *naturam entis* possident.

Alio autem modo participatur *natura generis* et *natura speciei* ab individuis, et alio modo *natura entis ;* quoniam natura generis participatur a specie, et natura speciei ab individuis quasi aliquid existens de substantia vel essentia participantis ; id enim est de substantia rei quod cadit in eius definitione. Sed *ens* non ponitur in definitione creaturae ; quia nec est genus nec differentia. Unde participatur sicut aliquid non existens de essentia rei. Unde *esse*, ratione cuius omnis natura creata participat *naturam essendi*, quoniam est praeter essentiam rei, dicitur *accidens ;* non quidem praedicamentale, sed praedicabile, quia *esse* nec est genus, nec est differentia, nec est species, nec natura alicuius rei creatae.

Atque, ut profunde observat D. Thomas, in participationibus et participantibus, sive *participatum* sit de substantia participantis vel non sit, exstant quaedam regulae vel principia philosophica, quae lucem afferre valent in hac perdifficili atque ardua quaestione. Quorum :

1^um^ Quandocumque autem aliquid praedicatur de altero per participationem, oportet ibi aliquid esse praeter id quod participatur.

2^um^ Omne participans comparatur ad participatum, ut potentia ad actum ; et omne participatum ad participans, ut actus ad potentiam.

3^um^ Aliter est in participationibus et in participantibus. Participationes enim quanto sunt simpliciores, tanto nobiliores : sicut *esse* est nobilius quam *vivere*, et *vivere* quam *intelligere*, ut fiat comparatio inter *esse* et *vivere*, separato per intellectum *esse* a *vivere*. In participantibus autem, quanto aliquid magis est compositum, non dico compositione materiali sed per receptionem plurium participationum, tanto est nobilius, quia tanto in pluribus Deo assimilatur ; et huiusmodi assimilatio esse non potest nisi per aliqua a Deo accepta.

4^um^ Inde in participantibus *vivens* est perfectius quam *ens* tantum, et *intelligens* quam *vivens* tantum ; quia vivens etiam est ens, et intelligens est quoque ens et vivens. In participationibus vero *esse* est nobilius quam *vivere* et *vivere* quam *intelligere ;* quoniam intelligere participat vivere, et vivere participat *esse*, et *esse*, quod ab omnibus participatur, nihil participat. Quapropter, ut iam supra fuit insinuatum :

5^um^ *Esse* comparatur ad vitam et ad sapientiam et ad omnes formas atque rerum perfectiones tamquam *actus*. *Esse* namque significat *quid completum et simplex*, utpote actualitas omnium formarum et omnium participationum. Et inde :

6^um^ Quanto aliquod participans recipit plures participationes, tanto perfectius participat *naturam essendi*, atque in tanto sublimiori gradu possidet *naturam entis*.

7^um^ In Deo est plenitudo omnium perfectionum, et nihil participat, et est extra omne genus et speciem ; quia natura

Dei est *Esse*. Ex quo habetur verus sensus illius axiomatis : *Solus Deus est ens per essentiam, alia vero praeter Deum sunt entia per participationem.* Quia sc. solus Deus est suum *esse* ac in solo Deo essentia est *esse;* in omnibus autem aliis differt essentia rei et *esse* eius, et in qualibet creatura est aliud ipsa creatura quae habet *esse*, et ipsum *esse* eius [1].

SECUNDO : **Sed si rerum creatarum naturae sunt hoc ipsum esse quod habent, natura entitatis non inveniri potest in quibusdam rebus magis nobilis, et in quibusdam minus.**

1° Quia si in rebus creatis non differt realiter *esse* et *id quod est*, suppositum et actus essendi, *esse* creaturarum est *esse subsistens*. Nulla autem de perfectionibus essendi potest deesse rei vel naturae quae est ipsum *esse* subsistens [2].

2° Quia si hoc ipsum quod est *esse*, identificatur cum ipsa creaturarum essentia, *natura entitatis* inveniretur in omnibus rebus in sui summo, eo quod rerum omnium natura est ipsum *esse*. Unde nec dari possunt gradus in essendo perfectius et minus perfecte, cum hoc contingat propter diversam participationem ipsius esse ; et ubi *essentia* et *esse* sunt unum et idem, nec datur *participans esse* nec *esse participatum*.

3° Quia res distinguerentur ad invicem : *a*) vel propter hoc quod *esse* habent ; *b*) vel propter hoc quod habent diversas naturas quibus acquiritur *esse* diversimode. Non quidem propter primum ; nam in *esse* omnia conveniunt ; et huiusmodi *esse*, utpote subsistens, esset unum numero. Non vero propter secundum ; quia non relinquitur diversus modus acquirendi *esse*, ubi non reperitur naturarum diversitas, vel specifica vel saltem numerica ; et huiusmodi diversitas de medio tollitur per hoc quod identificatur *esse* et *natura* in omnibus rebus.

4° Quia nihil per se subsistens, quod sit *ipsum esse*,

[1] I. q. 44. a. 1. ; q. 45. a. 5. ; q. 61. a. 1. — *De Verit.* q. 20. a. 2. — *De div. nominib.* cap. 5. lect. 1. — *Quodl.* 2. a. 3. — *In lib. Boëtii* cap. 2.

[2] I. q. 4. a. 2.

poterit esse nisi unum solum ; sicut nec aliqua forma, si separata consideretur, potest esse nisi una. Inde est enim quod ea, quae sunt diversa numero, sunt unum specie ; quia natura speciei, secundum se considerata, est una. Sicut igitur est una secundum considerationem, dum per se consideratur, ita esset una secundum *esse*, si per se subsisteret et existeret. Eademque ratio est de genere per comparationem ad species, quousque perveniatur ad ipsum *esse*, quod est communissimum. Ipsum igitur *esse*, per se subsistens, est unum tantum [1].

Tertio : **Ergo si in rebus creatis non differt esse et quod est, omnia sunt unius numero naturae ; omnia unum ; omnia Deus, cuius natura est Esse.** — Etenim *natura entitatis*, omnibus rebus quae sunt, communis, non esset nisi *una numero* in omnibus existentibus : *a*) propter hoc quod *esse* nequit dividi differentiis, sicut genus ; *b*) et propter hoc quod *esse* non esset participatum iuxta diversam capacitatem participantium. Subsistens namque actus est solummodo unus, sicut nec aliquod abstractum subsistens non potest esse nisi unum. Atque ita nec substantia unius rei distingueretur a substantia alterius rei, nec ab ipsa Dei substantia, de cuius conceptu et ratione est *Esse*.

[1] *De natura angelor.* cap. 6. et cap. 12.

CAPUT QUINTUM

Argumentum tertium. — In omnibus rebus creatis non est idem esse et quod est; aliter omne quod est esset secundum essentiam infinitum.

Argumentum D. Thomae. — « Adhuc : Impossibile est quod sit duplex *esse* omnino infinitum. *Esse* enim quod omnino est infinitum, omnem perfectionem essendi comprehendit ; et sic, si duobus talis adesset infinitas, non inveniretur quo unum ab altero differret.

Esse autem *subsistens* oportet esse infinitum, quia non terminatur aliquo recipiente.

Impossibile est igitur esse aliquod *esse* per se subsistens praeter Primum. »

Argumentum in forma. — Hoc tertium argumentum, iam ex sua forma satis planum, sic dilucidatur :

Impossibile est quod sit duplex esse omnino infinitum.

Sed omne illud, in quo est idem esse et quod est, oportet ut sit omnino secundum suam essentiam infinitum.

Aut ergo in omnibus rebus creatis differt esse rei et eius essentia, aut omne quod est erit simpliciter infinitum.

Argumenti explanatio. — PRIMO : **Impossibile est quod sit duplex esse omnino infinitum.** — 1° Quia omnino infinitum omnem perfectionem essendi comprehendit ; ac inter duas essentias vel naturas, quarum utraque comprehendat omnem essendi perfectionem, non est adinvenire quo una ab altera differat [1].

[1] I. q. 4. a. 2. ; q. 11. a. 3.

2° Quia esse omnino infinitum est bonum per essentiam, sicut per essentiam est ens ; solus autem Deus est per essentiam suam bonus et summum bonum [1].

3° Quia nihil praeter Deum potest esse infinitum simpliciter ; et Deus est unus [2].

SECUNDO : **Sed omne illud, in quo est idem esse et quod est, oportet ut sit omnino secundum suam essentiam infinitum.**

1° Quia inde manifestatur ipsum Deum esse infinitum simpliciter secundum suam essentiam, ex hoc sc. quod in Deo non est aliud *esse* et aliud *essentia* eius.

2° Quia in illo in quo est idem *esse* et *quod est*, essentia eius est suum *esse subsistens*. *Esse* autem *subsistens* habet rationem omnino infiniti atque omnimode perfecti.

3° Quia in illo cuius substantia realiter non distinguitur ab actu essendi, actus ipse essendi nec est in essentia per modum recepti in suo proprio recipiente, nec adhaeret substantiae tamquam complementum eiusdem, nec inest supposito veluti actualitas subiecti existentis ; sed est actus essendi per se stans, in nulla potentia rerum receptus, ac per nullam alicuius subiecti capacitatem terminatus, absque limite suae entitatis, sine fine suae perfectionis.

4° Quia *esse subsistens* est Actus Purus, cui nulla permiscetur potentia ; ac perinde infinitus in sua actualitate.

5° Quia *esse* est illud quod est maxime formale omnium ; ac ubi non ponitur realis compositio *esse* et *essentiae*, essentia non est potentia essendi receptiva ipsius *esse*, cum ipsa sit suum *esse*. Unde relinquitur *Esse* in omni sua simplicitate et actualitate atque immensitate [3].

TERTIO : **Aut ergo in omnibus rebus creatis differt esse rei et essentia eius, aut omne quod est erit simpliciter infinitum.**

Quapropter admittere necesse est in omni creatura aliquid

[1] I. q. 6. a. 2. et 3.
[2] I. q. 7. a. 1. ; q. 11. a. 3. et 4.
[3] I. q. 7. a. 1. — *I. C. Gent.* cap. 43.

reale ac positivum praeter actum essendi, nempe : ipsam naturam vel substantiam, quae se habeat ad *esse* eius sicut materia ad formam, sicut subiectum ad accidens, sicut participans ad participatum, sicut potentia realis ad suum proprium actum. Et sic *essentia* erit terminus, subiectum, limes et recipiens huius quod dicimus *esse*. Terminus : sicut color lucis, sicut corpus ipsius coloris. Subiectum : sicut quantitas figurae. Limes : sicut habens habiti. Recipiens : sicut diaphanum claritatem.

Et essentia est quid reale ac physicum, quia est aliquid actuale sub ipso essendi actu ; non tamen quoniam sit actus, sed quoniam informatur actu qui dicitur *esse*.

Ad rem D. Thomas, *I. De coelo et mundo* lect. 6. : « Ipsum autem *esse* alicuius rei, secundum se consideratum, non est quantum ; non enim habet partes, sed est totum simul. Omne autem quod est actu, vel est actus vel est habens actum. » Et *Quodl.* 3. a. 1. : « Omne enim quod est actu, vel est ipse actus, vel est potentia participans actum ». Et I. q. 66. a. 2. : « Impossibile est ponere aliquod ens in actu, quin vel ipsum totum sit actus vel forma, vel habeat actum seu formam. » Habere autem formam est componi ex forma et subiecto formae. Et *I. Sent.* dist. 8. q. 5. a. 1. : « Omnis creatura habet esse finitum. Sed *esse* non receptum in aliquo, non est finitum, immo absolutum. Ergo omnis creatura habet *esse* receptum in aliquo, et ita oportet quod habeat *duo* ad minus, sc. *esse* et *id* quod *esse* recipit. »

Ita ergo oportet ponere in omni creatura actu existente duo, sc. : *actum essendi* et *habens essendi actum*. Habere autem *esse* est componi ex *esse* et *subiecto essendi*. Aliter omne quod est, ipsum totum erit actus.

CAPUT SEXTUM

Argumentum quartum. — In omnibus rebus creatis differt esse et id quod est; alioquin nulla res haberet esse causatum sive factum.

Argumentum D. Thomae. — « Item : Si sit aliquod *esse* per se subsistens, nihil competit ei nisi quod est entis, in quantum est ens ; quod enim dicitur de aliquo, non inquantum huiusmodi, non convenit ei nisi per accidens, ratione subiecti. Unde si separatim a subiecto ponatur, nullo modo ei competit.

Esse autem ab alio causatum non competit enti in quantum est ens ; alias omne ens esset ab alio causatum, et sic oporteret procedere in infinitum in causis : quod est impossibile, ut supra lib. 1. cap. 13. ostensum est.

Illud igitur *esse* quod est ens subsistens, oportet quod sit non causatum. Nullum igitur ens causatum est suum *esse* ».

Argumentum in forma. — Quartum vero argumentum sic explanatur :

De ratione causati est, quod in eo aliud sit esse et aliud essentia eius sive subiectum essendi.

Sed ubi non differt esse et id quod est, ibi non est aliud esse et aliud essentia sive subiectum essendi.

Ergo aut in omnibus rebus creatis differt esse et id quod est, aut nulla res est creatura.

Argumenti explanatio. — Primo : **De ratione causati est quod in eo aliud sit esse et aliud essentia eius sive subiectum essendi.**

1° Ideo impossibile est quod in Deo sit aliud *esse* et aliud *essentia* eius, quia Deus est Prima Causa efficiens non habens causam et causans omnia ; et illud, cuius esse est aliud ab essentia sua, oportet quod habeat *esse* causatum ab alio. Unde de ratione causati est quod in illo differat *esse* et *quod est*, sicut de ratione non causati est quod in illo *esse* et *quod est* identificentur.

2° Quoniam *creari* et *fieri* est compositorum et subsistentium. Est autem hoc de ratione causati, quod sit aliquo modo compositum, quia ad minus *esse* eius est aliud quam *quod quid est.*

3° Quia esse ab alio causatum non competit enti in quantum est ens ; alias omne ens esset ab alio causatum ; et sic oporteret procedere in infinitum in causis : quod absurdum est ac impossibile. Consequenter esse ab alio causatum non competit *esse* per se subsistenti ; aliter competeret Deo, cuius substantia est esse. Oportet igitur, quod *esse* causatum sit *esse* inhaerens subiecto.

4° Quia illud, cuius *essentia* est *esse*, essentialiter ac necessario existit ; est ens per essentiam. Enti autem per essentiam non convenit esse causatum. Unde D. Thomas I. q. 7. a. 2. ad 1. : « Hoc est contra rationem facti, quod essentia rei sit ipsum *esse* eius ; quia esse subsistens non est esse creatum ».

5° Quia de ratione causati est participare *esse*, ac consequenter esse ens per participationem. Quandocumque autem aliquid praedicatur de altero per participationem, oportet ibi *aliquid* esse praeter *id* quod participatur ; et ideo in qualibet creatura est aliud ipsa creatura quae habet *esse*, et ipsum *esse* eius. Et hoc est quod Boëtius dicit in lib. *De Hebdom.* quod : « In omni eo quod est citra Primum, aliud est *esse* et quod est [1] ».

SECUNDO : **Sed ubi non differt esse et id quod est, ibi non est aliud esse et aliud essentia sive subiectum essendi.**

[1] I. q. 3. a. 4. et a. 7. ad 1. ; et q. 45. a. 4. et q. 44. a. 1. et q. 61. a. 1. et q. 65. a. 1. — *Quodl.* 2. a. 3.

1° Quia ubi non differt *esse* et *id quod est*, *esse* est subsistens sive ens per essentiam, de cuius ratione est identitas substantiae et esse.

2° Quia ubi non differt *esse* et *id quod est*, *esse* ponitur utpote subsistens, separatim a subiecto. Unde non est reperire subiectum essendi aliud ab ipso essendi actu.

3° Quia ubi non differt *esse* et *id quod est*, ibi non datur realis compositio ex substantia et esse, nec ex subiecto participante *esse* atque ex ipso *esse* participato.

Tertio : **Aut ergo in omnibus rebus creatis differt esse et id quod est, aut nulla res est creata.** — Quia esse causatum convenit enti non in quantum huiusmodi, sed in quantum est ens per participationem, per accidens, et ratione subiecti ; ac proinde ratione realis compositionis ex *substantia* rei et ex *esse* quod substantiae adhaeret. Ad rem D. Thomas *De natura angelor.* cap. 7. : « Oportet igitur communem quandam resolutionem in omnibus huiusmodi (quae sub uno esse subsistente sunt et sic sunt quasi *esse* participantia), fieri secundum quod unumquodque eorum intellectu resolvitur *in id quod est* et *in suum esse* ». Et *De spirit. creat.* a. 1. : « Omne igitur quod est post Primum Ens, cum non sit suum esse, habet *esse* in aliquo receptum, per quod ipsum *esse* contrahitur ; et sic in quolibet creato aliud est *natura* rei quae participat *esse*, et aliud ipsum *esse* participatum ».

CAPUT SEPTIMUM

Argumentum quintum. — In rebus creatis differt esse et quod est ; alias omnes res necessario essent.

Argumentum D. Thomae. — « Amplius : Substantia uniuscuiusque rei est ens per se et non per aliud ; unde esse lucidum actu non est de substantia aëris, quia est ei per aliud.

Sed cuilibet rei creatae suum *esse* est ei per aliud ; alias non esset creatum.

Nullius igitur substantiae creatae suum *esse* est sua substantia. »

Argumentum in forma. — Quintum vero argumentum ad hoc reduci potest :

Praedicata essentialia conveniunt rei per se, necessario, et non per aliud.

Esse autem non est praedicatum essentiale ullius creatae substantiae.

Aut ergo in rebus creatis differt esse et substantia earum, aut omnes creaturae necessario sunt.

Argumenti explanatio. — PRIMO : **Praedicata essentialia conveniunt rei per se, necessario, et non per aliud.**

1° Quia praedicata essentialia vel sunt tota substantia rei, vel partes huius substantiae, si essentia aut substantia est composita. Essentia autem vel substantia convenit unicuique rei habenti illam, per se et necessario ; nam vel essentia substantialis est ipsum individuum quod est, vel in illo includitur sicut pars formalis perfectiva eiusdem [1].

2° Quia illud quod res ex sua quidditate habet, ex se habet. Substantia autem uniuscuiusque rei de quidditate

[1] I. q. 3. a. 3. — III. q. 2. a. 2.

ipsius rei est et cum illa necessario connectitur ita, quod res concipi non potest absque huiusmodi entitate substantiali. Quapropter merito dicitur : *Substantia uniuscuiusque rei est ens per se et non per aliud ;* quoniam *ens* nominaliter sumptum significat ipsam *essentiam* rei, cui non repugnat habere *existentiam ;* et sic de omni re praedicatur essentialiter.

3° Quia praedicata essentialia conveniunt habenti essentiam, ex sua natura, secundum quod ipsum dicitur, et non ex aliqua causa. Quod quidem est ipsa praedicata convenire rei necessario et semper et immutabiliter ; et sic essentia cuiuscumque rei dicitur necessaria, aeterna et immutabilis. Necessaria quidem, quia sine illa res non intelligitur. Æterna autem, quia abstrahit a tempore et convenit rei in quocumque statu, sive possibilitatis sive realitatis. Immutabilis vero, quia si alicui naturae aliquid essentiale subtrahitur vel additur, iam altera erit natura et non eadem ; sicut in numeris accidit, in quibus unitas addita vel subtracta speciem variat [1].

Secundo : **Esse non est praedicatum essentiale alicuius substantiae creatae.**

1° Quia cuilibet rei creatae suum *esse* est ei per aliud, alias non esset creatum ; sicut esse lucidum actu non est de substantia äeris, quia est ei per aliud. Nam sic se habet omnis creatura ad Deum, sicut äer ad solem illuminantem. Sicut enim sol est lucens per suam naturam, äer autem fit luminosus participando lumen a sole, non tamen participando naturam solis : ita solus Deus est ens per suam essentiam, quia eius essentia est suum *esse ;* omnis autem creatura est ens participative, non quod sua essentia sit eius *esse*.

2° Quia cum solus Deus sit per suam essentiam, in solo igitur Deo *esse* est essentiale praedicatum. Et cum omnis creatura sit ens per participationem, in nullius creaturae essentia *esse* potest habere radicem ; sicut nec lumen habet radicem in aëre, sed statim cessat lumen cessante actione solis.

[1] *I. C. Gent.* cap. 22. — *II. C. Gent.* cap. 15. — *II. Sent.* dist. 3. q. 1. a. 1.

3° Quia praedicata essentialia conveniunt rei per se, de necessitate, et semper, et inseparabiliter, et ratione suae propriae essentiae ; quod quidem non verificatur de actu existendi per respectum ad ullam creaturam [1].

TERTIO : **Aut ergo in rebus creatis differt esse et essentia, aut omnes res creatae necessario sunt.**

Etenim si in hac vel illa re creata, v. g. Petro, sunt unum et idem *essentia* et *esse*, *esse* et *id quod est*, tunc *esse* sive actus existendi conveniret Petro sicut convenit ipsi esse hominem vel habere naturam humanam. Quoniam si in Petro non differunt haec duo : *a*) *esse*, *b*) et *esse hominem*, convenientia utriusque praedicati cum subiecto debet esse una et eadem, cum utrumque praedicatum supponatur omnino unum et omnino idem. Et tamen praedicata quidditativa conveniunt Petro semper et sub quacumque consideratione ; nam convenientia humanae naturae cum Petro abstrahit a tempore, includit necessitatem absolutam, est convenientia per se, et implicat non posse de Petro praedicari talem naturam. *Esse* autem quod est actus existendi, competit Petro, non semper, non sub quacumque consideratione ; ac nullam implicantiam involvit hoc quod Petrus non existat ; etenim convenientia existentiae cum Petro pendet ab alio et excludit necessitatem inter praedicatum et subiectum : est, inquam, convenientia per aliud et accidentalis.

Ad rem D. Thomas, *Quodl.* 2. a. 3. ad 2. : « Dicendum, quod *esse* est accidens, non quasi per accidens se habens, sed quasi actualitas cuiuslibet substantiae. Unde ipse Deus, qui est sua actualitas, est suum *esse* ». Et *Quodl.* 12. a. 5. : « Dico quod *accidens* dicitur large omne quod non est pars essentiae ; et sic est *esse* in rebus creatis, quia in solo Deo *esse* est eius essentia ».

[1] I. q. 8. a. 1. et q. 104. a. 1.

CAPUT OCTAVUM

Argumentum sextum. — In omnibus rebus creatis differt esse et quod est; alias omnes creaturae haberent modum essendi qui est proprius primi agentis.

Argumentum D. Thomae. — « Item : Cum omne agens agat in quantum est actu, primo agenti, quod est perfectissimum, competit esse in actu perfectissimo modo. Tanto enim aliquid est perfectius in actu, quanto talis actus est in via generationis posterior ; actus enim est tempore potentia posterior, in uno et eodem quod de potentia ad actum procedit. Perfectius est quoque in actu quod est *ipse actus*, quam quod est *habens actum;* hoc enim propter illud actus est.

His ergo positis, constat ex supra lib. I. cap. 13. et lib. II. cap. 15. ostensis, quod Deus solus est primum agens. Sibi ergo soli competit esse in actu perfectissimo modo, ut sc. sit ipse actus perfectissimus.

Hoc autem est *esse*, ad quod generatio et omnis motus terminatur ; omnis enim forma et actus est in potentia antequam *esse* acquirat.

Soli igitur Deo competit quod sit *ipsum esse*, sicut soli competit quod sit primum agens ».

Argumentum in forma. — Argumentum vero sextum ita se habet :

Soli Deo, primo agenti, competit perfectissimus modus essendi.

Perfectissimus autem essendi modus est, quod id quod est, sit ipse actus essendi.

Aut ergo in rebus creatis differt esse et id quod est, aut res creatae habent modum essendi proprium primi agentis.

Argumenti explanatio. — PRIMO : **Soli Deo, primo agenti, competit perfectissimus modus essendi.**

1° Quia omne agens agit in quantum est in actu ; unde secundum modum agendi est modus essendi ; atque idcirco agenti perfectissimo correspondet perfectissimus essendi modus.

2° Quia primum agens est primum ens ; primum autem ens maxime est ; et ideo actus essendi in primo ente maximam oportet ut possideat perfectionem.

3° Quia primum agens agit per suam essentiam ; ac proinde est per suam ipsam essentiam, et consequenter est in actu modo perfectissimo.

4° Quia primum agens est Deus, et Deus est : *Qui Est.*

SECUNDO : **Perfectissimus autem essendi modus est, quo id quod est, sit ipse actus essendi.**

1° Quia modus essendi perfectissimus est : *a*) esse per se et non per aliud ; *b*) esse perinde non causatum. Et talis modus essendi importat identitatem inter *id quod est, et ipsum suum esse.*

2° Quia *esse* est actus perfectissimus : *a*) eo quod est posterius in via generationis ac finis ad quem generatio et omnis motus terminatur ; *b*) eo quod est actualitas omnium formarum et omnium perfectionum ; omnis enim forma et actus est in potentia antequam *esse* acquirat. Unde illud, in quo non differt *esse* et *id quod est*, est in actu perfectissimo modo, quoniam est ipse perfectissimus actus.

3° Quia omne quod est actu, est ipse actus, vel est potentia participans actum. Porro, perfectius est in actu quod est ipse actus quam quod est habens actum seu subiectum participans actum ; hoc enim propter illud actus est. Illud vero, in quo non differt *esse* et *quod est*, proprie loquendo non habet actum essendi, sed est ipsemet essendi actus : *Suum Ipsum Esse Subsistens.*

TERTIO : **Aut ergo in rebus creatis differt esse et id quod est, aut omnes res creatae habent modum essendi proprium primi agentis.**

Unde D. Thomas, *I. Sent.* dist. 8. q. 4. a. 1. : « Illud quod est primum principium essendi, nobilissimo modo habet *esse*, cum semper sit aliquid nobilius in causa quam in causato. Sed nobilissimus modus habendi *esse*, est quod totum aliquid est suum *esse*. Ergo Deus est suum *esse*. Sed nullum compositum, totum est suum *esse;* quia *esse* ipsius sequitur componentia quae non sunt ipsum *esse*. Ergo Deus non est compositus ».

Et iterum *I. C. Gent.* cap. 28. : « Sic ergo secundum modum, quo res habet *esse*, est suus modus in nobilitate... Sed rei quae est suum *esse*, competit esse secundum totam essendi potestatem ; sicut si esset aliqua albedo separata, nihil ei de virtute albedinis deesse potest ».

Aut igitur in rebus creatis differt essentia rei et esse eius, *esse* et suppositum quod est subiectum essendi, aut res creatae non componuntur ex actu atque ex potentia participante actum in linea entis. Ideoque, sublata prima compositione quae est fundamentum ceterarum, nullus relinquitur locus compositioni cuicumque in rebus creatis ; sed creatura erit proinde omnino simplex et excludens quamcumque aliam compositionem.

Ubi enim non differt *esse et quod est*, ibi datur :

1° Ens in actu, quod est ipsum totum actus ;

2° Esse quod est per se stans ac subsistens ;

3° Nobilissimus modus habendi esse,

Ut sc. id quod est, sit suum *esse;* quoniam rei, quae est suum *esse*, competit esse secundum totam essendi potestatem.

CAPUT NONUM

Argumentum septimum. — In omnibus rebus creatis differt esse et id quod est; aliter substantia rerum creatarum erit substantia vel natura Dei.

Argumentum D. Thomae. — « Amplius : Ipsum *esse* competit primo agenti secundum propriam naturam ; *esse* enim Dei est eius substantia, ut supra lib. 1. cap. 22. ostensum est.

Quod autem competit alicui secundum propriam naturam suam, non convenit aliis nisi per modum participationis, sicut calor aliis corporibus ab igne.

Ipsum igitur *esse* competit omnibus aliis a primo agente per participationem quandam.

Quod autem competit alicui per participationem, non est substantia eius.

Impossibile est igitur, quod substantia alterius entis, praeter agens primum, sit ipsum *esse* ».

Argumentum in forma. — Argumentum vero septimum sic declaratur :

Ipsum esse competit Deo, primo agenti, secundum propriam naturam; est ipsa Dei substantia.

Quod autem competit Deo secundum propriam naturam suam, non competit aliis nisi per modum participationis.

Ergo in omnibus aliis a Deo, primo agente, esse non est substantia nec pars substantiae.

Argumenti explanatio. — Primo : **Ipsum esse competit Deo, Primo Agenti, secundum propriam naturam ; est ipsa Dei substantia.**

1° Quia in hoc differt natura divina a natura creata, quod sc. nulla forma vel natura creata est suum *esse*, sed ipsum *esse* Dei est eius natura vel quidditas; et inde habetur, quod proprium nomen ipsius est : *Qui est*, ut patet *Exod.* cap. 3., quia sic denominatur quasi a propria forma [1].

2° Quia *esse* inter omnes alias divinae bonitatis participationes, sicut *vivere* et *intelligere* et huiusmodi, primum est et quasi principium aliorum, praehabens in se omnia praedicta secundum quendam modum unita. *Intelligere* participat *vivere*, et *vivere* participat *esse*, et *esse*, quod participatur ab omnibus formis ac perfectionibus, nihil participat, quia respectu omnium perfectionum est ultima actualitas. Inde Deus est *Esse* tantum, et in ipso *esse* suo omnes perfectiones habet [2].

3° Quia omnes causae creatae communicant in uno effectu, qui est *esse*, licet singulae proprios effectus habeant in quibus distinguuntur. Calor enim facit *calidum esse*, et aedificator facit *domum esse*. Conveniunt ergo in hoc quod causant *esse;* sed differunt in hoc quod *ignis* causat *ignem*, et *aedificator* causat *domum*. Oportet ergo esse aliquam causam superiorem omnibus, cuius virtute omnia causent *esse*, et eius *esse* sit proprius effectus. Et haec causa est Deus. Proprius autem effectus cuiuslibet causae procedit ab ipsa secundum similitudinem suae naturae. Oportet ergo, quod hoc quod est *esse*, sit substantia vel natura Dei [3].

4° Quia omnibus commune est *esse*. Oportet igitur, quod supra omnes causas sit aliqua causa, cuius sit dare *esse*. Prima autem causa est Deus. Deus autem est Ens per essentiam suam, quia est ipsum *esse* [4].

5° Quia Deum omnes intelligunt et nominant : *a*) primum movens quod a nullo movetur ; *b*) primam causam non habentem causam ; *c*) primum necessarium non habens causam suae necessitatis aliunde ; *d*) primum ens ; *e*) primum

[1] *De Pot.* q. 2. a. 1. — *I. Sent.* dist. 8. q. 1. a. 1. — I. q. 13. a. 11.
[2] *De Ente et Essent.* cap. 6.
[3] *De Pot.* q. 7. a. 2.
[4] *II. C. Gent.* cap. 15.

gubernans per intelligentiam. Atqui de ratione horum quinque divinorum attributorum, sub quorum ratione Deum per creaturas cognoscimus, et quae ita sunt propria Dei ut nulli alii conveniant, est quod realiter identificentur *essentia* et *esse, actus essendi* et *id quod est. Esse* itaque Dei est ipsamet eiusdem substantia sive natura [1].

Secundo : **Quod autem competit Deo secundum propriam naturam suam, non competit aliis nisi per modum participationis.**

1° Ratione illius generalis principii : *Quod competit alicui secundum propriam naturam suam, non convenit aliis nisi per modum participationis, sicut calor aliis corporibus ab igne.* Quod quidem verificatur de omnibus naturis, tam in ordine logico sive praedicationis quam in ordine ontologico sive ipsiusmet realitatis. In ordine enim *logico* natura generis non convenit speciei nisi per modum participationis, et natura speciei non convenit individuo nisi per modum participationis ; et sic quod competit *animali* secundum propriam naturam suam, non convenit humanae naturae nisi per participationem quandam, quatenus contrahitur ac determinatur per differentiam *rationalitatis ;* et similiter quod competit *humanitati* secundum propriam naturam suam, non convenit huic homini, v. g. Socrati, nisi per participationem quandam, quatenus contrahitur ac determinatur per principia individuantia. Unde humanitas participat animalitatem, et hic homo participat humanitatem ; et non potest dici quod animalitas sit substantia humanitatis, quamvis sit de substantia eius, nec quod humanitas sit homo, quamvis sit pars formalis ac perfectiva hominis individui.

In ordine autem *ontologico* etiam quod competit uni naturae nequit convenire alii secundum illud quod est proprium illius. Naturae enim sive rerum essentiae sunt sicut numeri ; et id quod est proprium unius, est incommunicabile alteri secundum propriam naturam suam. Unde formae

[1] I. q. 2. a. 3. et q. 3. a. 4.

rerum sunt immutabiles et habent determinatum gradum perfectionis ; et superiores sunt in inferioribus non secundum propriam naturam, sed per modum participationis ; et inferiores sunt in superioribus non secundum propriam naturam, sed per modum cuiusdam eminentiae. Unde in isto ordine non tantum non potest dici quod una natura sit altera, verum etiam nec dici potest quod una natura aut forma sit de substantia alterius veluti pars eiusdem. Itaque quod participatur primo modo, potest esse de substantia participantis, sicut genus participatur a specie ; quod autem participatur secundo modo, participatur sicut aliquid non existens de essentia rei, sicut calor ignis ab aliis corporibus, sicut albedo ab homine, sicut sapientia ab angelo. Cum igitur *esse* sit maxime formale omnium et actualitas omnium formarum, et neque sit genus neque contrahatur ad inferiora per differentias, manifestum est : *a*) quod *esse*, quod est ipsa Dei substantia, non convenit aliis nisi per participationem quandam ; *b*) quod *esse*, Dei substantia ac propria Dei natura, participatur ab aliis sicut aliquid non existens de essentia rei. Atque ideo *esse* in omnibus aliis a Deo, primo agente, nec est substantia nec est de substantia tamquam pars essentialis eiusdem.

2° Ratione specialissima, quae continetur his duobus principiis : *a*) *Impossibile est aliquid univoce praedicari de Deo et creatura ; b*) *Id quod substantialiter est in Deo, accidentaliter fit in creatura participante divinam bonitatem.* Quae quidem duo fundamentalia principia, quorum alterum ex altero infertur, nam in Deo omnia sunt substantialiter et omnia sunt substantia Dei, ostenduntur ex professo a D. Thoma I. q. 13. a. 5. ; *I. C. Gent.* cap. 32. 33. et 34. ; et *De Pot.* q. 7. a. 7. et alibi pluries. Unde *esse*, quod est substantia Dei et competit Deo secundum propriam naturam, non est substantia aliorum a Deo, nec illis competit nisi per participationem quandam et quasi per modum accidentis.

Tertio : **Ergo in omnibus aliis a Deo, primo agente, esse non est substantia nec pars substantiae.** — Quoniam ex dictis *esse* a Primo Ente, in quo est ipsa substantia vel natura,

secundum alium modum quo in Ipso est, ad inferiora descendit, nempe per modum participationis, et comparatur ad omne participans sicut perficiens ad perfectibile, sicut actus ad potentiam, et sicut accidens ad subiectum : veluti calor ad calidum, et albedo ad album, et lucere ad corpus lucidum. Unde D. Thomas, *Quodl.* 2. a. 3. « In angelo est compositio ex essentia et esse ; non tamen est compositio sicut ex partibus substantiae, sed sicut ex substantia et eo quod adhaeret substantiae... Sicut album componitur ex eo quod est album et ex albedine ». Et *Quodl.* 3. a. 20. : « Manifestum est enim, quod solus Deus est suum *esse*, quasi essentialiter existens, in quantum sc. suum esse est eius substantia : quod de nullo alio dici potest ; *esse* enim *subsistens* non potest esse nisi unum, sicut nec albedo subsistens non potest esse nisi una. Oportet ergo, quod quaelibet alia res sit ens participative, ita quod aliud sit in eo substantia participans *esse* et aliud ispum *esse* participatum. Omne autem participans se habet ad participatum sicut potentia ad actum. Unde substantia cuiuslibet rei creatae se habet ad suum *esse* sicut potentia ad actum. Sic ergo omnis substantia creata est composita ex potentia et actu, id est, ex eo quod est et *esse ;* sicut album componitur ex eo quod est album et albedine. »

CAPUT DECIMUM

Argumentum octavum. — In omnibus rebus creatis differt essentia et esse ; aliter res creata concipi nequiret sine actu essendi.

Argumentum D. Thomae. — « Quidquid enim non est de intellectu essentiae vel quidditatis, hoc est adveniens extra et faciens compositionem cum essentia ; quia nulla essentia sine his, quae sunt partes essentiae, intelligi potest.

Omnis autem essentia vel quidditas intelligi potest sine hoc quod aliquid intelligatur de *esse* suo facto ; possum enim intelligere *quid* est *homo* vel *phoenix*, et tamen ignorare an *esse* habeant in rerum natura.

Ergo patet, quod *esse* est aliud ab *essentia* vel quidditate[1]. »

[1] Hoc quidem argumentum, quod est primum ex quatuor quae D. Thomas affert in opusculo *De Ente et Essentia*, affertur semel atque iterum ab Angelico Doctore, v. g. *II. Sent.* dist. 1. q. 1. art. 1., et ibidem dist. 3. q. 1. art. 1. atque in Opere *Totius Logicae Summa* quod inter opuscula D. Thomae reperitur, ubi ita legitur : « Nota, quod in creaturis esse essentiae et esse actualis existentiae differunt realiter, ut duae diversae res. Quod sic patet : Illud enim quod est extra essentiam alicuius, differt realiter ab ea. *Esse* autem actualis existentiae est extra essentiam rei, nam definitio indicat totam essentiam rei. *Esse* autem actualis existentiae est extra definitionem, quia in definitione ponitur solum genus et differentia, et nulla fit mentio utrum res definita existat vel non existat.

Apparet etiam hoc manifeste. Nam impossibile est posse intelligere aliquam rem non intelligendo ea quae sunt de essentia eius. Tamen constat, quod ego intelligo rosam, non intelligendo utrum actu sit vel non. Ergo actu esse vel *esse* actualis existentiae differt realiter ab essentia.

Unde circa primum in quacumque substantia creata est compositio *esse* et essentiae, quae non est compositio materie et formae,

Argumentum in forma. — Istud enim argumentum, in quo tanguntur radices verae sententiae inter Nominalium ac Platonicorum systema circa *naturas* universalium, ad hoc potest reduci :

Omnis enim natura vel essentia rerum creatarum potest intelligi absque actu essendi.

Natura autem vel essentia Dei nullo modo sine actu essendi intelligi potest.

Actus ergo sive esse est ipsa Dei essentia, et non est essentia nec pars essentiae in rebus creatis.

Argumenti explanatio. — PRIMO : **Omnis enim natura vel essentia rerum creatarum potest intelligi absque actu essendi.**

1° Constat ex ipsa experientia. Nam omnes res creatas possumus concipere ac intelligere secundum suas naturas vel essentias : *a*) absque eo quod intelligatur actus essendi ipsarum ; *b*) etiam cum hoc quod intelligatur tales naturas vel substantias rerum *non esse in actu.*

2° Quia, licet universalitas extra mentem non existat, sed consequatur actum nostri intellectus, verumtamen dantur naturae universales, quae respondent vocibus et

sed est compositio duorum principiorum suppositi, quorum essentia est potentia, et *esse* est actus. Unde *esse* respectu essentiae dicitur *accidens*, quia est extra essentiam rei ; et dicitur *substantia*, quia est in genere substantiae, sicut principium suppositi ; et est *actus simpliciter*, quia in genere substantiae, licet non sit forma quae est actus materiae ; et est *actus secundum quid*, quia essentia, cui advenit, non est pura potentia, sicut est pura materia.

Sciendum tamen est, quod *esse essentiae* per prius convenit speciebus, quia sola species definitur et definitio significat esse essentiae ; et per posterius dicitur de individuo seu convenit ei. *Esse autem existentiae* per prius convenit individuis ; ablato enim *esse* individuorum, impossibile est aliquid aliud remanere, ut Philosophus dicit *lib. Praedicament.* ; posterius autem convenit ipsis speciebus.

Unde *existere* sic de genere et specie dicitur sicut accidentia communia ; sic enim dicitur : *Homo existit*, quia Petrus existit ; sicut *homo currit*, quia Petrus currit. » (*Totius logicae Summa*, tract. 2. cap. 2. *Quid sit substantia secundum intentionem logicam.*)

conceptibus universalibus intellectus nostri. Cum veritate enim dicimus : *Petrus est homo, Paulus est homo :* et aliunde definitiones rerum, quae de universalibus sunt, res ipsas et non voces aut solos mentis internos conceptus referunt atque exprimunt.

3° Quia scientiae sunt de necessariis ; nam etiam in ipsis rebus contingentibus rationes necessarias respiciunt et attingunt ; et primum quod intelligitur a nobis secundum statum praesentis vitae est *quidditas* rei materialis, quae est nostri intellectus obiectum ; atque in nostra consideratione cadunt naturae specierum sine individualibus conditionibus et sine actu ipso essendi.

Secundo : **Natura autem vel essentia Dei nullo modo sine actu essendi intelligi potest.**

Invisibilia namque Dei a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur. Cum Deum autem consideremus ex eius effectibus, nihil prohibet considerare ipsum ex uno effectu et non considerare ex alio. Quamobrem cogitamus Deum et intelligimus aliqualiter Deum absque eo quod intelligamus eius *bonitatem* aut *iustitiam*. Non tamen possumus intelligere Deum absque eo quod intelligamus *Deum esse actu*.

Unde, quoad alia divina attributa, contingit quod possumus intelligere Deum aliqualiter, non intelligendo eius bonitatem vel non cogitando eius sapientiam ; non tamen possumus intelligere Deum intelligendo eum non esse bonum aut non esse sapientem ; hoc enim removeret substantiam Dei, quae est ipsa bonitas et ipsa sapientia.

Quoad *esse* vero sive *actum essendi : a*) minime possumus intelligere Deum, intelligendo eum *non esse*, quia hoc esset intelligere Deum non esse bonum, nec iustum, nec sapientem et huiusmodi : quod removeret substantiam Dei, quae est bonitas, sapientia et iustitia ; *b*) minime possumus intelligere Deum nisi intelligendo *eum esse ;* quia in Deo *esse* est de intellectu Divinae Essentiae ; atque ex identitate *esse* et *essentiae* in Deo demonstrantur omnes prorsus divinae atque infinitae perfectiones.

TERTIO : **Actus ergo essendi sive esse est ipsa Dei essentia, et non essentia nec pars essentiae in creatis.**

Quia in Deo idem est *esse* et *Deum esse*. Res significata per *Deus* est ipsa res significata per τὸ *est*. Actus essendi est de intellectu divinae quidditatis ; *quod quid est Dei* est ipsum *esse* Dei *subsistens*. Unde in Deo *esse* non advenit extra, non facit compositionem cum essentia, nec est praeter essentiam, sed identificatur cum illa.

Ex opposito in creaturis. Quapropter Aristoteles *II. Post. Analityc.* : « Id autem *quod quid est homo*, et *esse hominem*, aliud est... τὸ *esse* non est *substantia* ulli rei ; non enim genus est *ens* ». Et D. Thomas ibidem, *lect.* 6. sic declarans verba Philosophi : « In solo enim Primo essendi Principio, quod est essentialiter ens, ipsum *esse* et *quidditas* eius est unum et idem ; in omnibus autem aliis, quae sunt entia per participationem, oportet quod sit aliud *esse* et quidditas entis ». Et Caietanus in *Comm. Poster. Analytic.* cap. 6. : « In hoc loco Aristoteles expresse dicit quod *esse* non est ipsa *essentia* rei : quod est maximum fundamentum doctrinae Sancti Thomae ».

Atque ex reali compositione *esse* et *essentiae* in omnibus praeter Deum patet via ad veram sententiam circa naturas universales stabiliendam. Res enim creatae sunt contingentes et mutabiles quoad existentiam, et necessariae et immutabiles quoad essentiam. Essentiae enim rerum de se non includunt actum essendi, qui realiter distinguitur ab ipsa essentia et facit compositionem cum ea. Unde D. Thomas *De Ente et Essent.* cap. 4. : « Ideo, si quaeratur utrum ista natura possit dicit *una* vel plures, neutrum concedendum est, quia utrumque est extra intellectum eius, v. g. humanitatis, et utrumque potest sibi accidere... Patet ergo, quod *natura* hominis absolute considerata abstrahit a quolibet *esse*, ita quod non fiat praecisio alicuius eorum ; et haec natura, sic considerata, est quae praedicatur de omnibus individuis. » Sed de his infra [1].

[1] Lib. 2. cap. 7.

CAPUT UNDECIMUM

Argumentum nonum. — In omnibus rebus creatis differt esse et essentia; quia res, cuius essentia sit suum esse, non potest esse nisi una et prima.

Argumentum D. Thomae. — « Nisi forte sit aliqua res, cuius quidditas sit suum *esse;* et haec res non potest esse nisi una et prima, quia impossibile est ut fiat plurificatio alicuius nisi per additionem alicuius differentiae, sicut multiplicatur natura generis in speciebus ; vel per hoc, quod forma recipitur in diversis materiis, sicut multiplicatur natura speciei in diversis individuis ; vel per hoc, quod unum est abstractum et aliud in aliquo receptum, sicut si esset quidam color separatus, esset alius a colore non separato, ex ipsa sua separatione.

Si autem ponatur aliqua res, quae sit *esse* tantum, ita ut ipsum *esse* sit subsistens, hoc *esse: a*) non recipiet additionem differentiae, quia iam non esset *esse* tantum, sed *esse* et praeter hoc forma aliqua ; *b*) et multo minus recipiet additionem materiae, quia iam esset *esse non subsistens*, sed *materiale*. Unde relinquitur, quod talis res, quae sit suum *esse*, non potest esse nisi una. Unde oportet, quod in qualibet alia re praeter eam sit aliud *esse* suum et aliud quidditas vel natura seu forma sua. Unde in intelligentiis oportet quod sit *esse* praeter formam. Et ideo dictum, quod intelligentia est *forma* et *esse*. »

Argumentum in forma. — Nonum autem argumentum, per quod primum ac secundum magis declarantur, sic breviter exponitur :

Natura, cuius substantia est esse subsistens, non potest multiplicari.

Natura igitur, quae identificatur cum suo essendi actu, non potest esse nisi una numero.

Argumenti explanatio. — PRIMO : **Natura, cuius substantia est esse subsistens, non potest multiplicari.**

1° Quia esse subsistens non potest esse nisi unum tantum, ut in argumento primo ostensum fuit. Unde natura divina est una numero et Deus est unicus.

2° Quia ad hoc quod *esse* multiplicetur, oportet ut aliquo modo diversificetur ; et ad hoc quod diversificetur, oportet : *a*) vel ut accipiat aliquid ; *b*) vel ut in aliquo alio recipiatur. Non primum, quia est *esse* ; non alterum, quia est *subsistens*.

3° Quia omnis plurificatio fit : *a*) vel per additionem alicuius differentiae ; et sic natura generis, v. g. *animal*, multiplicatur in homine et in leone. *b*) Vel per hoc quod forma recipitur in diversis materiis ; et sic multiplicatur natura speciei, v. g. *humanitas*, in diversis individuis, ut in Socrate vel in Platone. *c*) Vel per hoc quod unum est abstractum, id est, separatum a subiecto et per se subsistens, et aliud est inhaerens subiecto vel coniunctum potentiae in qua est receptum ; et sic individuantur accidentia et individuatur etiam omnis forma separata a materia. Iam vero : *esse subsistens* nequit plurificari : *a*) per additionem alicuius differentiae, quia nec est genus, nec contrahitur per differentias logicas, nec ulla differentia reperiri potest extra conceptum entis ; *b*) nec per receptionem in materia, vel in potentia aliqua, vel in aliquo subiecto ; quia tunc iam non esset *esse subsistens*, sed *inhaerens*. Unde relinquitur quod :

SECUNDO : **Natura, quae identificatur cum actu essendi, non potest esse nisi una numero.** — Et sic oportet, quod in qualibet alia re, praeter Unam, sit aliud *esse* suum et aliud quidditas vel natura seu forma sua.

Oportet enim in substantia spirituali creata, cuius essentia est simplex, esse duo, quorum unum comparatur ad alterum

ut potentia ad actum. Omnia namque quae sunt, praeter primum ens quod est Deus, actus purus et infinitus, habent *esse* quasi inditum alicui naturae, quae non sit suum esse ; quasi adhaerens alicui substantiae, quae completur per ipsum in linea entis ; et in essentia rei receptum, cuius est actus, et per cuius naturam specificam ipsum *esse* contrahitur.

Atque ita in quolibet creato, quantumvis perfectae naturae, aliud est *esse* et aliud *substantia*, et inde realiter differt *esse* et *id quod est* [1].

Et licet intelligentia sive angelus transcendat totum ordinem corporalium rerum, quia tamen sua quidditas vel essentia non est ipsum suum *esse*, sed est res subsistens in suo esse participato, ideo quodammodo convenit in genere cum corporibus, quae etiam in suo esse subsistunt ; et sic secundum logicam intentionem videtur quod ponatur in genere substantiae. *Esse* substantiae creatae est coarctatum et limitatum, non per materiam, sed per hoc quod est receptum et participatum in natura determinatae speciei.

Causa autem prima non est natura subsistens in suo *esse* quasi participato, sed potius est ipsum esse subsistens ; et ideo est supersubstantialis et simpliciter inenarrabilis [2].

[1] *QQ. Disput. De spirituali creatura*, a. 1. — *De Anima*. a. 6.
[2] *Lib. de Causis*, lect. 7.

CAPUT DUODECIMUM

Argumentum decimum. — In omnibus rebus creatis differt essentia rei et esse eius ; quia essentia se habet tamquam materiale in rebus, et ipsum esse participatum tamquam formale.

Argumentum D. Thomae. — « Omne autem quod convenit alicui, vel est causatum ex principiis naturae suae, sicut risibile in homine ; vel advenit ab aliquo principio extrinseco, sicut lumen in aëre ex influentia solis.

Non autem potest esse, quod ipsum *esse* sit causatum ab ipsa forma vel quidditate rei ; dico sicut a causa efficiente ; quia sic aliqua res esset causa suiipsius, et aliqua res seipsam in *esse* produceret, quod est impossibile. Ergo oportet quod omnis talis res, cuius *esse* est aliud a natura sua, habeat *esse* ab alio.

Et quia omne quod est per aliud, reducitur ad id quod est per se, sicut ad causam primam, ideo oportet quod sit aliqua res, quae sit causa essendi omnibus rebus, eo quod ipsa est *esse* tantum ; alias iretur in infinitum in causis, cum omnis res, quae non est *esse* tantum, habeat causam sui *esse*. Patet ergo, quod intelligentia (angelus) est *forma* et *esse*, et quod *esse* habeat a primo esse, quod est *esse* tantum ; et hoc est prima causa, quae Deus est ».

Argumentum in forma. — Argumentum vero decimum, per quod iterum tertium ac quartun et quintum magis perficiuntur, sic potest poni :

Illud quod se habet in rebus creatis tamquam aliquid materiale vel ad modum materiae, et illud quod se habet tamquam formale, ad invicem realiter distinguuntur.

In omnibus autem rebus creatis essentia completa in ratione essentiae se habet tamquam aliquid materiale, et esse tamquam formale.

Patet ergo, quod etiam in angelis reperiuntur duo realiter distincta, nempe: forma sive substantia, et esse.

Argumenti explanatio. — PRIMO : **Illud quod in rebus creatis se habet tamquam materiale, et illud quod se habet tamquam formale, ad invicem realiter distinguuntur.**

1° Quia ubicumque inveniuntur duo, quorum unum est complementum alterius, proportio unius ad alterum est sicut proportio potentiae ad actum. Inter potentiam vero et actum ad invicem proportionata et sese mutuo respicientia, interesse oportet oppositionem quandam relativam ac diversitatem, et realem perinde distinctionem.

2° Quia materiale et formale in una et eadem re se habent ad invicem tamquam materia et forma, subiectum et accidens, recipiens et receptum ; inter quae ad invicem interest realis compositio.

3° Quia materiale ac formale in una et eadem re habent ad invicem rationem perfectibilis et perficientis, participantis et participati ; unde consequitur realis differentia habentis et habiti, eius quod actuatur et eius quod sicut actus ei adhaeret.

SECUNDO : **In omnibus autem rebus creatis essentia completa in ratione essentiae se habet tamquam materiale, et esse tamquam formale.**

1° Quia in rebus creatis ipsum *esse* non potest esse causatum ab ipsa forma vel quidditate rei sicut a causa efficiente [1] ; quia sic aliqua res esset causa suiipsius, et aliqua res seipsam in *esse* produceret. Unde *esse* advenit ab aliquo principio extrinseco, sc. a Deo, sicut lumen in aëre ex influentia solis. Et aliunde *esse* in creatis est adhaerens substantiae, sequens essentiam, et inhaerens formae, vel per formam ipsi composito ex forma ac materia. Unde in omni creatura reperitur *esse* et subiectum essendi.

[1] *De Ente et Essent.* cap. 5.

2° Quia omnes res creatae habent *esse* a Primo Esse, quod est *esse* tantum, et quod proinde est causa essendi omnibus rebus. At Deus simul dans *esse*, producit *id* quod *esse* recipit ; et ex hoc ipso, quod quidditati *esse* attribuitur, non solum *esse*, sed ipsa *quidditas* creari dicitur [1].

3° Quia *esse* quod rebus creatis inest, non potest intelligi nisi ut deductum ab Esse divino ; sicut nec proprius effectus potest intelligi nisi ut deductus a causa propria. Unde *esse* rerum omnium est causatum : *a*) a Deo, tamquam a causa efficienti, exemplari ac finali omnium entium ac totius prorsus entitatis universarum rerum [2] ; *b*) ex principiis essentialibus uniuscuiusque rei vel naturae, tamquam ex subiecto essendi atque ex potentia susceptiva ipsius *esse*. Quapropter D. Thomas, *IV. Metaph.* lect. 1. ait : « Substantia rei est una et ens per seipsam, et non per aliquid additum. *Esse* enim quamvis sit aliud ab eius *essentia*, non tamen est intelligendum quod sit aliquid superadditum ad modum accidentis, sed quasi constituitur per principia essentiae ».

At *esse*, actus essentiae, non potest constitui per principia essentiae : *a*) *efficienter*, quia sic a solo Deo ; *b*) nec *formaliter*, quia ad ipsam etiam formam comparatur ipsum *esse* ut actus ; et illud quod est maxime formale omnium, est ipsum *esse*, et *esse* est actus ipsarum formarum [3]. Ergo : *c*) *materialiter*, per modum potentiae et subiecti : 1° Quia substantia completa est proprium susceptivum ipsius esse, et « per formam substantia fit proprium susceptivum eius quod est *esse* [4] ». 2° Quia « *esse* consequitur formam ; nec tamen forma est suum esse, cum sit eius principium... Ipsa enim essentia formae comparatur ad *esse* sicut potentia ad proprium actum » [5]. 3° Quia *esse* est id quo formaliter sunt omnia ; « nam ipsum *esse* est quo aliquid est, sicut cursus est quo aliquis currit [6]. »

[1] *De Pot.* q. 3. a. 1. et 5.
[2] I. q. 44. a. 1. 4.
[3] I. q. 4. a. 1. — *II. C. Gent.* cap. 53. et 54.
[4] II. *C. Gent.* cap. 55.
[5] *De Anima*, q. unica. a. 6.
[6] Ibidem.

Unde « *esse* non est causatum tantum ex principiis essentialibus rei »[1]; tamen aliquo modo est causatum et quasi constitutum per principia essentiae, cuius *esse* est actus et in qua recipitur *esse* sicut claritas in diaphano et sicut albedo in eo quod est album. Etenim « per hoc in compositis ex materia et forma, forma dicitur esse *principium essendi*, quia est complementum substantiae, cuius actus est ipsum *esse*; sicut diaphanum est aëri principium lucendi, quia facit eum proprium subiectum luminis »[2].

TERTIO : **Patet ergo, quod etiam in angelis et in anima rationali reperiuntur duo realiter distincta, nempe : forma et esse, substantia et actus substantiae.**

Quoad *angelos* ita D. Thomas, *De causis* lect. 3. : « Causa prima habet altiori modo *esse* quam alia. Nam intelligentia habet *yleachim*, id est, aliquid materiale vel ad modum materiae se habens ; dicitur enim *yleachim* ab *yle*, quod est materia. Et quomodo hoc sit, exponit subdens, quoniam yleachim est *esse* et *forma*. Quidditas enim et substantia ipsius intelligentiae est quaedam forma subsistens et immaterialis ; sed quia ipsa non est suum *esse*, sed est subsistens in esse participato, comparatur ipsa forma subsistens ad esse participatum sicut potentia ad actum et ut materia ad formam. »

Quoad *animam* vero *rationalem* etiam sic in I. q. 90. a. 2. ad 1. : « In anima est, sicut materiale, ipsa simplex essentia ; formale autem in ipsa est *esse* participatum, quod quidem ex necessitate simul est cum essentia animae ; quia *esse* per se consequitur ad formam ». Et *II. Sent.* dist. 17. q. 1. a. 2. : « Illud, quo anima est formaliter, non est aliqua forma quae sit pars essentiae eius, sed ipsum suum *esse* »[3].

[1] I. q. 3. a. 4.

[2] *II. C. Gent.* cap. 54.

[3] B. ALBERTUS MAGNUS, *De processu rerum a Prima Causa*, lib. 2. tract 2. cap. 18. : « Ut autem dicit Aristoteles et Boëtius, in incorporalibus *hyle* non est ; tamen ibi *suppositum* quod in sustinendo naturam communem, *hyle* habet proprietatem, propter hoc a quibusdam philosophis *hyleachim* vocatur. Quod quid sit, in praehabitis

A prima igitur causa, quae est ipsum *esse* subsistens, producitur omne ens quod quocumque modo est, atque universitas rerum secundum totam suam entitatem : forma et materia, substantia et esse, id quod est et actus essendi. Oportet enim quod omne participatum derivetur ab eo qui pure subsistit per essentiam suam. Unde relinquitur, quod *esse* intelligentiae et omnium entium sit bonitate pura causae primae. Et sic ipse Deus, qui est *esse* tantum, est quodammodo species omnium formarum subsistentium quae *esse* participant, et non sunt suum *esse* [1].

ostendimus. Est enim *hoc* quod a Prima Causa productum est ad *esse* receptionem ; et hoc est quod saepe iam probatum est. Et quod Boëtius dicit, quod citra Primum, quidquid est, est ex *quo est* et *quod est ;* aliter enim non esset *hoc aliquid*. ... Patet ergo intelligentiam (angelum) componi ex *esse* et *quod est ;* et similiter animam, et similiter naturam, et sic omnia esse composita ex *esse* et *quod est*.

[1] *De Pot.* q. 6. a. 6. ad 4. et ad 5. — *De Causis*, lect. 9.

CAPUT DECIMUM TERTIUM

Argumentum undecimum. — In omnibus rebus creatis differt essentia et esse ; quia omne ens creatum constat actu et potentia in linea entis.

Argumentum D. Thomae. — « Omne autem quod recipit aliquid ab alio, est in potentia respectu illius ; et hoc quod receptum est in eo, est actus eius.

Ergo oportet, quod ipsa forma vel quidditas, quae est intelligentia, sit in potentia respectu *esse*, quod a Deo recipit ; et illud *esse* receptum est per modum actus.

Et ita invenitur actus et potentia in intelligentiis, non tamen forma et materia nisi aequivoce. Unde etiam *pati*, *recipere*, *subiectum esse* et omnia huiusmodi quae videntur rebus ratione materiae convenire, aequivoce conveniunt substantiis intellectualibus et corporalibus.

Et quia intelligentiae quidditas est ipsamet intelligentia, ideo quidditas vel essentia eius est ipsum quod est ipsa ; et *esse* suum, receptum a Deo, est id quo subsistit in rerum natura. Et propter hoc a quibusdam huiusmodi substantiae dicuntur componi ex *quo est* et *quod est*, vel ex *quo est* et *essentia*, ut Boëtius dicit in *Lib. Praedic* ».

Argumentum in forma. — Postremum denique argumentum, per quod adhuc sextum et septimum complentur, sic ponitur :

Solus Deus est actus purus.

Omne autem ens creatum constat actu et potentia in ipsa ratione entis constitutiva.

In omnibus igitur praeter Deum differt essentia rei et esse eius : quae sunt prima potentia et primus actus in ipsa entis constitutione.

Argumenti explanatio. — PRIMO : **Solus Deus est actus**

purus. — De ratione enim primi moventis quod a nullo movetur, et primae causae efficientis non habentis causam, et primi entis, et primi intellectus, est quod in illo non sit aliud *esse* et aliud eius *essentia*. Unde, quia soli Deo competunt quinque praedicata, quae constituunt terminos quinque viarum quibus Deum esse probari potest, solus idcirco Deus est suum esse, ens per essentiam, ipsummet Esse subsistens.

Atque ex identitate esse et essentiae in Deo necessario infertur Deum esse : *a*) omnino simplicem ; *b*) omnimode perfectum ; *c*) bonum per essentiam ; *d*) infinitum simpliciter secundum omnem excellentiam ac potestatem essendi ; *e*) omnino immutabilem ac aeternum ; *f*) maxime unum ; *g*) ipsum intelligere ac velle subsistens ; *h*) omnipotentem ; *i*) ipsum amorem, gaudium ac beatitudinem subsistentem ; *j*) causam efficientem primam, exemplarem supremam ac finalem ultimam cunctarum rerum ; *k*) universale principium ac fontem totius esse ; *l*) ipsum actum essendi subsistentem, in quo est *esse* tantum, et in quo totum est *esse*, et qui in ipso esse suo omnes perfectiones habet, et in quo omnes excellentiae et nobilitates unum sunt, sc. : Ipsa substantia Dei.

Secundo : **Omne autem ens creatum constat ex actu et potentia in ratione constitutiva ipsius entis.**

1° Quia solus Deus est actus purus, ens per essentiam, esse subsistens ; et esse subsistens non potest esse nisi unum tantum. Unde D. Thomas, *II. C. Gent.* cap. 16. : « Deus autem non est ens actu per *aliquid sibi adhaerens*, sed per totam suam substantiam. » *Esse* igitur aliorum entium est *esse adhaerens* alicui formae et naturae tamquam subiecto. Unde omne ens praeter Primum constat ex forma et esse, ex substantia et actu essendi.

2° Quia *esse* praedicatur de solo Deo essentialiter ; de creaturis autem per participationem. Quandocumque autem aliquid praedicatur de altero per participationem, oportet ibi aliquid esse praeter id quod participatur. Duo itaque reperiuntur elementa in constitutione totius entis creati subsistentis, videlicet, *forma* participans *esse* et ipsum *esse* participatum iuxta capacitatem formae.

3° Quia : *a*) omnis creatura habet *esse* a Deo, qui est *esse* tantum ; *b*) *esse* quod a Deo accipit, recipitur in substantia creaturae ut actus eius ; *c*) eatenus causatur, quatenus facit compositionem cum substantia cuius est actus ; quia de ratione causati est compositio saltem ex *esse* et ex *eo quod est*. Unde in omni ente creato est : *a*) aliquid praeter *esse* ; *b*) aliquid habens rationem potentiae substantialis receptivae ipsius *esse* ; *c*) et aliquid quod componit cum suo *esse ipsum ens* complete constitutum in ratione existentis. Omne namque ens constituitur *ut sit* ; et *esse* pertinet ad constitutionem suppositi ut actus proprius eius et ita se habet in ratione termini in constitutione rei subsistentis.

Ad rem D. Thomas, *In Joh.* cap. 16. lect. 4. : « Tria enim sunt in acceptione creaturarum, quorum duo non sunt in divinis, sc. quia in creaturis aliud est quod accipit, et aliud quod accipitur : quod non est in divinis... Aliud est, quod in creaturis accipiens aliquando fuit non habens id quod accipit... Et hoc quidem non est in divinis. » Accipere in divinis « non importat *participationem*, sed *consubstantialitatem*. »

Tertio : **In omnibus igitur praeter Deum differt essentia rei et esse eius, quae sunt prima potentia et primus actus in ordine existentium.**

1° Quamvis enim non omne acceptum sit receptum in aliquo subiecto, alioquin non posset dici quod tota substantia rei creatae sit accepta a Deo, cum totius substantiae non sit aliquod subiectum receptivum : tamen in omnibus creaturis, etiam substantiis immaterialibus, *esse* earum non est absolutum, sed *receptum* per modum actus inhaerentis ; et ideo limitatum ac finitum ad capacitatem naturae recipientis. Utrumque autem a Deo, qui dans *esse* producit simul *id* quod *esse* recipit.

2° Quoniam absque reali compositione creaturae in linea entis, quae est compositio ex essentia et esse, nulla daretur nec dari potest compositio in rebus ; nam, exclusa compositione ex *esse* et ex *eo quod est*, nec daretur compositio materiae ac formae, nec naturae ac suppositi, nec generis ac differentiae, nec subiecti et accidentis, nec cuiuscumque alterius compositionis.

3° Quoniam non admissa reali compositione potentiae et actus in *ordine essendi*, nec relinquitur locus alicui compositioni in *ordine operandi*. Uterque namque ordo sibi ad invicem respondet ; *operari* sequitur *esse ;* et qualis est modus essendi, talis est et operandi modus ; et quomodo se habet essentia et esse in linea entis, sic se habet virtus agendi et actio in linea operationis. Ubi enim non differt essentia rei ab eius esse, ibi nec differt potentia operativa ab operatione. Unde in Deo, in quo non est aliud substantia et aliud esse, nec est aliud substantia et aliud agere, nec aliud potentia operativa et aliud ipsa operatio.

Quamobrem D. Thomas solet frequenter declarare ordinem essendi per comparationem ad ordinem operandi, qui nobis est magis manifestus atque apertus. *II. Sent.* dist. 15. q. 3. a. 1. ad 5. : « *Esse* rei consequitur principia essentialia, sicut *operatio* virtutem ». *Compend. Theol.* cap. 30. : « Eodem modo comparatur intellectus ad intelligere, sicut essentia ad *esse* ». I. q. 34. a. 1. ad 2. : « Ita se habet intelligere ad intellectum in actu, sicut *esse* ad ens in actu ». Et I. q. 54. a. 1. : « Actio enim est proprie actualitas virtutis, sicut *esse* est actualitas substantiae vel essentiae ». Et *De spirituali creatura*, a. 11. : « Sicut autem ipsum *esse* est actualitas quaedam essentiae, ita operari est actualitas operativae potentiae seu virtutis ».

Exinde etiam manifeste iam apparet, quomodo magna illa controversia de influxu causae primae in omnes causas secundas intime sit connexa cum hac altissima quaestione de essentia et esse ; et veritas physicae praemotionis, tam in ordine naturae quam gratiae, veniat postremo ostendenda ex ipso ordine essendi, atque tamquam in radicem propriam resolvenda in veritatem fundamentalem Philosophiae Christianae : *Solus Deus est suum esse ; in omnibus autem aliis differt essentia rei et esse eius* [1].

[1] Vide *lib.* 4. cap. 6. — Cfr. DEL PRADO : *De gratia et libero arbitrio*, vol. 2., cap. 10.

CAPUT DECIMUM QUARTUM

Esse subsistens et omnia alia entia quae sub ipso sunt. Totius primi libri recapitulatio.

PRIMO : **Compositio essentiae seu naturae individuae cum esse existentiae, quae invenitur in omni creatura, est compositio omnino realis.** — *a*) Ita aperte constat ex testimonio ipsius Angelici Doctoris, qui expressis verbis tradit omne, quod est directe in praedicamento substantiae, esse compositum saltem reali compositione ex *substantia* et *esse* quod adhaeret substantiae, sive *ex esse* et *quod est* : ut ex dictis ostensum manet in 2. cap. *b*) Ita etiam constat ex argumentis hactenus explanatis, per quae D. Thomas demonstrative probat quod ens, cuius natura vel substantia est per identitatem sua existendi actualitas, non potest esse nisi *unum* tantummodo, et *infinitum*, et *increatum*, et *ens per essentiam*, et *perfectissimum*, et *immultiplicabile*, et omnino *immutabile*, nec posse accipere quodlibet accidens, nec poni sub genere in praedicamento : quae quidem omnia et alia huiusmodi, quae ex identitate essentiae et esse necessario oriuntur, sunt propria solius divinae substantiae.

SECUNDO : **Dantur ergo in omni re creata saltem duo principia realia constitutiva entis subsistentis : unum actuale, alterum potentiale.** — In ordine namque principiorum actualium, primum est *esse* vel existere ; quia *esse* est primus actus in linea entis, nec aliquid designatur in actu nisi per *esse*. In ordine vero principiorum potentialium, primum est essentia, vel saltem aliqua essentiae pars, quae dicitur *materia prima;* quia materiae inhaeret forma. Forma enim substantialis per primum inhaeret materiae ; et per ipsam

formam ipsum *esse*. Forma quidem est medium in acquirendo *esse* ipsi materiae et ipsi composito ; quia ipsum compositum non esset, nisi forma inhaerens esset materiae. Et ideo, considerando ipsam inhaerentiam, *esse* sequitur formam ; sed *esse* prius est in ordine actuum quam forma. Sicque considerando ipsam actualitatem, forma sequitur *esse*. Rursus : *esse* respectu essentiae est *actus simpliciter ;* sed aliquando dicitur *actus secundum quid*, eo quod essentia, cui advenit et cuius est complementum in linea substantiae existentis, non est pura potentia subiectiva, sicuti est materia prima. Quamobrem D. Thomas iuxta has diversas considerationes aliquando asserit : *Esse est primum omnium actuum*, seu : *Primum inter omnes actus est esse ;* aliquando autem : *Ultimus actus est ipsum esse* [1]. Formis vero ipsis, separatis a materia ac sine consortio materiae subsistentibus, inhaeret, tamquam proprio subiecto, ipsum *esse*, ita ut in omnibus rebus creatis essentia vel natura sit tamquam *medium*, per quod creatura participat existentiam et accipit a Deo Creatore fluxum essendi.

Tertio : **Inter actum existendi et nihil entitativum rei mere possibilis in seipsa, mediat potentia subiectiva, quae involvit positivam entitatem.** — In omni quidem compositione oportet esse duo, quae ad invicem se habeant sicut potentia ad actum. In compositione autem essentiae et esse aliud est essentia et aliud esse ; et ideo oportet quod aliud sit quod *sit*, et aliud quo *aliquid* sit ; nam per *esse* suum de quolibet dicitur quod *est ;* per essentiam vero suam de quolibet dicitur *quid sit*. Haec autem sunt duo principia entis subsistentis, quae in reali constitutione substantiae existentis ad invicem se habent sicut potentia et actus. Ipsum *esse* est *actus* et *quo est*. Similiter essentia sive natura, cui *esse* adiungitur, est potentia receptiva ipsius *esse* et id *quod potest* esse ; ac cum *esse* accipit, est *id quod est*. Unde nec *esse* est *id quod*

[1] I. q. 76. a. 6. — *Comp. Theol.* cap. 10. — *QQ. Disp. De Anima*, a. 6. ad 2. Et alibi. — Cfr. Etiam inter opuscula D. Thomae *De natura materiae*, cap. 4. et *Summ. totius Logicae*, tract. 2. cap. 2.

est, nec essentia vel natura, seorsum considerata, est *id quod est;* sed utrumque est reale principium rei subsistentis ; atque ex utroque, veluti ex potentia et actu, constituitur *subsistens* seu substantia singularis ac individua stans sub suo esse ; unde fit sui iuris quoad esse et operari. Itaque inter nihilum rei et *ens ut quod*, mediat *ens* ut *quo ;* interque actum existendi et nihil entitativum rei possibilis, mediat potentia subiectiva seu entitas positiva rei quae existit ; at non seipsa sola, sed per existentiam, ratione cuius habet actu existere. Quod D. Thomas docet, dum in *Qu. Disput. De spirituali creatura, a.* 1. ait : « Manifestum est enim quod, cum potentia et actus dividant *ens*, et cum quodlibet genus per actum et potentiam dividatur... oportet enim in substantia spirituali creata esse *duo*, quorum unum comparatur ad alterum ut potentia ad actum... Et sic in quolibet creato aliud est natura rei quae participat *esse*, et aliud ipsum *esse* participatum. » Ac *Quodl.* 3. a. 1. : « Omne enim quod est actu, vel est *ipse actus*, vel est *potentia participans* actum ».

Quarto : **Potentia subiectiva, quae mediat inter nihilum rei et esse, est compositum ex materia et forma in substantiis materialibus, et ipsa forma subsistens in substantiis spiritualibus.** — Quod perspicue declarat D. Thomas, *II. C. Gent.* cap. 54. dum ostendit quod non est idem compositio ex materia et forma, et ex substantia et esse. Utraque siquidem est compositio realis et ad genus substantiae pertinens ; attamen *materia* non est ipsa substantia rei, sed pars substantiae ; nec materia potest dici *quod est;* sed ipsa substantia, composita ex materia et forma, est *id quod est;* inde ipsum *esse* non est proprius actus materiae, sed substantiae totius. Similiter, nec forma est ipsum *esse*, quia etiam ad ipsam formam comparatur *esse* ut actus ; dicitur tamen *causa formalis* essendi ipsi composito, quia est complementum substantiae, cuius actus est ipsum *esse;* et sic est principium essendi, sicut diaphanum est aëri principium lucendi, quia facit eum proprium subiectum luminis. Unde in compositis ex materia et forma, nec materia nec forma potest dici *ipsum quod est*, nec etiam ipsum *esse;* forma tamen potest

dici *quo est*, quatenus est essendi principium. Ipsa autem tota substantia est *ipsum quod est;* et ipsum *esse* est *quo* substantia denominatur *ens*. In substantiis vero intellectualibus, in quibus ipsa forma est substantia subsistens, forma subsistens est *quod est;* et *esse* est actus formae et *quo* forma *est*. Semper ergo verificatur quod per formam res appropinquat ad *esse;* et forma est medium per quod acquiritur rei proprius essendi actus. Quapropter D. Thomas, *QQ. Disp. De Carit.* q. unica, a. 1. ad 13. : « Deus esse naturale creavit sine medio efficiente, non tamen sine medio formali. Nam unicuique dedit formam per quam esset. » Et *De Verit.* q. 27. a. 1. ad 3. : « Esse naturale per creationem Deus facit in nobis, nulla causa agente mediante, sed tamen mediante aliqua causa formali ; forma enim naturalis principium est *esse* naturalis. »

QUINTO : **Ablata reali compositione substantiae et esse in omnibus quae sub Primo Ente sunt, non potest fugi error Pantheismi.** — Quod patet : 1° Ex primo ac secundo argumento supra iam expositis, quibus Angelicus Doctor, *II. C. Gent.* cap. 52. ostendit, quod in substantiis spiritualibus differt *esse* et *quod est*. Nam aliter, supposita identitate substantiae et esse, habebitur actus purus in linea entis seu Esse subsistens : quod non potest esse nisi unum tantum. Idcirco una tantum erit substantia, nisi in omni substantia, quae est praeter Deum, aliud sit ipsa substantia et aliud eius esse. Nulla porro daretur ratio diversitatis neque inter Primum Ens et alia entia, nec inter ipsa entia quae sub Primo Ente sunt ; quoniam « *esse*, in quantum est *esse*, non potest esse diversum ; potest autem diversificari per *aliquid* quod est praeter *esse;* sicut esse lapidis est aliud ab esse hominis. » Quam quidem fundamentalem doctrinam tradit constanter et ubique firmiter tenet D. Thomas. *De Malo*, q. 16. a. 3. : « Deus enim per suam essentiam est ipsum esse subsistens ; nec est possibile esse duo huiusmodi, sicut nec possibile foret esse duas ideas hominis separatas aut duas albedines per se substantes. Unde quidquid aliud ab eo est, necesse est quod sit tamquam *participans* essentialiter ipsum

esse. » Et *De Verit.* q. 2. a. 11. : « Quidquid autem est in Deo, hoc est suum proprium esse ; sicut enim *essentia* in eo est idem quod *esse*, ita *scientia* idem est quod *scientem esse* in eo. Unde, cum *esse*, quod est proprium unius rei, non possit alteri communicari, impossibile est quod creatura pertingat ad eandem rationem habendi aliquid quod habet Deus ; sicut impossibile est quod ad idem *esse* perveniat. Similiter etiam in nobis esset ; si enim in Petro non differet *homo* et *hominem esse*, impossibile esset quod *homo* univoce diceretur de Petro et Paulo, quibus est *esse* diversum. »

b) *Ex ipso pantheismo Spinozae.* — Spinoza enim procedit ex identitate essentiae et existentiae ad inferendam unitatem substantiae. Totus eius logicus processus praesupponit identitatem substantiae et esse, et quod existentia pertinet ad naturam substantiae ; atque ex hoc, quod essentia substantiae involvit existentiam, infert ac necessario colligit unam tantum esse substantiam. Processus logicus Spinozae sic potest simpliciter exponi : *Substantia est ens, cuius essentia est esse, et ad cuius naturam pertinet existere. Sed ens, cuius substantia seu natura est esse, non potest esse nisi unum ; quia esse subsistens non potest esse nisi unum. Non datur igitur nisi una sola substantia*[1]. Pantheismi namque error non potest facile fugi nec philosophice ac solide refutari a negantibus realem compositionem substantiae et esse in entibus quae sub primo ente sunt. Non alia relinquitur via, nisi appellare ad creationem. At :

Sexto : **Via recta ac vere philosophica ad veritatem creationis demonstrandam non alia est nisi realis compositio substantiae et esse in omnibus quae sub Primo Ente sunt.** — Quod profecto iam patet ex argumento quarto supra expla-

[1] Spinozae *Opera philosophica. — Ethices, pars prima de Deo.* — « Definitio 1. : Per causam sui intelligo id cuius *essentia* involvit *existentiam*, sive id cuius natura non potest concipi nisi existens. » « Propositio VII. : *Ad naturam substantiae pertinet existere.* Demonstratio : Substantia non potest produci ab alio. Erit itaque causa sui ; id est, ipsius essentia involvit necessario existentiam sive ad eius naturam pertinet existere. »

nato, quo D. Thomas ostendit ens, cuius substantia et esse identificantur, non posse esse creatum ; quia hoc est contra rationem facti, quod essentia rei sit ipsum esse eius, et quia de ratione causati est saltem realis compositio ex *esse* et *quod est*. Atque hoc amplius adhuc patebit ex dicendis infra lib. 3. cap. 4. et lib. 4. cap. 2. Eo quippe modo est necessaria resolutio omnis entis creati in *id* quod est et in suum *esse*, quemadmodum necessaria est resolutio entis generati in partes essentiae, quae sunt materia et forma. Illa sunt prima potentia et primus actus in linea entis ; haec autem sunt prima potentia et primus actus in linea substantiae corporalis. Sicut ergo resolvere oportet ad generationem rerum omnes sensibiles substantias usque ad materiam et formam, ita oportet ad creationem rerum resolvere omne ens creatum in subiectum essendi et esse. Absque reali compositione materiae et formae non datur generatio substantialis ; absque reali compositione substantiae et esse dari non potest creatio. Id, quod proprie fit et per creationem producitur, est res subsistens composita ex substantia tamquam ex potentia, et ex *esse* tamquam ex actu ; quorum utrumque indiget, in sua propria entitate, entitate alterius veluti comprincipii in constituenda ratione entis existentis. Substantia quidem ; quoniam, cum sit potentia subiectiva ac realitatem importans, redditur completa et actualis per existentiam. Existentia vero ; quia cum *esse* sit actus non subsistens, indiget essentia substantiali cui inhaereat. Atque ex utriusque compositione resultat substantia existens, cuius quidditati competit esse non in alio, sed per se esse ; quod tamen *esse* non est ipsa eius essentia. Quae quidem duo elementa entis creati constitutiva ita indicat D. Thomas, I. q. 44. a. 2. ad 3. : « Licet enim omne creatum sit in actu, non tamen est actus purus. Unde oportet quod etiam illud, quod se habet ex parte *potentiae*, sit creatum, si totum, quod ad esse ipsius pertinet, creatum est. » Et *De Pot.* q. 3. a. 1. ad 17. : « Deus simul dans *esse*, producit *id* quod *esse* recipit. »

SEPTIMO : **Sublata reali compositione substantiae et esse in omnibus quae sub Primo Ente sunt, de medio tollitur nota**

characteristica seu differentia primaria qua Deus secernitur a creaturis. — *Nota characteristica* qua Deus differt a creaturis, et *nota characteristica* qua creaturae differunt a Deo, *illud* sit oportet, quod est *primum in via iudicii* ad declaranda attributa quae competunt Deo et quae creaturis conveniunt. Quaerenda est ergo nobis *ratio suprema*, in qua continetur radix omnium differentiarum, quibus Deus secernitur a creaturis, et in qua reperiatur *fundamentum* divisionis entis realis in mutabile et immutabile, in multiplicabile et immultiplicabile, in contingens et necessarium, in finitum et infinitum, in independens et ab alio, in per essentiam et per participationem, in creatum et increatum. Etenim nota characteristica, qua Ens Primum differt ab aliis entibus quae sub Ipso sunt, debet exprimere ea quae sunt propria Entis Primi, videlicet, esse necessarium, absolutum, independens, simplicissimum, infinitum in essendo : realitas nimirum incircumscripta, sine limite, in qua adinveniatur omnis perfectio et ipsa plenitudo essendi. E converso, nota characteristica secundum quam omnia entia, quae sub Primo Ente sunt, differunt ab ipso, debet exprimere ea quae sunt propria entis creati : esse sc. finitum, contingens, ab alio dependens ut actu existat, esse secundarium : realitas denique limitata, habens determinatum gradum essendi, realitas participans et accipiens ab alio suam entitatem participatam.

Iam vero : iuxta doctrinam philosophicam D. Thomae [1], identitas esse et essentiae in Deo, et realis compositio utri-

[1] Ad rem Cardinalis Gonzalez : « Una de las principales razones de que echa mano el Santo Doctor para establecer *la distincion real*, se funda solre el comun sentir de los Padres de la Iglesia y filósofos cristianos más autorizados, los cuales todos á una voz nos enseñân que es *atributo propio* de Dios existir esencialmente ó por su esencia misma ; de manera que su esencia es la existencia actual ô el acto de existir, conforme á la definicion que la Divinidad dió de sí misma, cuando dijo á Moysés : Yo soy el que soy. — Luego si en las criaturas la existencia se identifica absolutamente con su esencia, podremos decir de ellas que existen esencialmente, es decir, por su misma esencia, del mismo modo que lo decimos de Dios... — Santo Tomas observa con profundidad, que precisamente porque la existencia de las criaturas depende de Dios como de su causa eficiente, es im-

usque in omnibus praeter Deum, constituit *fundamentum scientificum* primae divisionis entis realis, ac exhibet *differentiam radicalem* inter Creatorem et creaturas. Ex hoc enim quod in Deo, Primo Ente, esse et essentia identificantur, substantia Dei est ipsum Esse subsistens, Unum tantum, Infinitum, Increatum, Ens per essentiam, Perfectissimum, Simplicissimum, Maximum in essendo ; ac perinde sufficientissima et dignissima et perfectissima Causa totius esse ; et

posible que se identifique su existencia con su esencia... » (*Estudios sobre la filosofia de Sto. Tomas*, lib. 2. *Ontologia*, cap. 6.)

Postea, robur argumentorum diiudicans quibus Angelicus Doctor thesim hanc demonstrat, atque idearum sublimitatem admirans, ita eloquitur : « Cualquiera que sea la opinion que se adopte sobre la cuestion que nos ocupa, preciso serà convenir en que las ideas del Santo Doctor aquí consignadas, encierran ideas y reflexiones altamente filósoficas y dignas de un exámen detenido y concienzudo. Hay aquí concepciones abstractas, si, pero cuya abstraccion en nada perjudica á su solidez. Hay aqui concepciones de un genio eminente, cuya penetrante inteligencia campea por las elevadas regiones de la Metafísica ; concepciones, que llevan el sello de una meditacion profunda ; concepciones, enfin, que basadas sobre la idea de la Divinidad en si misma y en sus relaciones con los séres criados, sirven de punto de partida à procedimientos tan lógicos como vigorosos. Las nociones fundamentales de la esencia y de la existencia, el desarrollo de la idea filosófico-cristiana de Dios, la dependencia y relaciones de los seres criados con respecto á la Divinidad, la razon de primer principio que á ésta compete relativamente á las criaturas, la razon y concepto propio de la existencia, que implicando en sí misma cierta especie de infinidad por razon de la distancia infinita que parece mediar entre el *no-sér* y el *acto de existir*, debe ser como el efecto propio y exclusivo de aquella Primera Causa eficiente que incluyendo la plenitud del sér, se constituye en razon de *esencia* y de *causa* por su acto de existir : hé aqui fundamentos que tomados de la naturaleza misma de las cosas y desarrollados con vigor por Santo Tomas, son asaz suficientes para poner fuera de duda que la opinion de los Escolásticos sobre la distincion real entre la esencia y la existencia en las criaturas, no carece de solidez, ni es una opinion gratuita, como se ha afirmado por algunos ; no siendo menor por otro lado su importancia y aplicaciones científicas, atendidas las relaciones que existen entre esta doctrina y otras cuestiones metafísicas de la más alta transcendencia. » — (*Estudios sobre la filosofia de Sto. Tomas*, ibid., cap. 7.)

a quo omnia, quae sunt, participant *esse*. E regione opposita, ex hoc quod in omnibus aliis differt essentia rei et esse eius, inde omnia alia entia sunt entia per participationem ; indigent causari ab Ente per essentiam, ut actu existant ; sunt finita, contingentia, multiplicabilia ; magis et minus bona, magis et minus vera, magis et minus nobilia, perfecta ac pulchra, secundum quod per diversos gradus a primo ente, quod est in summo omnium rerum vertice, *esse* participant, quod non est idem quod ipsa sunt ; et haec procedunt descendendo per diversos gradus perfectionis usque ad ultima entia, ita quod quamcumque rationem essendi aliquid habeat, non sit sibi nisi a Deo, cuius substantia est ipsum esse, et cuius esse non est receptum, sed per se subsistens. Quae quidem iam satis perspiciuntur ex argumentis hucusque explanatis, ac magis in perspicuo ponentur ex dicendis in subsequentibus *Libris*. Hactenus allegata et probata sic a D. Thoma breviter ac eleganter concluduntur : « Ipsum igitur Esse per se subsistens est unum tantum. Impossibile est igitur, quod praeter Ipsum sit aliquid subsistens quod sit *esse* tantum ; omne autem quod est, *esse* habet. Est igitur in quocumque, praeter Primum, et ipsum *esse* tamquam *actus*, et *substantia* rei habens *esse* tamquam rei *potentia receptiva* huius actus quod est *esse*... Sic igitur apparet gradus quidam infinitatis in rebus. Nam materiales substantiae finitae quidem sunt dupliciter : sc. ex parte *formae* quae in *materia* recipitur, et ex parte ipsius *esse* quod participat secundum proprium modum, quasi superius et inferius finita existens. Substantia vero spiritualis est quidem finita superius, in quantum a Primo Principio participat *esse* secundum proprium modum ; est autem aliquo modo infinita inferius, in quantum non participatur in subiecto. Primum vero principium, quod Deus est, est omnibus modis infinitum [1]. »

[1] *De natura angel.* cap. 6.

LIBER SECUNDUS

DE PRIMA DIVISIONE
ENTIS REALIS SUBSISTENTIS
IN
ENS PER ESSENTIAM
ET
ENS PER PARTICIPATIONEM

PROLOGUS

Ens praedicatur de omnibus. — Primum enim quod in intellectum nostrum cadit, quasi notissimum et ultimum in quod postremo conceptiones nostri intellectus veniunt resolvendae, est *ens*. Ens praedicatur de omnibus quae sunt, quocumque modo sunt ; atque *enti* non potest addi aliquid quasi extranea natura, cum omnia quae sunt participent naturam essendi, et in omnibus uno modo vel alio reperiatur natura entitatis. Ens autem dicitur id quod habet vel potest habere esse ; atque ita quaelibet natura essentialiter est ens [1].

Non tamen praedicatur univoce, sed analogice. — Attamen : « Ens non dicitur univoce de substantia et accidente, propter hoc quod substantia est ens tamquam per se habens *esse*, accidens vero tamquam cuius *esse* est *inesse*. Ex quo patet, quod diversa habitudo ad *esse* impedit univocam praedicationem entis. Deus autem alio modo se habet ad *esse* quam aliqua alia creatura ; nam ipse est suum esse, quod nulli alii creaturae competit. Unde nullo modo univoce de Deo et de creatura dicitur ; et per consequens nec aliquid aliorum praedicabilium, inter quae est primum ipsum ens. Existente enim diversitate in primo, oportet in aliis diversitatem inveniri ; unde de substantia et accidente nihil univoce praedicatur [2]. »

Nec ideo ens est prius utroque, Deo sc. et creatura. — Quamvis autem *ens* dicatur de Deo et creatura analogice,

[1] *De Verit.* q. 1. a. 1.
[2] *De Pot.* q. 7. a. 7.

minime tamen inferre licet quod *ens* sit prius utroque, Deo sc. et creatura. Primo quidem ; quia in his quae de Deo et de creatura dicuntur analogice, non attenditur ordo vel respectus ad aliquid alterum, sed ad unum ipsorum : sicut *ens* de substantia et accidente dicitur, secundum quod accidens ad substantiam respectum habet, non secundum quod substantia et accidens ad aliquod tertium referantur. Unde non oportet aliquid Deo ponere prius, cum *ens* non praedicetur de Deo et creatura analogice, analogia attributionis, sed proportionalitatis tantummodo [1]. Praeterea : Etsi *ens*, praedicatum de substantia et accidente, esset prius utroque secundum analogiam attributionis et per comparationem ad unum tertium, in quo invenitur ratio entis eminentiori modo, nempe ad Deum, de ipso tamen Deo nequaquam potest hoc dici, quod ens sit prius eo et creatura, sicut esset prius substantia et accidente in creatis. « Ad cuius evidentiam (ait D. Thomas) est sciendum quod, quando tota ratio analogi reperitur in altero de quibus praedicatur, sicut tota ratio entis absolute in Deo reperitur, tunc non erit praedicatum prius utroque, cum praedicatum non excedat subiectum. Cum vero tota ratio praedicati in neutro subiectorum est, necesse erit praedicatum prius esse et communius utroque subiecto ; sicut tota ratio entis non salvatur in substantia quae est genus primum, cum *ens divinum* non includat. Ens autem genus esse non potest [2]. »

Illud autem quod primo intellectus noster concipit quasi notissimum et in quo omnes conceptiones resolvit, non est ens divinum. — Ens namque quod primum in conceptione intellectus nostri cadit, non repraesentat primo nec princi-

[1] *I. C. Gent.* cap. 32. et 34.

[2] *De natura generis*, cap. 1. (Opusc. 39. edit. Vivès ; 42. edit. Rom.) — Hoc tamen opusculum non adnumeratur inter authentica scripta D. Thomae. Vide P. MANDONNET, *Des Ecrits authentiques de saint Thomas d'Aquin*, 2me éd. Fribourg, Impr. Saint-Paul, 1910, p. 150, qui de praedicto opusculo ita iudicat : « Cet apocryphe est emprunté dans ses éléments aux ouvrages de saint Thomas, spécialement à la Métaphysique. »

paliter esse divinum, ut quidam philosophi audent asseverare. *Deum esse* non est per se notum, sed indiget demonstrari. *Deum esse* non est primum nec immediatum intellectus nostri obiectum ; sed per ea quae facta sunt, a creatura mundi ad invisibilia Dei conspicienda ascendimus ; et sic ascendendo, per discursum adinvenimus quod natura seu essentia Dei est Esse Subsistens. Unde D. Thomas : « Intellectus noster hoc modo intelligit *esse*, quo modo invenitur in rebus inferioribus, a quibus scientiam capit, in quibus *esse* non est subsistens, sed inhaerens. Ratio autem invenit, quod aliquod esse subsistens sit ; et ideo, licet hoc quod dicunt *esse*, significetur per modum concretionis, tamen intellectus, attribuens *esse* Deo, transcendit modum significandi, attribuens Deo id quod significatur, non autem modum significandi [1]. » Confundere itaque ens in communi cum divino esse, error est Ontologismi et Pantheismi idealistarum. Est revera confundere *id* quod sine additione consideratur et est *ens* sine additione cogitatione solum, cum *ente* quod est absque additione in rerum natura, et non solum absque additione, sed etiam absque receptibilitate additionis. Primum est quid communę, et non tam res completa, quam aliquid rei ; secundum est Esse Subsistens, Actus Purus in linea entis [2].

Esse inhaerens et esse subsistens. — Dum autem ascenditur per *quartam viam* [3] ex quinque, quibus Deum esse probari potest, inveniuntur in rebus diversi gradus participandi esse ; at *esse*, eo ipso quod est participatum, est actus inhaerens

[1] *De Pot.* q. 7. a. 2. ad 7.

[2] I. q. 3. a. 4. ad 1. — *I. C. Gent.* cap. 26. — *De Pot.* q. 7. a. 1. ad 6. — Inter propositiones damnatas a Cong. Inquisit. die 18 Septemb. 1861, et quae tuto tradi non possunt, inveniuntur sequentes, quae sunt per ordinem : « 2ª Esse illud, quod in omnibus est et sine quo nihil intelligimus, est Esse Divinum. » — « 3ª Universalia, a parte rei considerata, a Deo realiter non distinguuntur. » — « 5ª Omnes aliae ideae non sunt nisi modificationes ideae, qua Deus tamquam ens simpliciter intelligitur. »

[3] I. q. 2. a. 3.

subiecto ac receptum in essentia rei sicut in propria potentia, et per rerum quidditates, in quibus recipitur, contractum ad determinatas species. Ascendendo igitur per hos diversos gradus in participationibus et participantibus *esse* versus summum, pervenire oportet ad aliquid quod maxime est, ad **Esse,** quod est in fine separationis a materia, ad **Esse** irreceptum et summum et subsistens. Quarta itaque via, cuius angulare fundamentum constituitur per realem compositionem essentiae et esse in omnibus praeter unum, quod est Deus, ostendit quoque quale sit verum fundamentum ad primam divisionem entis realis in **ens per essentiam** et **ens per participationem** firmiter stabiliendam.

CAPUT PRIMUM

Declarantur diversi termini, sub quibus traditur prima divisio entis realis.

I

Ens reale dividitur in ens a se et ens ab alio.

PRIMO : **Declarationis via.** — Primus enim modus dividendi ens reale clauditur in illa *secunda via* ex quinque quibus, docente D. Thoma, I. q. 2. a. 3. Deum esse demonstrative probari potest. In hac etenim via, quae ex ratione causae efficientis desumitur, necesse est ponere aliquam causam efficientem primam, cuius *esse* non habet causam, et quam omnes *Deum* nominant. Huiusmodi ergo divisionis terminos declarare oportet per notiones causae et effectus, quibus secunda via ad ostendendam existentiam Dei construitur. Unde :

SECUNDO : **Quid significet ens a se.** — *Ens a se* importat in sua significatione : 1° Illud quod non est causatum ab alio ; 2° illud quod existit absque eo quod actum essendi ab alio recipiat ; 3° illud quod in ratione suae propriae essentiae vel naturae claudit rationem suae propriae existentiae. Nam ens a se est aliquid reale habens *esse*, et cuius *esse* non est causatum ab alio ; illud autem, cuius *esse* non est causatum ab alio, nec a seipso potest esse causatum ; quoniam causare praesupponit necessario ipsammet existentiam causae.

TERTIO : **Quid significet ens ab alio.** — *Ens ab alio* importat in sua significatione opposita praedicata, videlicet, illud : 1° quod est causatum ab alio ; 2° quod non potest

existere nisi *esse* ab alio recipiat ; 3° quod perinde in ratione suae propriae quidditatis vel essentiae non claudit ipsum actum essendi.

QUARTO : **Sub hac bimembri divisione omnia entia realia necessario comprehenduntur.** — Quoniam inter habere *esse* causatum ab alio et non habere causam sui *esse*, non datur medium ; atque haec duo praedictae divisionis membra manifestam inter se exhibent oppositionem ; idcirco distincte et adaequate dividunt ens. Cum autem ens dicitur ex se vel a se esse, minime est intelligendum quod tale ens sit vel possit esse a se per positivam originem seu emanationem ; sed dicitur esse a se, quatenus sine emanatione ab alio et absque ulla quacumque productione vel causalitate habet *esse*, et vi suae propriae substantiae *est*. Ens a se et ex se, licet non importet nisi negationem tantum, tamen per hanc negationem declaratur positiva ac simplex illius entis perfectio. Quemadmodum cum dicitur quod substantia est *ens per se*, ex hoc quod non est in alio, quod est negatio pura, per hanc tamen negationem exprimitur virtus subsistendi per se ita, quod alio ut subiecto non indigeat cui inhaereat ad existendum ; in quo abs dubio perfectio positiva enuntiatur, quia ab accidente discernitur ; ita pariter *ens a se* aut *per se* in hac prima divisione entis excludit omnem prorsus ab alio dependentiam, sive subiecti, sive causae, sive cuiuscumque alterius rationis : quo sane sensu solus Deus potest dici *ens per se* et *a se* [1].

[1] In hunc modum (ut bene observat SUAREZ, *Disput. Metaph.* 28.) exponendi sunt aliqui Sancti Doctores, cum dicunt Deum esse sibi *causam sui esse* vel suae substantiae vel suae sapientiae. Sic S. HIERONYMUS in epist. ad Ephes. cap. 3. ait : « *Deus sui origo est, suaeque causa substantiae.* » Et S. AUGUSTINUS, *Lib.* 88. *Quaestionum* q. 15. et q. 16. ait : « *Deum esse causam sapientiae suae.* » Et *VII. De Trinit.* cap. 1. loquendo de Patre scribit : « *Quapropter quae causa illi est ut* sapiens sit, *ipsa illi causa ut sit.* » Hae namque et aliae id genus locutiones negative interpretandae sunt.

II

Ens necessarium et ens contingens.

PRIMO : **Declarationis via.** — Hic vero secundus modus dividendi ens reale continetur in *tertia via* ex quinque, quibus Dei existentia demonstratur (I. q. 2. a. 3.). Per hanc quippe viam, quae sumitur ex possibili et necessario, pervenire oportet ad aliquid quod est per se necessarium, non habens causam suae necessitatis aliunde, sed quod est causa necessitatis aliis : quod omnes dicunt *Deum*.

SECUNDO : **Quid significet ens necessarium.** — Ens necessarium importat in sua significatione illud : 1° quod habet necessitatem absolutam in ratione existendi, ita ut omnino illi repugnet *non esse;* 2° in quo posse existere et existere actu realiter identificantur, utpote unum et idem ; 3° quod proinde ita habet *esse*, ut nec possit illo carere, nec ab alio indiget ut conservetur, nec seipsum potest suo *esse* privare, nec ab alio privari potest, et cuius *non existentia* involvit contradictionem.

TERTIO : **Quid significet ens contingens.** — Ens vero contingens, cui opposita conveniunt attributa, importat in sua significatione illud : 1° in quo aliud est posse existere, et aliud actu existere ; 2° quod proinde ita habet *esse*, ut possit illo carere, et ab aliquo alio indiget in *esse* conservari ; 3° quod ideo non habet absolutam necessitatem in ratione existendi, et cui non repugnat ut incipiat esse et esse etiam desinat.

QUARTO : **Haec secunda entis realis divisio ex prima legitime infertur.** — Etenim *ens a se*, eo ipso quod non habet causam sui esse, est simpliciter et absolute necessarium in ratione existendi ; et sicut ab alio minime dependet ut sit, ita a nullo alio conservatur in esse ; et quia ab alio non recipit *esse*, nec ab alio privari suo esse potest ; et cum non

habeat causam sui esse, nec habere ideo potest causam suae necessitatis in essendo. Unde D. Thomas, *I. C. Gent.* cap. 42. : « Ipsa necessitas essendi est essentia eius... Et eius quod est necesse esse, sua quidditas est suum esse, ut supra cap. 22. probatum est ».

Similiter *ens ab alio*, eo ipso quod ab alio causatum est, ab illo pendet ut sit et ut in suo esse conservetur ; et a quo recipit esse, tamquam a prima causa, non modo fiendi, verum etiam essendi, atque ab eo potest privari suo esse iam recepto. Ac quamvis sit ens immateriale atque incorruptibile, et perinde in esse suo possideat necessitatem essendi, attamen habet causam suae necessitatis aliunde, ab eo sc. a quo habet esse.

Igitur cum ens reale dividitur in necessarium et contingens, sub denominatione *necessarii* illud solummodo includitur, quod est per se necesse esse ; sub denominatione vero *contingentis* veniunt adnumeranda omnia alia entia, quae et contingentia et necessaria dicuntur, modo suae necessitatis causam ab illo ente habeant quod est per se necesse esse. Hoc autem non potest esse nisi unum, sicut nonnisi unum potest esse *ens a se*, quod non habeat causam sui esse [1].

III

Ens per essentiam et ens per participationem.

Primo : **Declarationis via.** — Tertius autem modus dividendi ens reale atque subsistens, ex *quarta via* (I. q. 2. a. 3.) pro Dei existentia demonstranda manifestus fit. Per hanc profecto viam, quae sumitur ex gradibus qui in rebus inveniuntur, necesse est pervenire ad aliquid quod est verissimum et optimum et nobilissimum, et per consequens *maxime ens ;* quod proinde omnibus entibus est causa essendi et bonitatis et cuiuslibet perfectionis : et hoc dicimus *Deum.*

[1] Vide I. q. 2. a. 3. *via* 3. et q. 44. a. 1. ad 2. — *II. C. Gent.* cap. 15. et cap. 55.

SECUNDO : **Quid significet ens per essentiam.** — *Ens per essentiam* importat in sua significatione illud : 1° quod non habet causam sui esse nec suae necessitatis in essendo, sed per se et vi suae propriae essentiae *est;* 2° quod est in summo entitatis et nobilitatis et veritatis ; 3° quod, cum sit in summo rerum vertice, est causa totius bonitatis ac perfectionis in omnibus rebus ; 4° in quo tandem non est aliud essentia et aliud esse, sed cuius essentia est ipsum esse subsistens. Quamobrem D. Thomas, *II. C. Gent.* cap. 15. : « Quod per essentiam dicitur, est causa omnium quae per participationem dicuntur ; sicut ignis est causa omnium ignitorum in quantum huiusmodi. Deus autem est *ens per essentiam suam,* quia est ipsum Esse ; omne autem aliud est *ens per participationem,* quia ens, quod est suum esse, non potest esse nisi unum, ut in I. lib. cap. 42. ostensum est. Deus igitur est causa essendi omnibus aliis. » Ac rursus *III. C. Gent.* cap. 66. : « Quod est per essentiam tale, est propria causa eius quod est per participationem tale ; sicut ignis est causa omnium ignitorum. Deus autem est *ens per essentiam suam,* omnia autem alia sunt *entia per participationem;* nam in solo Deo esse est sua essentia. Esse igitur cuiuslibet existentis est proprius effectus, ita quod omne quod producit aliquid in esse, hoc facit in quantum agit in virtute Dei. »

TERTIO : **Quid significet ens per participationem.** — *Ens* autem *per participationem,* cui attribuenda sunt contraria praedicata, importat in sua significatione illud : 1° quod non existit vi et sola virtute suae propriae essentiae, sed quatenus ab ente per essentiam producitur secundum totam suam entitatem ; 2° quod, cum non sit in summo rerum cardine, diversimode appropinquat ad ens per essentiam, quod maxime est ; et idcirco dicitur esse magis vel minus verum, bonum et ens, quatenus hoc vel illo modo participat *esse,* quod est actualitas omnium perfectionum ; 3° in quo est aliquid praeter *esse* participatum, nempe *essentia, natura* vel *forma* per quam omnis res creata participat essendi actum. Quapropter D. Thomas, *Quodl.* 2. a. 3. : « Ens praedicatur de

solo Deo essentialiter, eo quod esse divinum est esse subsistens et absolutum ; de qualibet autem creatura praedicatur per participationem ; nulla enim creatura est suum esse, sed est habens esse. Sic et Deus dicitur bonus essentialiter, quia est ipsa bonitas ; creaturae autem dicuntur bonae per participationem, quia habent bonitatem... Quandocumque autem aliquid praedicatur de altero per participationem, oportet ibi aliquid esse praeter id quod participatur. Et ideo in qualibet creatura est aliud ipsa creatura quae habet esse, et ipsum esse eius. Et hoc est quod Boëtius dicit in lib. *De Hebdom.* quod *in omni eo quod est citra primum, aliud est esse et quod est.* »

IV

Ens quod est actus purus, et ens quod constat actu et potentia.

Primo : **Declarationis via.** — Quartus hic modus dividendi ens reale ac subsistens, ex *prima* et *quinta via* (I. q. 2. a. 3.) elucescit, quibus Dei existentia demonstratur. Per has quidem vias, quae sumuntur ex parte motus atque ex gubernatione rerum, necesse est devenire, per alteram, ad aliquod primum movens quod a nullo movetur ; et hoc omnes intelligunt *Deum ;* per alteram vero ad aliquid intelligens, a quo omnes res naturales ordinantur ad finem ; et hoc dicimus *Deum.*

Secundo : **Quid significet actus purus.** — *Actus purus* importat in sua significatione : 1° Illud quod absolute est primum et necessarium in ratione existendi ; quia « quamvis id quod quandoque est in potentia, quandoque in actu, prius sit tempore in potentia quam in actu, tamen simpliciter actus est prior potentia ; quia potentia non educit se in actum, sed oportet quod educatur in actum per aliquid quod sit in actu » : ut D. Thomas tradit *I. C. Gent.* cap. 16.

Et rursus, *IX. Metaph.* lect. 3. : « Est necessarium, quod ratio actus praecedat rationem potentiae, et notitia actus notitiam potentiae. »

2° Illud cuius *substantia* est *esse*, et per cuius participationem omnia alia entia fiunt actu. Etenim, ut D. Thomas docet *Quodl.* 12. a. 5. : « Unumquodque quod est in potentia et in actu, fit actu per hoc quod participat actum superiorem. Per hoc autem aliquid maxime fit actu, quod participat per similitudinem primum et purum actum. Primus autem actus est *esse subsistens per se ;* unde completionem unumquodque recipit per hoc quod participat *esse*. Unde *esse* est complementum omnis formae ; quia per hoc completur, quod habet *esse ;* et habet *esse*, cum est actu ; et sic nulla forma est nisi per *esse*... *Esse* est complementum omnium. »

3° Illud a quo moventur omnia sicut a Primo in ratione causae efficientis, et sicut ab Ultimo in ratione causae finalis ; et a quo omnia procedunt sicut a principio sui esse, et in quod omnia tendunt sicut ad terminum, in quo omne *esse* completur. Unde D. Thomas, *II. C. Gent.* cap. 46. : « Ad hoc quod universum creaturarum ultimam perfectionem consequatur, oportet creaturas ad suum redire principium. » Et I. q. 103. a. 1. ad 3. : « Id quod creaturae a Deo recipiunt, est earum natura ». Et ibid. a. 8. : « Omnis inclinatio alicuius rei, vel naturalis vel voluntaria, nihil aliud est quam quaedam impressio a primo movente ; sicut inclinatio sagittae ad signum determinatum nihil aliud est quam quaedam impressio a sagittante. » Ac porro, *Compend. Theol.* cap. 10. : « Cum enim omnis motus sit exitus de potentia in actum, oportet illud esse ultimum actum, in quod tendit omnis motus ; et cum motus naturalis in hoc tendat quod est naturaliter desideratum, oportet hoc esse ultimum actum, quod omnia desiderant. Hoc autem est *esse*. Oportet igitur quod essentia divina, quae est actus purus et ultimus, sit **Ipsum Esse** [1]. »

[1] Ita etiam lib. 1. *De rege et regno*, cap. 8. quod inter opuscula D. Thomae reperitur : « Tendit enim uniuscuiusque rei desiderium in suum principium, a quo *esse* suum causatur. Causa vero mentis

TERTIO : **Quid significet ens constitutum ex actu et potentia.** — Ens autem quod constat ex actu et potentia in linea entis, importat in sua significatione : 1° Illud quod reducitur de potentia in actum ab alio, quod est actus ; et ab alio quod est immobile movetur ; et ab eo, a quo productum est in *esse*, ordinatur ac perducitur ad finem, in quo omne *esse* perficitur ac completur [1].

2° Illud quod fit actu, in quantum per similitudinem participat primum actum, quod est esse subsistens per se ; in quo proinde aliud est id quod participat esse, et aliud ipsum esse participatum ; et in quo, ut D. Thomas ait *Quodl.* 2. a. 3. : « est compositio ex essentia et esse, non tamen est compositio sicut ex partibus substantiae, sed sicut ex substantia et eo quod adhaeret substantiae. »

3° Illud proinde cuius « *esse* est accidens, non quasi per accidens se habens, sed quasi actualitas cuiuslibet substantiae ». (Ibid. ad 2.) ; et cuius « *substantia* ipsa quodammodo se habet ad *esse*, ut materia ad formam » (*Quodl.* 9. a. 6.) ; et cuius « *esse* creatum non est per se stans, quia est aliud a substantia entis creati ». (*Quodl.* 10. a. 4. ad 4.)

QUARTO : **Observatio circa divisionem entis in potentiam et actum.** — Accurate distinguere oportet : *a*) divisionem entis realis in actum purum et in compositum ex actu et potentia ; *b*) divisionem entis in ens in potentia et in ens in actu ; *c*) divisionem entis in ens quod est potentia et in ens quod est actus.

Prior divisio est haec prima ac fundamentalis entis realis subsistentis divisio, de qua ex professo ad praesens agimus ; ita quod actus purus sit Ens Divinum ac Increatum, et compositum ex actu et potentia sit ens creatum.

Altera vero divisio est entis creati, at non in elementa ipsius constitutiva essentialiter diversa, sed in diversos

humanae non est aliud quam Deus, qui eam ad suam imaginem fecit. Solus igitur Deus est, qui hominis desiderium quietare potest, et facere hominem beatum, et esse regi conveniens praemium. »

[1] I. q. 2. a. 3. et q. 103.

status eiusdem entis secundum rationem existendi. Sicut enim *esse actu* est existere, ita *esse in potentia* est existere posse. Eadem namque res quae existit, antequam esset, poterat existere ; in se tamen nihil erat, sed tantum habebat esse vel in suis causis naturalibus, vel saltem in intellectu ac potentia Dei creatoris. (*De Pot.* q. 3. a. 5. ad 2.)

Posterior denique divisio est entis creati realis et subsistentis in elementa eiusdem constitutiva essentialiter diversa. Actus enim et potentia consequuntur omne ens creatum, vel in linea substantiae, ut materia et forma ; vel in linea accidentis, ut subiectum et forma accidentalis, sicut album et albedo, sapiens et sapientia ; vel saltem in linea entis, ut essentia et esse, vel substantia et actus eius, sive participans esse et esse participatum. Unde D. Thomas, *De Pot.* q. 3. a. 1. ad 17. : « Dicendum quod Deus simul dans *esse*, producit *id* quod *esse* recipit ; et sic non oportet quod agat ex aliquo praeexistenti. » Atque ita omne ens creatum constat semper ex duobus, ex eo quod recipit *esse* et ex *esse* recepto [1].

V

Ens infinitum et ens finitum.

Primo : **Declarationis via.** — Ratio obiectiva entis infiniti non per simplicem intuitum mentis, ut quidam philosophi existimarunt, sed ratiocinando possidetur. D. Thomas nonnisi ascendendo per illas quinque vias, quibus (I. q. 2. a. 3.) Deum esse demonstrative ostendit, per discursum pervenit tandem in q. 7. a. 1. ad concludendum, quod Deus est perfectus ac simpliciter infinitus, « ex hoc ipso quod *esse* Dei est per se subsistens, non receptum in aliquo ».

Secundo : **Quid significet ens infinitum.** — Ens simpliciter infinitum, quod se tenet ex parte formae et habet

[1] Vide etiam : *De Pot.* q. 7. a. 4. — *De spirit. creat.* a. 1. — *De anima.* a. 6. et alibi passim in operibus D. Thomae.

rationem perfecti, exprimit atque in sua significatione importat : 1° Illud cuius *esse*, quod est maxime formale omnium, non est receptum in aliquo, sed per se subsistens, et cuius proinde *essentia* est ipsum *esse* eius.

2° Illud quod nec est forma in materia, nec habet *esse* inhaerens alicui formae vel naturae ; sed quod est actus nullo modo in alio existens, actus tantum, actus purus ac primus.

3° Illud cuius *esse* non finitur ex aliquo agente, quia non est ab alio, sed est a seipso ; nec finitur ex aliquo recipiente, quia, cum nihil potentiae passivae ei admisceatur, ipse est actus purus, non receptus in aliquo. Est enim Deus ipsum esse suum in nullo receptum. Unde patet, quod Deus est infinitus [1].

Tertio : **Quid significet ens finitum.** — Ens vero finitum, cui praedicata opposita oportet attribuere, significat : 1° Illud cuius *esse* limitatur ad aliquem modum perfectionis essendi ; sicut *esse* hominis terminatum est ad hominis speciem, quia est receptum in natura speciei humanae ; et simile est de *esse* equi vel cuiuslibet creaturae.

2° Illud cuius forma terminatur per receptionem in materia, vel saltem cuius *esse* terminatur per receptionem in forma ; et sic quod non est actus tantum, ut Deus, nec potentia tantum, ut materia prima, sed quod est actus et potentia, seu quid ex utroque compositum in linea entis.

3° Illud cuius *esse* est inhaerens alicui formae vel naturae ; et cuius natura, forma vel essentia completur per ipsum *esse ;* et cui proinde competit determinata perfectio essendi, secundum quod actus essendi finitur per formam quae est *vis receptiva* ipsius esse [2].

Quarto : **Ratio obiectiva infiniti et ratio obiectiva finiti fundatur in diversa ratione essendi.** — Quod quidem sic

[1] I. q. 7. a. 1. et 2. — *I. C. Gent.* cap. 43. — *De Pot.* q. 1. a. 2.

[2] *De Pot.* q. 1. a. 2. — *I. C. Gent.* cap. 43. — *Compend. Theol.* cap. 17.

declaratur a D. Thoma, *De Verit.* q. 29. a. 3. : « Ex hoc quod (aliquid) dicitur *ens*, consideratur in eo quantitas virtualis quantum ad perfectionem essendi ; et ex hoc quod dicitur *sensibilis*, consideratur in eo quantitas virtualis ex perfectione sentiendi ; et sic de aliis. Quantum igitur ad rationem essendi, infinitum esse non potest nisi illud in quo omnis essendi perfectio includitur, quae in diversis infinitis modis variari potest. Et hoc modo solus Deus infinitus est secundum essentiam, quia eius essentia non limitatur ad aliquam determinatam perfectionem, sed in se includit omnem modum perfectionis, ad quem ratio entitatis se extendere potest ; et ideo ipse est infinitus secundum essentiam. Haec autem infinitas nulli creaturae competere potest ; nam cuiuslibet creaturae *esse* est limitatum ad perfectionem propriae speciei. »

VI

Ens increatum et ens creatum.

Primo : **Declarationis via.** — D. Thomas declarat ac ostendit Deum esse creatorem rerum omnium, et res omnes a Deo esse creatas : 1° ascendendo per illas quinque vias, quibus Deum esse probari potest, usque ad aliquid quod est verissimum et optimum et nobilissimum, et per consequens maxime Ens (I. q. 2. a. 3.) ; 2° inferendo deinde quod essentia maxime Entis est ipsum Esse Subsistens (q. 3. a. 4.) ; 3° demonstrando postea maxime Ens esse maxime indivisum et maxime Unum (q. 11. a. 3. et 4.) ; 4° ac definitive concludendo illud, quod est maxime Ens et maxime Unum, esse omnibus entibus causam essendi et bonitatis et cuiuslibet perfectionis (q. 44. a. 1.). Unde postremus iste modus dividendi ens reale, nihil aliud est nisi complementum primi modi et logicum corollarium antecedentium omnium modorum, quibus prima divisio entis realis subsistentis exprimitur et notificatur.

SECUNDO : **Est quidem complementum primi modi.** — Nam bimembris divisio primo modo facta est in *ens a se* et *ens ab alio*, sive in ens cuius *esse* non habet causam, et in ens cuius *esse* est causatum. Atque divisio haec omnium entium in creatorem et in creaturas iam ostendit perfecte terminum secundae viae, dum per illam declaratur quod illud ens, cuius esse non habet causam, oportet ut sit omnibus aliis entibus causa essendi. Et sic necesse est ponere, quod prima causa efficiens, non habens causam, est creatrix omnium rerum, et causa respectu cuius omnes aliae causae, tam in essendo quam in agendo, habent rationem effectuum.

TERTIO : **Est autem logicum corollarium antecedentium omnium modorum quibus divisio prima entis notificatur.** — Ex prima namque divisione entis in *ens a se* et in *ens ab alio* non pervenitur ad postremam divisionem omnium entium in Deum creatorem et in res creatas, nisi transeundo per omnes alios praedictos modos dividendi ens reale. Divisiones quidem entis in ens a se et ab alio, in necessarium et contingens, per essentiam et per participationem, in actum purum et ex actu ac potentia compositum, in infinitum et finitum, in increatum et creatum, in re et quoad substantiam quaestionis coincidunt. Huiusmodi bimembres divisiones continent singulae totam latitudinem entis, et adaequate dividunt ens. Verumtamen divisio in ens increatum et ens creatum, sive in Deum et creaturas, praesupponit quod *ens a se* est ens primum et absolute necessarium, et actus purus, et infinitum in linea entis, et ens per essentiam, et maxime unum. Exinde fit manifestum, quod omnia, praeter hoc Unum, sunt : 1° ab alio ; 2° contingentia ; 3° composita in linea entis ; 4° finita secundum modum essendi ; 5° entia per participationem. Ex quibus omnibus legitima ac necessaria consecutione infertur omne id, quod praeter Unum est, ab hoc Uno esse creatum sive factum secundum totam uniuscuiusque rei entitatem [1].

[1] I. q. 44. a. 1. ; q. 61. a. 1. ; q. 65. a. 1. et *II. C. Gent.* cap. 15.

CAPUT SECUNDUM

Fundamentum philosophicum, cui prima divisio entis realis innititur, ex hoc habetur quod solus Deus est suum esse, in omnibus autem aliis differt essentia rei et esse eius.

Quaerere philosophicum et vere scientificum fundamentum primae divisionis entis realis idem est ac quaerere primam radicem omnium attributorum, quae de *ente a se* et quae ex opposita regione *de ente ab alio* praedicantur ; et inde patebit regalis via ad demonstrandam creationem. Fundamentum autem et ratio quare ens reale primo dividitur in ens a se et in ens ab alio, sive in entia causata et in ens causam essendi omnibus aliis entibus, veritate illa constituitur, quae lapis proinde angularis totius Philosophiae Christianae oportet ut denominetur, nimirum : *Solus Deus est suum esse ; in omnibus autem aliis differt essentia rei et esse eius* [1]. Quod quidem ex subsequentibus liquido ostenditur ac declaratur :

§ 1.

Ex termino quinque viarum quae I. q. 2. a. 3. declarantur. — Omnes namque modi, sub quibus exprimitur prima divisio entis realis, ad quinque illas vias, quibus Deum esse probari potest, reducuntur, ita quod omne ens reale subsistens : 1° vel est actus purus, ac proinde omnino immobile ; aut constat actu et potentia, et ideo mobile ; 2° vel est causa-

[1] I. q. 3. a. 4. ; q. 44. a. 1. ; q. 61. a. 1. — *I. C. Gent.* cap. 22. et *II. C. Gent.* cap. 52.

tum, aut non habens causam ; 3° vel est simpliciter necessarium, aut contingens, absolute loquendo ; 4° vel est ens per essentiam, aut ens per participationem.

Sed de ratione entis omnino immobilis, et non habentis causam, et absolute necessarii, et vi propriae essentiae existentis, est quod in eo non sit aliud *esse* et aliud *essentia eius, sed omnino unum et idem.* De ratione igitur entis mobilis, et habentis causam, et contingentis, et *esse* participantis, est quod in eo aliud sit essentia et aliud esse quod est essentiae actus ; ac perinde quod realiter distinguantur.

Unde cunctae suprapositae realis entis divisiones ad istam veniunt postremo resolvendae, nempe : *in ens cuius essentia est ipse actus essendi, et in ens compositum ex essentia et esse* [1].

§ 2.

Ex modo quo esse convenit enti per essentiam et enti per participationem. — *Esse* quod est actus entis subsistentis, praedicatur de ente per essentiam : 1° tamquam quid existens de substantia vel natura eius ; 2° tamquam quid ita existens de substantia eius, ut in substantia vel natura entis per essentiam non reperiatur aliquid praeter *esse ;* 3° ac perinde tamquam quid subsistens, ita quod ens per essentiam sit ipsum Esse Subsistens.

Esse quod est actus entis, praedicatur de ente per participationem : 1° tamquam quid non existens de natura vel essentia eius ; 2° tamquam quid ab ipsa natura participatum atque in illa, ut in subiecto participante, receptum ; 3° tamquam quid inhaerens alicui subiecto quod habet *esse*, sed non est suum *esse.*

Quandocumque autem praedicatur aliquid de altero per realem participationem et sicut aliquid non existens de essentia participantis, oportet ibi esse aliquid praeter id quod participatur, atque ab eo realiter distinctum ; quia non potest haberi participatio realis sine reali participato, nec reale participatum sine reali participante, nec reale

[1] I. q. 2. a. 3. ; q. 3. a. 4.

participans absque reali distinctione inter participans et participatum.

In omni ergo ente per participationem datur realis compositio ex essentia et *esse* quod inest essentiae tamquam eius complemento ; ex participante *esse*, et ipso *esse* participato ; ex substantia, et ex eo quod adhaeret substantiae [1].

§ 3.

Ex unibilitate seu adunatione diversorum esse in ente per participationem. — In ente enim per participationem, v. g. in Socrate, adunantur plura *esse*, ut *esse* hominis, *esse* quanti, *esse* qualis, *esse* justi, *esse* sapientis, *esse* albi, etc. *Esse* enim est actualitas omnium formarum et omnium perfectionum. Inter haec autem omnia *esse*, solummodo *esse* hominis est substantiale ac proinde *esse* primum in Socrate et per quod Socrates constuitur in ratione entis simpliciter ; cetera vero *esse* subsequuntur, et utpote primo advenientia sunt *esse* secundaria atque extra lineam substantiae [2].

Iam vero, praefata diversa *esse* non possunt adunari in Socrate : 1° Nec *per identitatem*, ut *esse* animalis et *esse* rationalis adunantur, quae identificantur cum *esse* hominis ; nam supradicta *esse* sunt diversa. 2° Nec *per compositionem directam*, quae verificatur inter determinabile et suum determinativum intrinsecum, puta inter materiam et formam, inter potentiam et actum ; nam omne *esse*, sit primum vel secundum, sit substantiale vel accidentale, semper est actus, semperque determinans ac perficiens ; ideoque numquam potest habere rationem potentiae vel determinabilis vel perfectibilis.

Relinquitur ergo talia diversa *esse* adunari per compositionem quandam indirectam, id est, per *receptionem in quodam tertio*, quod sit subiectum recipiens omnes istos actus essendi, sub diversa ratione.

Oportet itaque quod in omni ente, in quo adunantur,

[1] *Quodl.* 2. a. 3. — *II. C. Gent.* cap. 53.
[2] I. q. 5. a. 1. ad 1.

esse substantiale quod est esse simpliciter, et *esse* accidentale quod est esse hoc vel illud, quantum vel quale, sic vel aliter, differant ab invicem secundum rem subiectum habens *esse*, et omnia ac singula *esse* quae in subiecto recipiuntur atque adunantur.

Unde D. Thomas, *II. C. Gent.* cap. 52. : « In his, quorum *esse* non est subsistens, quod inest existenti praeter *esse* eius, est quidem existenti unitum, non autem est unum cum *esse* eius nisi per accidens, in quantum est unum subiectum habens *esse* et *id* quod est praeter *esse ;* sicut patet quod Socrati, praeter suum *esse* substantiale, inest *album*, quod quidem diversum est ab eius *esse* substantiali ; non enim est idem *esse* Socratem et *esse album*, nisi per accidens. Si igitur non sit nisi *esse* in aliqua substantia, non remanebit aliquis modus in quo possit ei uniri illud quod est praeter *esse*. »

Nisi ergo agnoscatur essentiam et *esse* in creaturis differre secundum rem : vel nullum erit accidens in ente creato, vel esse substantiale et esse accidentale erunt *unum esse* per identitatem aut per directam et intrinsecam compositionem. Quae quidem sonant absurdum ; quia sunt contra rationem substantiae, et contra rationem accidentis, et contra rationem ipsius *esse*, et contra rationem ipsam entis per participationem.

In omni ergo ente habente plura *esse*, oportet ut reperiatur realis compositio substantiae et *esse* quod est actus substantiae.

§ 4.

Ex entis per participationem multiplicitate, diversitate, finitudine, producibilitate. — Ens per participationem est : 1° *multiplex numero*, quia aliud est *esse* Socratis et *esse* Platonis ; 2° *finitum*, quia eo ipso quod est per participationem, non comprehendit totam plenitudinem et perfectionem essendi ; 3° *causatum*, quia aliter non participaret esse, sed esset ens per essentiam.

Nunc ergo *esse*, quod est actus entis, in quantum *esse*, nec multiplicatur, nec diversificatur, nec finitur, nec causatur. Quia si *esse*, ratione sui, in quantum est *esse*, foret multiplex,

diversum, finitum et causatum, tunc omne *esse* deberet esse huiusmodi, atque excluderetur *esse* non habens causam, et maximum in ratione entis, et absolute necessarium, et maxime unum, et infinitum simpliciter, videlicet : *esse subsistens, esse per essentiam, esse Dei.*

Ac si omnia quae sunt, forent causata et contingentia et reducta de potentia in actum, darentur tunc causata sine causa prima, et mota sine primo motore immobili, et contingentia sine necessario, et entia participantia *esse* sine ente summo : quod est ponere effectum sine causa, et creaturas sine Creatore, et mundum universum sine Deo.

Oportet igitur, quod in omnibus entibus per participationem sit compositio realis esse et substantiae ; et ad hoc, quod talia entia sint, concurrant plura, sc. essentia et *esse* [1]. Atque ita *esse* dicatur distinctum et multiplex numero et finitum et causatum ratione *essentiae*, in qua veluti in subiecto recipitur ; et per quam *esse* diversimode participatur ; et a qua, sicut a forma recipiente et essendi modum determinante, *esse* recipiat omnem suam denominationem et proprietates specificas, et intra cuiusdam mensurae limites finiatur ; atque perinde indigeat causari.

Et hoc est, quod D. Thomas docet *II. C. Gent.* cap. 52. dicens : « *Esse* autem, in quantum est *esse*, non potest esse diversum ; potest autem diversificari per aliquid quod est praeter *esse*, sicut *esse* lapidis est aliud ab *esse* hominis... Esse subsistens oportet esse infinitum, quia non terminatur aliquo recipiente... Esse autem ab alio causatum non competit enti in quantum est ens ; alias omne ens esset ab alio causatum, et sic oporteret procedere in infinitum in causis. »

§ 5.

Ex eo quod in omni ente per participationem, esse est praedicatum extra conceptum omnium praedicatorum essentialium. — Quotiescumque enim aliquod praedicatum reale et positivum ita convenit alicui, quod : 1° non est illi essen-

[1] *I. C. Gent.* cap. 22.

tiale ; 2° nec cum eo intrat ad constitutionem essentiae alicuius tertii ; 3° nec ab eadem forma provenit, sed a principio totaliter extrinseco : impossibile est quod a parte rei non fundet aliquam distinctionem eius, cui sic convenit. Quia radix et fundamentum distinctionis a parte rei, quando nobis aperte non innostescit ex ipsa separatione extremorum, quae est manifestissimum signum distinctionis rerum : solum restat indagandum et probandum ex ipsa exclusione conceptus unius a conceptu alterius, ita quod aliquid totaliter sit extra conceptum et quidditatem alicuius, et tamen realiter illi conveniat et adiungatur. Et ea quae sic se habent, carent omni principio identificationis realis.

Iam vero : *esse* hoc modo se habet respectu *essentiae* in omni ente per participationem. Etenim in creatis rebus seu in omnibus praeter Deum :

1° *Esse non est praedicatum essentiale.* — *a*) Quia *esse* non est genus ; nam genus de se est universale et potentiale ; *esse* autem de se est singulare et actualitas. *b*) Quia *esse* non est differentia ; nam differentia primo constituit speciem ; et *esse* est actualitas individui et actus suppositi sive rei subsistentis. *c*) Quia *esse* non est species ; nam *esse* est actus et quid simplex ; species est quid compositum ex genere ac differentia, atque exprimit essentiam seu determinatum essendi modum. Unde *esse* est quid extrinsecum essentiae, ut essentiae, in rebus creatis.

2° *Esse non intrat cum aliquo alio ad constitutionem alicuius essentiae, ita quod sit de conceptu essentiali alicuius tertii.* — Quia, ut dictum manet, nec est praedicatum genericum, nec praedicatum differentiale. Unde non potest adduci in contra, illud sc. quod sicut *rationale* accidit *animali* et est extra conceptum illius, et tamen a parte rei identificantur. Nam : *a*) a parte rei animal invenitur sine rationalitate, et *essentia* nunquam invenitur a parte rei sine *esse* ; *b*) deinde *rationale* et *animal*, licet unum non sit de conceptu alterius, utrumque tamen est de conceptu alicuius tertii, quod essentialiter constituunt, nempe *hominis*, in quo a parte rei identificantur ; et utrumque ab eadem forma proveniunt, id est, ab eadem anima, quae est unica hominis forma substantialis.

3° *Esse et essentia non proveniunt ab eadem forma.* — *a*) Quia forma vel est pars essentiae vel tota essentia rei subsistentis ; et *esse* est actus essentiae et actus ipsius formae. *b*) Quia *esse* vel est subsistens vel est inhaerens ; si primum, tunc non potest esse nisi unum ens, ac in tali ente impossibile est quod aliud sit *esse* et aliud essentia ; si vero alterum, tunc *esse* inhaeret essentiae vel substantiae tamquam potentiae subiectivae in qua recipitur. *c*) Quia aliter *esse* conveniret alicui rei productae seu creatae, sicut conveniunt praedicata essentialia aut quidditativa ; id est, necessario et tamquam praedicatum aeternae veritatis. Ac tunc eiusdem rationis esset dicere : *Petrus existit*, et : *Petrus est animal rationale.*

Et hoc est, quod ait D. Thomas, *II. C. Gent.* cap. 52. : « Substantia uniuscuiusque est ens per se et non per aliud ; unde esse lucidum actu non est de substantia aëris, quia est ei per aliud. Sed cuilibet rei creatae suum *esse* est ei per aliud ; alias non esset creatum. Nullius igitur substantiae creatae suum *esse* est *sua substantia.* »

Quapropter Angelicus Doctor in subsequenti cap. 53. addit : « In substantia autem intellectuali creata inveniuntur *duo*, sc. substantia ipsa et *esse* eius quod non est ipsa substantia, ut ostensum est cap. 52. ; ipsum autem *esse* est complementum substantiae existentis : unumquodque enim actu est per hoc quod *esse* habet. Relinquitur igitur, quod in qualibet praedictarum substantiarum sit compositio actus et potentiae. »

§ 6.

Observatio : **Fundamentum itaque vere scientificum ad primam divisionem entis realis stabiliendam, iacet positum a D. Thoma, II. C. Gent. cap. 52. supra illa septem argumenta, quibus demonstrative probatur quod in omnibus praeter Deum, etiam in substantiis intellectualibus, differt esse et quod est.** — Haec profecto argumenta ex professo declarata fuerunt in *Libro primo* huius operis : argumenta alta simul ac profunda, quae D. Thomas ex thesauro Metaphysicae protulit et quasi ex visceribus ipsis Philosophiae Primae in lucem eruit ac deprompsit. *Esse* enim Dei est eius *substantia ;*

in omnibus autem aliis entibus impossibile est quod *substantia* sit ipsum *esse*. Dei namque solius proprium est, quod sua substantia non sit aliud quam suum *esse*; in omnibus autem aliis, etiam in substantiis intellectualibus creatis, *substantia* et *esse* sunt *duo*, quorum unum est complementum alterius ; *duo*, quorum unum se habet ad alterum in eadem proportione qua potentia ad actum, et perfectibile ad perficiens, et participans ad participatum, et recipiens ad receptum, et subiectum ad id quod subiecto adhaeret, et stans ad id quod sustentatur. Solus Deus est suum esse subsistens ; essentialiter ens ; ens per se, et cui competit *esse* secundum propriam naturam suam ; ens cuius substantia est *esse*. Reliqua vero omnia praeter Deum non sunt suum *esse*; sunt entia per participationem ; entia quorum *esse* est eis per aliud ; entia quorum substantiis inest *esse* ut quidam actus earum. Ex quo relinquitur, quod in qualibet substantia creata sit compositio actus et potentiae ; comparatur namque substantia omnis creata ad suum *esse*, sicut potentia ad actum [1].

[1] *II. C. Gent.* cap. 52. et cap. 53.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

CAPUT TERTIUM

Absque reali compositione essentiae et esse nullum datur ens contingens; nec finitum; nec causatum; nec per participationem; nec compositum.

I

Absque reali compositione essentiae et esse nullum datur ens contingens.

Arg. 1. — In re siquidem, cuius essentia et *esse* realiter identificantur, idem secundum rem significatur per nomen *essentia* et per nomen *esse*. Unde, quoniam in Deo essentia et *esse* sunt idem, idem secundum rem significatur cum dicitur : *Deus est Deus*, et cum dicitur : *Deus est*. Ergo si in hoc homine, Petro, essentia et existentia idem sunt, idem secundum rem significatur cum dicitur : *Homo Petrus est animal rationale*, et cum dicitur : *Homo Petrus est*. Ergo sicut cum dicitur : *Homo Petrus non est animal rationale*, implicatur contradictio in terminis, ita cum diceretur : *Homo Petrus non existit*, contradictio implicaretur. Et similiter, sicut animal rationale includitur in definitione hominis Petri, includeretur etiam actus existendi cum quo natura humana Petri supponitur identificata.

Unde *esse* vel existere necessario convenit rei cuius essentia et existentia realiter idem sunt. Et hoc est quod D. Thomas expresse tradit *De Pot.* q. 5. a. 3. : « Creaturas autem simpliciter non esse, non est in se impossibile, quasi contradictionem implicans ; alias ab aeterno fuissent. Et hoc ideo est, quia non sunt suum *esse*. Ut sic cum dicitur : *Creatura non est omnino*, oppositum praedicati includatur

in definitione, ut sic dicatur : *Homo non est animal rationale;* huiusmodi enim contradictionem implicant et sunt secundum se impossibilia. »

Arg. 2. — Ens contingens illud est et dicitur, quod potest esse et potest non esse ; eo quod de ratione entis contingentis est indifferentia ad esse vel non esse. In ente autem cuius esse et essentia realiter identificantur, suntque realiter unum et idem, nequit adinveniri indifferentia ad esse vel non esse ; aliter adinveniretur etiam indifferentia ad habendam vel non habendam talem essentiam, v. g. hominis vel leonis : quod est absurdum. Unde absque reali compositione essentiae et *esse* nullum dari potest ens contingens. Et hoc est quod Boëtius, *De Hebdom.* cap. 2. ait : « Diversum est *esse* et id quod est. » Et Caietanus, *Comm. De Ente et Essentia* cap. 5. q. 11. : « Falsum est, quod *esse* sit indifferens ad esse vel non esse, et essentia ad essentiam et non essentiam ; nihil enim est indifferens ad aliqua duo, quorum alterum sibi determinat in sua definitione ; constat autem, quod *esse* est de intellectu *esse,* et essentia de intellectu essentiae. »

Arg. 3. — Ubi non datur realis compositio *esse* et essentiae, ibi idem est *esse* et *quod quid est rei ;* idem et unum essentia et existentia. Ergo tale ens existit per essentiam. Ergo est ens necessarium, et non contingens. Unde D. Thomas *Compend. Theol.* cap. 10. : « Ulterius autem necesse est, quod Dei essentia non sit aliud quam *esse* ipsius. In quocumque enim aliud est essentia et aliud *esse* eius, oportet quod aliud sit *quod sit,* et aliud *quo aliquid sit ;* nam per *esse* suum de quolibet dicitur quod *est ;* per *essentiam* vero suam de quolibet diticur *quid sit :* unde et definitio significans essentiam demonstrat quid est res. In Deo autem non est aliud *quod est* et aliud *quo aliquid est,* cum non sit in eo compositio, ut ostensum est. Non est igitur ibi aliud eius essentia quam suum esse. »

Arg. 4. — *I. C. Gent.* cap. 22. probat sic D. Thomas identitatem essentiae et existentiae in Deo ex hoc, quod Deus

est ens necessarium : « Unumquodque est per suum *esse*. Quod igitur non est suum *esse*, non est per se necesse esse. Deus autem est per se necesse esse. Ergo Deus est suum *esse*. » Iam vero : contraria per contraria manifestantur. Si ergo de ratione entis necessarii est identitas secundum rem inter essentiam et existentiam eius, relinquitur quod de ratione entis contingentis est quod in eo non identificentur essentia et existentia, sed realiter ad invicem distinguantur.

Arg. 5. — Illud ens est contingens, in cuius essentia vel natura actus existendi non habeat radicem, sed in illa recipiatur sicut lumen recipitur in aëre. Nam sic se habet omnis creatura ad Deum, sicut aër ad solem illuminantem. Ergo de ratione entis contingentis est, quod in eo aliud sit essentia et aliud *esse* quod est actus essentiae. Ergo fundamentum, et radix, ac veluti suprema ratio ipsius contingentiae rerum est *realis compositio* essentiae et existentiae [1].

II

Absque reali compositione essentiae et existentiae nullum datur ens finitum.

Arg. 1. — Omne namque ens finitum est ens contingens. Nullum autem datur ens contingens absque reali compositione essentiae et *esse*, ut supra ostensum est.

Arg. 2. — Ens, cuius *esse* realiter est idem cum essentia vel substantia, est esse purum, et totum *esse* in se habet ; et ideo habet omnem perfectionem essendi. Unde *esse* illius entis, in quo non datur realis compositio essentiae et esse, substantiae et actus eius, utpote esse subsistens, est simpliciter infinitum [2].

[1] I. q. 8. a. 1. ; q. 104. a. 1.
[2] *De Pot.* q. 1. a. 2. — I. q. 7. a. 1.

Arg. 3. — *Esse* est actus. Actus vero in nullo existens, nullo terminatur ; puta si albedo esset per se existens, perfectio albedinis in ea non terminaretur, quominus haberet quidquid de perfectione albedinis haberi potest. Sed ubi non datur realis compositio *esse* et essentiae, *esse* et formae, *esse* et naturae, actus essendi non inhaeret alicui formae, nec in ulla, per quam limitetur, recipitur natura. Relinquitur ergo ipsum *esse* infinitum [1].

Arg. 4. — D. Thomas, *II. C. Gent.* cap. 52. : « Impossibile est, quod sit duplex *esse* omnino infinitum. *Esse* enim quod omnino est infinitum, omnem perfectionem essendi comprehendit ; et sic, si duobus talis adesset infinitas, non inveniretur quo unum ab altero differret. Esse autem subsistens oportet esse infinitum, quia non terminatur aliquo recipiente. Impossibile est igitur esse aliquod *esse* subsistens praeter primum. »

Quod declarans Ferrariensis in suis *Comment.* in *II. C. Gent.* cap. 52. scribit : « Cum *esse* non possit limitari per differentias formales, eo quod nihil ipso actualius sit, necesse est, si ad gradum aliquem determinari debeat, ut per susceptivum determinetur ; non enim potest aliquid commune multiplicari realiter, nisi aut per differentias aut per susceptivum. Si ergo ponatur nullum habere *reale susceptivum*, et cum hoc non est per differentias divisibile, oportet ut ad nullum gradum essendi sit limitatum ; et, per consequens, oportet ut sit purum *esse* et infinitum. Idem autem realiter, non fit realiter suimet susceptivum, et per consequens habet receptivum tantum secundum modum intelligendi. »

Igitur nullum datur ens finitum, nisi in eo dentur duo realia realiter distincta, nempe : *esse* atque ipsius esse *reale susceptivum.*

Arg. 5. — Absque reali compositione *esse* et substantiae entis existentis, oportet quod hoc, quod est *esse*, sit ipsamet rei existentis substantia vel natura. Ens autem cuius sub-

[1] *I. C. Gent.* cap. 43.

stantia vel natura est *esse*, Deus est, qui solus est infinitus simpliciter. Nullum igitur datur ens finitum absque reali compositione essentiae et existentiae.

Unde D. Thomas, *I. Sent.* dist. 8. q. 2. a. 1. : « *Esse* enim recipitur in aliquo secundum modum ipsius ; et ideo terminatur, sicut et quaelibet alia forma quae de se communis est ; et secundum quod recipitur in aliquo, terminatur ad illud ; et hoc modo solum divinum *esse* non est terminatum, quia non est receptum in aliquo quod sit diversum ab eo. »

In omnibus itaque, praeter Deum, substantia, natura vel essentia est aliquid diversum ab *esse* quod in illa recipitur et per illam ad aliquem essendi gradum determinatur. Diversum est *esse* et id quod est in rebus creatis ; et *esse* finitur ratione suppositi in quo *esse* recipitur et quod est ab *esse* diversum.

III

Absque reali compositione esse et essentiae nullum datur ens causatum.

Arg. 1. — Ens causatum nullum dari potest nisi sit ens contingens ac finitum. Nullum vero datur ens finitum et contingens absque reali compositione essentiae et *esse* : ut ex supradictis patet.

Arg. 2. — D. Thomas, I. q. 3. a. 4. ostendit esse impossibile quod in Deo sit aliud *esse* et aliud eius essentia, ex eo quod Deus est prima causa efficiens, cuius *esse* non habet causam ; et aliunde, oportet quod illud, cuius *esse* est aliud ab essentia sua, habeat *esse* causatum ab alio. Si ergo de ratione entis non causati est realis identitas essentiae et existentiae, planum est quod de ratione entis causati oportet ut sit realis essentiae et existentiae distinctio. Quod Angelicus Doctor in terminis postea docet I. q. 3. a. 7. ad 1. : « Est autem hoc de ratione causati, quod sit aliquo modo compositum ;

quia, ad minus, *esse* eius est aliud quam *quod quid est.* » Ac infra, I. q. 7. a. 2. ad 1. : « Hoc est contra rationem facti, quod essentia rei sit ipsum *esse* eius ; quia esse subsistens non est esse creatum. Unde contra rationem facti est quod sit simpliciter infinitum. »

Patet igitur, quod absque reali compositione *esse* et essentiae nullum datur ens contingens, nec finitum, nec factum vel causatum.

Arg. 3. — D. Thomas, *De Pot.* q. 3. a. 1. affert istud argumentum contra creationem ex nihilo : « *Ei* quod fit, faciens dat *esse*. Si ergo Deus facit aliquid ex nihilo, Deus *alicui* dat *esse*. Aut ergo est aliquid recipiens *esse*, aut nihil. Si nihil : ergo nihil constituitur in *esse* per illam actionem ; et sic non fit aliquid. Si autem est *aliquid* recipiens *esse*, hoc erit aliud ab eo quod est Deus ; quia non est idem recipiens et dans receptum. Ergo Deus facit ex aliquo praeexistenti, et ita non ex nihilo. » Et D. Thomas respondet sic : « Ad 17. dicendum quod Deus, simul dans *esse*, producit *id* quod *esse* recipit ; et sic non oportet quod agat ex aliquo praeexistenti. » Omne igitur ens causatum componitur saltem ex duobus, videlicet ex *eo* quod *esse* recipit, et ex ipso *esse* recepto.

Arg. 4. — D. Thomas, *De natura angel.* cap. 7. : « Quia vero esse subsistens non potest esse nisi unum, sicut supra habitum est, necesse est omnia alia, quae sub ipso sunt, sic esse quasi *esse* participantia. Oportet igitur communem quandam resolutionem in omnibus huiusmodi fieri, secundum quod unumquodque eorum intellectu resolvitur in *id quod est*, et in suum *esse*. » Omne igitur ens causatum resolvitur saltem in duo, quorum unum non est alterum, nempe *id* quod est, et suum *esse;* id quod *esse* participat, et *esse* quod participatur.

Arg. 5. — D. Thomas, *II. C. Gent.* cap. 52. : « Item : Si sit aliquod *esse* per se subsistens, nihil competit ei nisi quod est entis in quantum est ens ; quod enim dicitur de aliquo,

non in quantum huiusmodi, non convenit ei nisi per accidens ratione subiecti ; unde, si separatim a subiecto ponatur, nullo modo ei competit. *Esse autem ab alio causatum* non competit enti in quantum est ens ; alias omne ens esset ab alio causatum, et sic oporteret procedere in infinitum in causis : quod est impossibile, ut supra I. cap. 13. ostensum est. Illud igitur *esse* quod est ens subsistens, oportet quod sit non causatum. Nullum igitur ens causatum est suum *esse*. » Nullum ergo datur ens causatum, nisi in eo *duo* reperiantur, nempe : *esse*, et *subiectum* in quo *esse* recipitur et cui *esse* inhaeret.

IV

Absque reali compositione esse et essentiae nullum datur ens per participationem.

Arg. 1. — Nullum datur ens per participationem nisi sit contingens, finitum et causatum. Omne autem ens causatum, finitum et contingens, ut ex dictis patet, claudit in sua propria ratione realem compositionem *esse* et essentiae.

Arg. 2. — D. Thomas, *Quodl.* 3. a. 20. : « Manifestum est enim, quod solus Deus est suum *esse*, quasi essentialiter existens, inquantum sc. suum *esse* est eius substantia, quod de nullo alio dici potest ; *esse* enim subsistens non potest esse nisi unum, sicut nec albedo subsistens non potest esse nisi una. Oportet ergo, quod quaelibet alia res sit ens per participationem, ita quod aliud sit in eo *substantia* participans *esse*, et aliud ipsum *esse* participatum. »

Arg. 3. — D. Thomas, *De natura angelor.* cap. 6. : « Ipsum *esse* per se subsistens est unum tantum. Impossibile est igitur, quod praeter ipsum sit aliquid subsistens quod sit *esse* tantum ; omne autem quod est, *esse* habet. Est igitur in quocumque, praeter Primum, et ipsum *esse* tamquam

actus, et *substantia* rei habens *esse*, tamquam rei *potentia*, receptiva huius actus quod est *esse*... Sic igitur omne quod est post Primum Ens, quod est ipsum *esse*... participat *esse*;... est participative ens. »

Arg. 4. — D. Thomas, *III. C. Gent.* cap. 65. : « *Esse* autem cuiuslibet rei est *esse* participatum, cum non sit res aliqua, praeter Deum, suum *esse*, ut supra lib. 1. cap. 22. probatum est ; et sic oportet, quod ipse Deus, qui est suum *esse*, sit primo et per se causa omnis *esse*... Quod autem pertinet ad naturam superioris generis, nullo modo post actionem agentis manet ; sicut lumen non manet in diaphano, recedente illuminante. *Esse* autem non est *natura* vel *essentia* alicuius rei creatae, sed solius Dei, ut ostensum est lib. 1. cap. 21. et cap. 22. Nulla igitur res remanere potest in *esse*, cessante operatione divina. »

Arg. 5. — D. Thomas in *Lib. Boëtii de Hebdom.* cap. 2. scribit : « Circa ens autem consideratur ipsum *esse* quasi quoddam commune et indeterminatum ; quod quidem dupliciter determinatur : 1° modo ex *parte subiecti*, quod *esse* habet ; 2° modo ex *parte praedicati*, utpote cum dicimus de homine vel de quacumque alia re, non quidem quod sit simpliciter, sed quod sit aliquid, puta *album* vel *nigrum*... Est autem *participare*, quasi *partem capere;* et ideo quando aliquid particulariter recipit id quod ad alterum pertinet universaliter, dicitur participare illud ; sicut *homo* dicitur participare *animal*;... *Socrates, hominem*;... *subiectum, accidens*;... *materia, formam*;... *aër, lucem solis*... Sed ex hoc aliquid *est*, quod suscipit ipsum *esse*. Unde relinquitur, quod *id* quod est, aliquid possit participare ; ipsum autem *esse* non possit aliquid participare... Quia tamen quaelibet forma est determinativa ipsius *esse*, nulla earum est *ipsum esse*, sed est habens *esse*. »

Ex quibus omnibus infertur, quod nullum dari potest ens per participationem nisi in eo dentur duo : *a*) substantia participans *esse*, et *esse* participatum a substantia ; *b*) substantia rei quae est potentia receptiva *esse*, et *esse* quod est actus in

ipsa potentia substantiali receptus ; *c*) *esse* quod non est natura vel substantia alicuius rei creatae, et ipsa substantia vel natura creata quae per participationem ipsius *esse* assimilatur Deo [1] ; *d*) substantia vel forma habens *esse*, et *esse* quod determinatur ex parte subiecti per ipsam formam vel substantiam rei creatae.

V

Absque reali compositione esse et essentiae nullum datur ens compositum.

Arg. 1. — De ratione entis compositi est esse ens contingens, et finitum, et causatum, et participans *esse*. Nullum vero dari potest ens per participationem, causatum, finitum ac contingens absque reali compositione *esse* et essentiae : ut ex dictis constat. Nullum igitur datur ens compositum nisi in eo detur realis *esse* et essentiae compositio.

Arg. 2. — D. Thomas in *Lib. Boëtii de Hebdom.* cap. 2 : « Ipsum *esse* neque participat aliquid, ut eius ratio constituatur ex multis ; neque habet aliquid extraneum admixtum, ut sit in eo compositio accidentis ; et ideo ipsum *esse* non est compositum. Res ergo composita non est suum *esse ;* et ideo dicit, quod in omni composito aliud est *esse*, et aliud ipsum compositum quod est participans ipsum *esse*... In simplicibus necesse est quod ipsum *esse* et *id* quod est, sit unum et idem realiter. Si enim esset aliud realiter id quod est et ipsum *esse*, iam non esset simplex, sed compositum... Id autem erit solum vere simplex, quod non participat *esse*, non quidem inhaerens, sed subsistens. Hoc autem non potest esse nisi Unum. Hoc autem simplex unum et sublime est ipse Deus. »

[1] *II. C. Gent.* cap. 53.

Arg. 3. — D. Thomas, *Quodl.* 9. a. 6. ad 3. et ad 5. : « Ipsa *substantia* angeli quodammodo se habet ad *esse* eius ut materia ad formam... In summo uno nulla diversitas esse potest, cum in eo sit idem *esse* et *quod est;* unde hoc sufficit ad eius pluralitatem removendam. Sed compositio quae in angelo invenitur, sufficit ad eius pluralitatem. »

Et *Quodl.* 7. a. 7. ad 1. : « Substantialis simplicitas in angelis excludit compositionem materiae et formae, non autem compositionem ex *esse* et *quod est ;* quam compositionem ad minus accidentalis compositio in angelis praesupponit. »

Arg. 4. — *Quodl.* 3. a. 20. : « Omnis enim substantia creata est composita ex potentia et actu... ita quod aliud sit in eo (ente per participationem) substantia participans *esse,* et aliud ipsum *esse* participatum. Omne autem participans se habet ad participatum sicut potentia ad actum. Unde *substantia* cuiuslibet rei creatae se habet ad suum *esse* sicut potentia ad actum. Sic ergo omnis substantia creata est composita ex potentia et actu, id est, ex *eo quod est,* et *esse;* sicut album componitur ex eo quod est album et albedine... Dicendum, quod potentia et actus sunt prima principia in genere substantiae ; materia autem et forma sunt prima principia in genere substantiae mobilis. Unde non oportet omnem compositionem in genere substantiae esse ex materia et forma ; sed hoc solum necesse est in substantiis mobilibus. »

Arg. 5. — *De spirit. creat.* a. 1. : « Oportet enim in substantia spirituali creata esse *duo,* quorum unum comparatur ad alterum ut potentia ad actum. Quod sic patet : Manifestum est enim quod Primum ens, quod Deus est, est actus infinitus, utpote habens in se totam essendi plenitudinem, non contractam ad aliquam naturam generis vel speciei. Unde oportet, quod ipsum *esse* eius non sit *esse* quasi inditum alicui naturae quae non sit suum *esse ;* quia sic finiretur ad illam naturam. Unde dicimus quod Deus est ipsum suum *esse.* Hoc non potest dici de aliquo alio ; sicut enim impossibile

est intelligere plures albedines separatas, sed si esset albedo separata ab omni subiecto et recipiente, esset una tantum : ita impossibile est quod sit ipsum *esse* subsistens nisi unum tantum. Omne igitur quod est primum ens, cum non sit suum *esse*, habet *esse* in aliquo receptum, per quod ipsum *esse* contrahitur ; et sic in quolibet creato aliud est natura rei quae participat *esse*, et aliud ipsum *esse* participatum...

Remoto igitur fundamento materiae, si remaneat aliqua forma determinatae naturae per se subsistens, non in materia, adhuc comparabitur ad suum *esse* ut potentia ad actum. Non dico autem ut *potentiam separabilem* ab actu, sed *quam semper suus actus comitetur*. Et hoc modo *natura* spiritualis substantiae, quae non est composita ex materia et forma, est ut *potentia* respectu sui *esse;* et in substantia spirituali est compositio potentiae et actus ; et, per consequens, formae et materiae, si tamen omnis potentia nominetur *materia*. Sed tamen hoc non est proprie dictum secundum communem usum nominum. »

Corollaria. — 1. Sublata reali compositione essentiae et *esse*, substantiae et *esse* quod est actus eius, relinquitur *esse subsistens*, et resultat *actus purus*, et habetur *solum vere simplex*, et fulget *maxime unum*. Hoc autem *simplex unum* et *sublime* est ipse Deus.

2. Sublata reali compositione *esse* et essentiae, vel ex *esse* et quod est, tolluntur in sua radice omnes prorsus quaecumque compositiones ; quoniam aliae, sive sint accidentales sive cuiuscumque generis sint, nequeunt habere locum ubi substantia rei est suum *esse*.

3. Radix prima et ratio ultima, quare ens aliquod est contingens, et finitum, et per participationem, et compositum, et, ut existat, indigens ab alio fieri et causari, in hoc stat atque in hoc consistit, nimirum : *In reali compositione esse et substantiae, esse et subiecti essendi, ex esse et ex eo quod est.*

CAPUT QUARTUM

Divisio entis per participationem in decem genera seu praedicamenta fundatur supra realem compositionem esse et essentiae.

PRIMO : **Patet ex conditionibus requisitis, ut aliquid ponatur in praedicamento.** — Ut enim aliquid in praedicamento ponatur, requiritur : 1° ut sit *ens reale;* nam hic solum dividimus entia realia, et de entibus quae in rerum natura sunt, tractamus. 2° Ut sit *ens finitum;* nam ens infinitum superexcedit omnia praedicamenta, ac minime potest claudi intra suprema genera eorum quae de aliis praedicantur. 3° Ut sit *ens per participationem;* nam praedicamenta sunt solum quidam particulares modi essendi aut veluti mensurae quaedam participandi *esse*. Unde manifestum est quod, ut aliquid in praedicamento ponatur, constare debet ex *eo* quod participat *esse* et ex ipso *esse participato*.

SECUNDO : **Ex indivisione entis infiniti.** — Deus est *maxime ens;* quia non habet aliquod *esse* determinatum per aliquam naturam cui adveniat ; sed est ipsum Esse Subsistens omnibus modis indeterminatum. Deus est *maxime indivisus*, in quantum nec dividitur actu nec potentia secundum quemcumque modum divisionis, cum sit omnibus modis simplex. Unde Deus est *maxime unus* [1]. Igitur radix divisibilitatis ac divisionis entis finiti exsurgit ac pullulat ex reali compositione essentiae et *esse;* quae quidem, utpote compositio rei in ipsa linea entis, est compositio prima, et fundamentum ac ratio reliquarum compositionum.

[1] I. q. 11. a. 4.

TERTIO : **Ex eo quod Deus non est in genere.** — Si enim Deus esset in aliquo genere, oporteret quod genus eius esset ens. Nam genus significat essentiam rei, cum praedicetur de illa in eo quod quid est ; atque *esse* Dei est eius essentia. Ens autem non potest esse genus alicuius ; quia omne genus habet differentias quae sunt extra essentiam generis, ac nulla differentia potest inveniri quae esset extra ens. Unde suprema ratio, quare res sunt in genere et collocantur in aliquo praedicamento, inde provenit quod in huiusmodi rebus *esse* non est ipsarum natura vel essentia [1].

QUARTO : **Ex convenientia simul ac differentia eorum quae sunt in genere.** — Omnia namque quae sunt in genere uno, communicant in quidditate vel essentia generis, quod praedicatur de eis in eo quod quid est ; differunt autem secundum *esse*. Non enim idem est *esse* hominis et equi, neque huius hominis et illius hominis. Et sic oportet, quod quaecumque sunt in genere, differant in eis *esse* et *quod quid est*, id est, essentia. Unde D. Thomas, *De Pot.* q. 7. a. 3. : « Nihil ponitur in genere secundum *esse* suum, sed ratione quidditatis suae ; quod ex hoc patet, quia *esse* uniuscuiusque est ei proprium, et distínctum ab *esse* cuiuslibet alterius rei ; sed ratio substantiae potest esse communis ; propter hoc etiam Philosophus dicit *III. Metaph.* quod ens non est genus. Deus autem est ipsum *esse ;* unde non potest esse in genere. » Et iterum, *De Verit.* q. 2. a. 11. : « Quidquid autem est in Deo, hoc est suum proprium *esse ;* sicut enim *essentia* in eo est idem quod *esse*, ita *scientia* idem est quod *scientem esse* in eo. Unde cum *esse*, quod est proprium unius rei, non possit alteri communicari, impossibile est quod creatura pertingat ad eandem rationem habendi aliquid quod habet Deus ; sicut impossibile est quod ad idem *esse* perveniat. Similiter etiam in nobis esset ; si enim in Petro non differret *homo* et *hominem esse*, impossibile esset quod *homo* univoce diceretur de Petro et Paulo, quibus est *esse* diversum. » Et rursus I. q. 88. a. 2. ad 4. : « Etiam substantiae immateriales sunt in

[1] I. q. 3. a. 5.

praedicamento substantiae, cum earum *quidditas* non sit earum *esse*. » Absque reali ergo *esse* et essentiae compositione redderetur impossibilis divisio entis in genera et species.

QUINTO : **Ex modo quo se habent ad invicem entia quae sunt in genere.** — Ens quippe reale, quod in diversa genera dividitur, ita se habet ad ipsa genera, ut ipsa ratio entis determinata in uno genere sit vel *susceptiva* aliorum vel *receptibilis* in aliis. Ratio enim *substantiae* est *susceptiva quantitatis*, *qualitatis* et huiusmodi ; et e converso, ratio *quantitatis* et *qualitatis* est receptibilis in *substantia*. Sed ens reale, cuius essentia est *esse*, nempe Deus, nec est *susceptivum* alterius *esse*, propter suam infinitatem actualem ; nec est *receptibile* in alio, propter suam maximam divisionem seu distantiam infinitam ab aliis, respectu quorum non potest esse pars intrinseca naturae, nec accidens, cum sit ipsum *esse* subsistens, sed solum est causa efficiens aliorum, eminenter excedens omnia sua causata. Ergo cum ens reale, in quo accipi possunt diversa genera, oportet ut sit ratione suae finitudinis vel susceptivum aliorum vel receptibile in aliis, necessario in tali ente essentia et *esse* realiter distinguuntur [1].

SEXTO : **Ex eo quod actus et potentia dividunt ens et quodlibet genus entis.** — Divisio quidem entis in ens quod est *potentia* et in ens quod est *actus*, est : 1° divisio entis realis finiti et per participationem ; 2° divisio per entia essentialiter diversa, id est, secundum diversas rationes essentiales rerum ; 3° divisio conveniens tam substantiae quam accidenti ; quia tam in substantia quam in accidente invenitur ratio potentiae et actus ; 4° et divisio per rationes quae, licet essentialiter sint diversae, sunt tamen in eodem genere ; quia actus et potentia sunt in eodem genere supremo, et sic consequuntur ens ut reperiantur in quocumque reperitur ratio entis praedicamentalis ; et ideo reperiuntur in singulis decem generibus, quorum unum est substantia, reliqua vero

[1] I. q. 3. a. 5. ; q. 7. a. 1.

sunt accidentia ; 5° et divisio porro entis per rationes reales ac entitativas, quarum una perficitur ab altera, et haec recipitur in illa ; et inter utramque est proportio sicut inter perficiens ac perfectibile. Sed primus actus et prima potentia realis sunt actus et potentia ex quibus constituitur atque realiter componitur omne ens creatum, sc. *esse* et *essentia*.

Septimo : **Ex hoc ipso quod ens contrahitur ad inferiora, de quibus praedicatur, non per differentias logicas, sed per modos exprimendi realitates et essentias rerum.** — Nihil enim est extra conceptum entis ; ens essentialiter includitur in omnibus naturis et realitatibus, quaecumque illae sint ; imo omnis natura, quidditas vel essentia nihil aliud est nisi specialis modus exprimendi communem rationem entis, quae in omnibus necessario includitur ac de omnibus essentialiter praedicatur. *Ens* ergo *reale* est *id* quod habet *esse*, vel *id* ratione cuius advenit subiecto aliquod secundarium *esse*. Est igitur veluti concretum quoddam, duo simul significans, formam et subiectum eius, essentiam et existentiam, *esse* et *rem* cui competit huiusmodi *esse*. Unde ratio entis est ratio composita ex eo quod est et *esse*, sicut album componitur ex eo quod est album et ex albedine. Quatenus autem ens significat *esse*, sumitur ad instar participii ac exprimit actum existendi, et non nisi de Deo essentialiter praedicatur. Quatenus vero ens significat *rem* cui competit *esse*, sumitur nominaliter ac exprimit ipsam formam vel essentiam rei, et praedicatur essentialiter de omnibus quae participant *esse*. Unde omnis forma vel essentia ratione sui est *quidam modus* essendi vel *quidam modus* participandi *esse* vel *quidam modus* exprimendi communem rationem entis : ac proinde *modus* determinandi ens et contrahendi illud ad genera et species. Idcirco, nisi ens per participationem componeretur ex essentia et *esse*, sicut non esset ens per participationem, ita nec dividi posset per diversa genera nec diversas constitueret rerum categorias. Eadem quippe est ratio fundamentalis pro divisione entis realis et pro constitutione categoriarum ; nam categoriae sunt res ipsae

vel essentiae extra mentem existentes ; et ideo sicut absque reali compositione essentiae et *esse* non datur multitudo et diversitas et inaequalitas rerum quibus diversimode competit *esse*, sic nec darentur genera et species eorum quae de aliis praedicantur vere et cum fundamento in ipsis rebus praeexistente.

CAPUT QUINTUM

Divisio entis per participationem in diversa genera non sumitur ab « esse », sed ab « essentia ».

Arg. 1. — Principium enim categoriarum seu praedicamentorum, quae sunt suprema genera eorum quae de aliis praedicari possunt, est *ens reale*. Ens siquidem reale quandoque rei essentiam, quandoque vero rei existentiam significat. Cum ergo categoriae sint res ipsae vel essentiae extra mentem existentes, plane conficitur earum principium esse ens quatenus significat essentiam actu existentem, sive ens actu. In omni vero quod est actu, duo reperiuntur realiter distincta, videlicet, ipse actus et subiectum participans actum. Unde D. Thomas, *Quodl.* 3. a. 1. : « Omne enim quod est actu, vel est ipse actus, vel est potentia participans actum. » Fundamentum itaque ad dividendum ens per participationem in diversa genera sunt ipsaemet essentiae rerum, quatenus sunt reales potentiae participantes actum essendi.

Arg. 2. — Ea quae in praedicamento collocantur, intrant in definitionem rerum, et praedicantur de rebus essentialiter. Sed *ens* sumptum per modum participii, quatenus sc. significat existentiam vel actum essendi, non ponitur in definitione creaturae, non est substantia vel essentia alicuius rei in genere existentis. Divisio ergo entis per participationem in diversa genera, non sumitur ab *esse*, sed ab *essentia*.

Et hoc est quod expresse tradit D. Thomas, *Quodl.* 2. a. 3. : « Ens non ponitur in definitione creaturae, quia nec est genus nec differentia ; unde *esse* participatur sicut aliquid non existens de essentia rei... Sed verum est quod hoc nomen *ens*,

secundum quod importat *rem* cui competit huiusmodi *esse*, sic significat *essentiam* rei, et dividitur per decem genera ; non tamen univoce, quia non eadem ratione competit omnibus *esse ;* sed substantiae quidem per se ; aliis autem aliter. Sic ergo in angelo est compositio ex essentia et *esse ;* non tamen est compositio ex partibus substantiae, sed sicut ex substantia et eo quod adhaeret substantiae. » Ac rursus *I. Sent.* dist. 19. q. 5. a. 1. ad 1. : « Dicendum, quod *esse* dicitur dupliciter : Uno modo secundum quod *ens* significat *essentiam* rerum, prout dividitur per decem genera. Alio modo, secundum quod *esse* significat compositionem quam anima facit. » Et *IV. Metaph.* lect. 1. : « Hoc enim ipsum quod est *esse*, non est *substantia* vel *essentia* alicuius rei in genere existentis. Alioquin oporteret quod hoc, quod dico *ens*, esset genus ; quia genus est, quod praedicatur de aliquo in eo *quod quid*. Ens autem non est genus, ut probatur *III. Metaph.* Et propter hoc etiam Deus, qui est suum *esse*, non est in genere. »

Arg. 3. — Genera diversa rerum accipere oportet ab illo elemento entis realis constitutivo, ratione cuius ens reale : *a*) est diversum ab alio ; *b*) convenit etiam cum alio a quo simul differt. Sed res quaedam conveniunt cum aliis *genere*, et differunt ab eis *specie*, ratione essentiae vel naturae quae ex genere proximo et ultima differentia componitur. Non igitur ab actu essendi, sed ab essentia, quae est essendi modus et potentia, divisio entis in genera diversa accipienda est.

Arg. 4. — *Esse*, quatenus esse : 1° non potest esse diversum ; 2° nequit esse universale metaphysicum, sive natura quaedam a singularibus per mentem abstracta ; nam *esse* sive existentia necessario est singularium. Quapropter res ipsae quae conveniunt secundum naturam specificam, ut Petrus et Paulus, differunt tamen secundum *esse*, ratione cuius omnia in individuis fiunt ac redduntur aliis incommunicabilia. Unde *esse* est actus individuorum et suppositorum et personarum. Igitur genera et differentiae et species

sumenda sunt non ex existentia rerum, sed ex ipsarum essentia ; non ab *esse*, sed a naturis quibus competit diversimode huiusmodi *esse*.

Observatio D. Thomae. — *De Ente et Essentia*, cap. 6. : *a*) « Et quia in istis substantiis (in angelis) *quidditas* non est idem quod *esse*, ideo sunt ordinabiles in praedicamento ; et propter hoc invenitur in eis genus, species et differentia, quamvis earum differentiae propriae nobis occultae sunt. In rebus enim sensibilibus etiam ipsae differentiae essentiales nobis ignotae sunt ; unde significantur per differentias accidentales, quae ex essentialibus oriuntur ; sicut causa significatur per suum effectum, sicut bipes ponitur differentia hominis. Accidentia autem propria substantiarum immaterialium nobis ignota sunt ; unde differentiae earum nec per se nec per accidentales differentias nobis significari possunt. »

b) « Hoc tamen sciendum, quod non eodem modo sumitur genus et differentia in illis substantiis, et in substantiis sensibilibus. Quia in sensibilibus genus sumitur ab eo quod est *materiale* in re ; differentia vero, ab eo quod est *formale* in ipsa... Cum autem substantiae spirituales sint simplices quidditates, non potest in eis differentia sumi ab eo quod est pars quidditatis, sed a tota quidditate... Similiter etiam in eis ex tota essentia sumitur genus, modo tamen differenti : una enim substantia separata convenit cum alia in immaterialitate. Differunt autem ab invicem in gradu perfectionis, secundum *recessum a potentialitate* et *accessum ad actum purum*. Et ideo ab eo quod sequitur illas, in quantum sunt immateriales, sumitur in eis genus, sicut intellectualitas vel aliquid huiusmodi ; ab eo autem quod sequitur in eis gradus perfectionis, sumitur in eis differentia, nobis tamen ignota. »

c) *De spirit. creat.* a. 8. ad 3. : « Ipsum *esse* se habet ut actus tam ad naturas compositas quam ad naturas simplices. Sicut ergo in naturis compositis species non sumitur ab ipso *esse*, sed a *forma*, quia species praedicatur in *quid est*, *esse* autem pertinere videtur ad quaestionem *an est* : sic nec in substantiis angelicis species sumitur secundum ipsum *esse*,

sed secundum formas simplices subsistentes ; quarum differentia est secundum ordinem perfectionis [1]. »

Observatio Caietani declarantis suprapositam D. Thomae doctrinam. — Caietanus enim in suis *Comment.* supra opusc. *De Ent. et Essent.* cap. 6. q. 14. scribit : « Ad profundiorem huius rei perscrutationem notandae sunt tres propositiones. 1ª *Omne individuum, distinctum realiter a suo esse, habet plura praedicata quidditativa, quorum successu magis ac magis appropinquat ad suum esse.*

2ª *Inter praedicata quidditativa supradicta talis est ordo, quod tantum unumquodque est actualius, quo appropinquat ad esse ; et tanto est potentialius, quanto remotius est ab esse.....*

3ª *Genus sumitur ab eo quod est potentiale ; differentia vero ab eo quod est actuale.*

Regula generalissima : *Genus et differentia in omnibus sumuntur a tota essentia rei secundum elongationem et propinquitatem ad ipsum esse existentiae...* Nec propter hoc quod diximus, intendimus quod genus et differentia sumantur ab *esse* actualis existentiae ; scimus enim definitiones abstrahere ab *esse ;* sed intendimus quod genus et differentia sumuntur (ut verbis Sancti Thomae utamur) *ab ordine* ad *esse* actualis existentiae. *Ab ordine* autem dicimus, relatione ordinis, sed fundamento eius ab eo, sc. quod essentia appropinquat ut receptivum ad ipsum *esse,* et ab eo quo essentia elongatur ab ipso. Et secundum hoc habes, unde in intelligentiis, substantiis materialibus et accidentibus sumantur genus et differentia, ut facile est cuilibet exercitato deducere in singulis. Et propter hoc solus Deus caret genere et differentia ; quidditas enim sua cum sit sua existentia actualis, non potest concipi ut elongata ab existentia vel propinqua illi. Unde sufficientissimam causam S. Thomas in principio huius capituli assignavit, quare Deus non sit in genere, et intelligentiae sint in praedicamento : quia ille est suum *esse,* istarum autem essentia distinguitur ab *esse* proprio. »

[1] Vide etiam *II. Sent.* dist. 3. q. 1. a. 5. — *Quodl.* 9. a. 6. a. 3. — *De nat. generis,* cap. 3. et alibi.

Observatio Bañez, I. q. 3. q. 4. : « Ipsum *esse* excellentius quid est quam omnia genera ; neque ad aliquod genus reducitur tamquam ad aliquid perfectius ipso ; sed eius reductio ad genus magis est *limitatio* et *imperfectio* quam extensio ad aliquid perfectius. *Esse* est completivum et generis et differentiae et omnium quae sunt in praedicamento. Quapropter, iudicio meo, ipsum *esse* non proprie dicitur *reduci* ad praedicamentum, sed potius *participari* et *limitari* ab omni praedicamento et ab omni genere et differentia praedicamentali. Ipsum autem *esse* non participat aliquid, sed ab omnibus participatur, ut docet D. Thomas saepenumero, praesertim in q. unica *De Anima*, a. 6. ad 2. Et confirmatur hoc. Quoniam nemo dixerit quod ens reducitur ad praedicamentum ; sed potius dicimus quod ens finitum dividitur in praedicamenta per diversos modos quibus limitatur, tamquam aliquid intimum omni generi et omni differentiae praedicamentali. Cum igitur *ens* importet *id* quod habet *esse*, sicut *potentia* habet *actum* : quomodo verificabitur quod ipsa potentia non reducatur ad praedicamentum, et ipse actus reducatur ? Haec dicta sint pro ingeniosis et metaphysicis, non pro iis qui rudi minerva cuncta considerant. » Hactenus Bañez.

Observatio circa ens nominaliter et participaliter sumptum. — Ens nominaliter sumptum significat rem cui competit *esse;* sumptum vero per modum participii significat ipsum actum essendi. Si primo modo accipiatur, ens praedicatur de omnibus quidditative et intrinsece ; et sic unumquodque est *ens per essentiam;* atque in hoc sensu ait D. Thomas, *II. C. Gent.* cap. 52. : « Substantia uniuscuiusque est ens per se et non per aliud. » Et *II. Sent.* dist. 3. q. 1. a. 1. : « Quia illud quod res ex sua quidditate habet, ex se habet. » Si autem accipiatur per modum participii, sic *ens* non est praedicatum quidditativum et essentiale, nisi solius Dei, cuius substantia est *esse;* et sic nihil aliud a Deo est *ens per essentiam suam.* Atque in hoc sensu D. Thomas, *II. C. Gent.* cap. 52. addit : « Cuilibet rei creatae suum *esse* est ei per aliud ; alias non esset creatum. » Et ibid. cap. 15. : « Quod alicui convenit ex sua natura, et non ex aliqua causa, minoratum in eo et

deficiens esse non potest... Quod igitur alicui minus convenit quam aliis, non convenit ei ex sua natura tantum, sed ex alia causa. » Et *Comp. Theol.* cap. 65. : « Quidquid est in aliquo praeter essentiam eius, inest ei *accidentaliter.* »

Haec autem divisio entis in ens per modum nominis et per modum participii, est divisio *entis per participationem* in duo elementa ex quibus realiter componitur, nempe in *id* quod participat *esse* et in ipsum *esse participatum.* Unde *ens* nominaliter sumptum et *ens* sumptum participaliter constituunt unum ens completum ac perfectum in linea entis, videlicet : *Ens per participationem.* Ex utroque ente componitur *una sola res;* et non quidem res tertia, sicut ex anima et corpore constituitur humanitas, quae est homo, quae componitur ex anima et corpore, sed *res una existens;* unum ens in quantum ens in linea entis completum ; et huiusmodi ens ex duplici elemento entitativo constituitur ut sit ; et sic constitutum *est*, si est ens substantiale ; vel *inest*, si est ens accidentale. Atque tam in substantia quam in accidente, *ens* nominaliter sumptum exprimit quidditatem, essentiam, naturam ; *ens* autem participaliter sumptum exprimit actum essentiae vel quidditatis, aliquid quod est essentiae existentis complementum, sed quod non clauditur intra ipsam essentiam. Unde D. Thomas, *Quodl.* 2. a. 3. ad 2. : « *Esse* est accidens, non quasi per accidens se habens, sed quasi actualitas cuiuslibet substantiae ; unde ipse Deus, qui est sua actualitas, est suum *esse.* »

Iam vero : In praedicamento collocatur ens reale, per participationem, ens proinde ex ente nominaliter et ex ente participaliter simul sumpto compositum ; attamen dividitur in decem praedicamenta, non ratione ipsius *esse*, sed ratione rei cui competit huiusmodi *esse;* non ratione existentiae, sed ratione substantiae, essentiae et naturae. *Esse* autem participatur ab omnibus rebus vel naturis quae sunt in predicamento ; et non dividitur in decem praedicamenta nisi ratione naturae in qua sicut in propria potentia recipitur, et ratione essentiae vel formae cuius est actus et a qua limitatur ad quendam modum essendi. Unde D. Thomas, *Quodl.* 9. a. 3. : « *Esse* dicitur actus entis in quantum est ens, id est, quo

denominatur aliquid *ens actu* in rerum natura ; et sic *esse* non attribuitur nisi rebus ipsis quae in decem generibus continentur : unde ens, a tali *esse* dictum, per decem genera dividitur. Sed hoc *esse* attribuitur alicui dupliciter : Uno modo, sicut ei quod proprie et vere habet *esse*, vel *est;* et sic attribuitur soli substantiae per se subsistenti. Unde quod vere est, dicitur substantia in *I. Physic.* Omnia vero quae non per se subsistunt, sed in alio et cum alio, sive sint accidentia sive formae substantiales aut quaelibet partes, non habent *esse* ita ut ipsa vere sint, sed attribuitur eis *esse* alio modo, id est, ut quo aliquid est ; sicut albedo dicitur *esse*, non quia ipsa in se subsistat, sed quia ea aliquid habet *esse album.* » Et I. q. 5. a. 6. ad 1. : « *Bonum*, in quantum est idem subiecto cum *ente*, dividitur per decem praedicamenta ; sed secundum propriam rationem competit sibi ista divisio (in honestum, utile et delectabile[1]). »

[1] Et per hoc patet quomodo intelligenda est doctrina D. Thomae, et corrigenda aut benigne interpretanda verba Caietani in suis *Comment. De Ent. et Essent.* cap. 4. quaest. 5. Ad rem cardinalis GONZALEZ in suo opere *Estudios sobre la filosofia de Santo Tomas*, lib. 2. cap. 1. : « Conviene advertir aqui, que esta division del ente como *nombre* y como *participio*, no envuelve dos extremos de division que dividan perfectamente y como en partes propiamente distinctas la *razon comun* de ente, á la manera que el cuerpo y el espiritu dividen la sustancia. Semejante idea seria una idea equivocada, que no podria, menos de producir confusion al tratarse de sus aplicaciones..... En resumen : estas dos concepciones del ente, como nombre ó como participio, significan la razon del ente en comun, ó con precision de la existencia, ó con determinacion al acto de existir, siendo indiferente para esto, que semejante determinacion á la existencia sea esencial como en Dios, ó accidental como en las criaturas. »

CAPUT SEXTUM

Ex reali compositione esse et essentiae declaratur atque elucescit vera notio substantiae, et accidentis, et individui, et suppositi, ad quod, proprie loquendo, pertinet habere « esse ».

I

Ens per participationem dividitur in substantiam et accidens.

Sicut enim ens reale dividitur primo in ens per essentiam et in ens per participationem, sic quoque, proportione servata, ens per participationem subdividitur in substantiam et accidens ; ac divisionis fundamentum constituitur per diversam rationem, qua huiusmodi entibus competit *esse*. Quod quidem multis in locis declarat D. Thomas. *Quodl.* 2. a. 3. : « *Ens*, secundum quod importat *rem* cui competit huiusmodi *esse*, sic significat essentiam rei, et dividitur per decem genera ; non tamen univoce, quia non eadem ratione competit omnibus *esse ;* sed substantiae quidem per se, aliis autem aliter. » Iterum, *De Pot.* q. 7. a. 7. : « *Ens* non dicitur univoce de substantia et accidente, propter hoc quod substantia est ens tamquam per se habens *esse;* accidens vero tamquam cuius *esse* est *inesse*. Ex quo patet, quod diversa habitudo ad *esse* impedit univocam praedicationem entis. Deus autem alio modo se habet ad *esse* quam aliqua alia creatura ; nam ipse est suum *esse :* quod nulli creaturae competit. Unde nullo modo univoce de Deo et creatura dicitur ; et per consequens nec aliquid aliorum praedicabi-

lium, inter quae est ipsum primum ens. Existente enim diversitate in primo, oportet in aliis diversitatem inveniri. »

Inde habetur verum fundamentum ad primam divisionem entis in · ns per essentiam et ens per participationem, et ad deinde divisionem entis per participationem in substantiam et accidens, nimirum : **Diversa habitudo ad esse.** — Alio namque modo se habet Deus ad *esse*, et alio modo creatura ; alio modo substantia, et alio modo accidens. Deus solus est ens per essentiam ; omnia autem alia per participationem ; quia in solo Deo *esse* est sua essentia ; quia ens, quod sit suum *esse*, non potest esse nisi unum [1].

Similiter inter entia per participationem, alio modo competit *esse* substantiae, et alio modo accidenti ; et quia substantia et accidens diversimode participant *esse*, idcirco exinde ostenditur aliam esse essentiam substantiae et aliam essentiam accidentis ; natura enim substantiae est ens tamquam per se habens *esse* ; natura vero accidentis est ens cuius *esse* est *inesse*. Ens, inquam, nominaliter sumptum, prout importat *rem* cui competit *esse*.

Et quoniam *ens* est primum inter omnia praedicata seu attributa, et quaecumque de alio praedicantur, ad *ens* oportet ea reduci atque in *ens* postremo resolvi : ideo, existente diversitate in primo, oportet in aliis diversitatem inveniri. Et consequenter, si *ens* non praedicatur univoce de Deo et creaturis, nec de substantia et accidente : nec aliquid aliorum praedicabilium, inter quae est ipsum primum *ens*, de accidente et de substantia, nec de creaturis et de Deo univoce praedicari potest.

Et ratio fundamentalis horum omnium est *diversa habitudo ad* **esse**. Quae quidem remanet adhuc aliqualiter diversa inter novem accidentium genera, ut D. Thomas tradit.

[1] *II. C. Gent.* cap. 15. et *III.* cap. 86.

II

Vera notio substantiae.

Doctrina D. Thomae. — Vera itaque notio substantiae sic explanatur a D. Thoma : *a*) I. q. 3. a. 5. ad 1. : « Substantiae nomen non significat hoc solum quod est *per se esse*, quia hoc quod est *esse* non potest per se esse genus ; sed significat *essentiam cui competit sic esse*, id est, *per se esse:* quod tamen *esse* non est ipsa eius essentia. Et sic patet, quod Deus non est in genere substantiae. »

b) III. q. 77. a. 1. ad 2. : « Cum ens non sit genus, hoc ipsum, quod est *esse*, non potest esse *essentia* substantiae vel accidentis. Non est ergo definitio substantiae : *Ens per se sine subiecto;* nec definitio accidentis : *Ens in subiecto*. Sed quidditati seu essentiae substantiae competit habere *esse* non in subiecto ; et quidditati sive essentiae accidentis competit habere *esse* in subiecto. »

c) *I. C. Gent.* cap. 25. : « Oportet igitur, quod ratio substantiae intelligatur hoc modo, quod substantia sit : *Res cui competit esse non in subiecto* (nomen autem rei a quidditate imponitur, sicut nomen entis ab *esse;* et sic in ratione substantiae intelligatur quod habeat quidditatem cui conveniat esse non in alio. Hoc autem Deo non convenit ; nam non habet quidditatem nisi suum *esse*. »

d) *De Pot.* q. 7. a. 3. ad 4. : « *Ens per se* non est definitio substantiae. Ens enim non potest esse alicuius genus, ut probat Philosophus, *III. Metaph.* cum nihil possit addi ad ens quod non participet ipsum ; differentia vero non debet participare genus. Sed si substantia possit habere definitionem, non obstante quod est genus generalissimum, erit eius definitio, quod substantia est : *Res cuius quidditati debetur esse non in aliquo*. Et sic non conveniet definitio substantiae Deo, qui non habet quidditatem suam praeter suum *esse*. Unde Deus non est in genere substantiae, sed est supra omnem substantiam. »

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Corollaria. — Ex quibus omnibus aperte liquet : 1° Quod vera notio substantiae claudit ac necessario importat realem compositionem *esse* et essentiae ; nam de ratione substantiae est esse subiectum sui proprii *esse*, quod tamen *esse* non est ipsa eius essentia.

2° Quod absque reali compositione *esse* et essentiae non datur nec dari potest substantia praedicamentalis, sicut non datur *ens per participationem*. Unde D. Thomas, *De Verit.* q. 27. a. 1. ad 8. : « Omne quod est in genere substantiae, est compositum reali compositione, eo quod *id* quod est in praedicamento substantiae, est in suo *esse* subsistens, et oportet quod *esse* suum sit aliud quam ipsum ; alias non posset differre secundum *esse* ab illis, cum quibus convenit in ratione suae quidditatis : quod requiritur in omnibus quae sunt directe in praedicamento ; et ideo omne quod est directe in praedicamento substantiae, compositum est saltem *ex esse* et *quod est.* »

3° Quod absque reali compositione *esse* et essentiae, ita quod *esse* recipiatur in essentia substantiae tamquam in proprio subiecto, nulla substantia creata posset esse subiectum accidentium. Etenim *ens per participationem*, quod est substantia, participat : *a*) *esse primum* quod est *esse* substantiale, *esse* simpliciter, *esse* actuans intrinsece substantiam in ratione subsistentis, *esse* negans in suo subiecto aliam quamcumque actualitatem ut priorem in linea entis ; *b*) et *esse secundum* quod est *esse* secundum quid vel accidentale, *esse* actuans substantiam in ratione *quantae* vel *qualis* vel huiusmodi, *esse* affirmans vel praesupponens in suo subiecto primam actualitatem, nempe *esse* substantiale. Iam vero : eatenus haec *duo esse* sive actualitates possunt adunari in eodem subiecto substantiali, quatenus ipsa substantia subiecti utrumque *esse* genus participantis, ab utroque *esse* realiter distinguitur. Unde substantia non habet identitatem cum suo *esse*, nec cum *esse* et *essentia* suorum accidentium.

4° In substantia composita ex materia et forma, nec materia nec forma potest dici *ipsum quod est*, nec etiam ipsum *esse*. *Esse* non est proprius actus materiae, sed substantiae totius ; nec forma est ipsum *esse*, quia ad ipsam

etiam formam comparatur ipsum *esse* ut actus ; forma dicitur tamen esse principium essendi, quia est complementum substantiae, cuius actus est ipsum *esse*. Ipsa autem tota substantia est *ipsum quod est;* et ipsum *esse* est quo substantia denominatur *ens* [1].

5° In substantia vero spirituali, quae est angelus, *esse* non est actus qui sit pars essentiae, sicut forma ; sed ipsa quidditas angeli vel substantia est per se subsistens, et quod subsistit ; et *esse* eius, quo subsistit ; quo sc. actu essendi dicitur esse, sicut actu currendi dicimur currere. In angelo est compositio ex essentia et *esse;* non tamen est composisitio sicut ex partibus substantiae, sed sicut ex substantia et eo quod adhaeret. *Esse* enim est complementum substantiae existentis [2].

III

Verá notio accidentis.

Doctrina D. Thomae. — *a*) *De Ente et Essent.* cap. 7. : « Nunc autem restat videre, qualiter essentia sit in accidentibus ; quomodo autem sit in omnibus substantiis, dictum est. Et quia, ut dictum est, essentia per definitionem significatur, oportet quod eo modo habeant essentiam, quo habent definitionem. Definitionem autem habent incompletam, quia non possunt definiri nisi ponatur subiectum in eorum definitione ; et hoc ideo est, quia non habent in se *esse* absolutum per se a subiecto ; sed sicut ex forma et materia relinquitur *esse substantiale*, quando componitur, ita ex accidente et subiecto relinquitur *esse accidentale*, quando accidens subiecto advenit... Ex coniunctione utriusque (materiae et formae substantialis) relinquitur illud *esse*, in quo res per se subsistit, et ex eis efficitur unum per se ; propter quod ex coniunctione eorum relinquitur *essentia*

[1] *II. C. Gent.* cap. 54.
[2] *Quodl.* 2. a. 3. ; 9. a. 6. ; *II. C. Gent.* cap. 53.

quaedam... Sed illud, cui advenit accidens, est ens in se completum, consistens in suo *esse*, quod quidem *esse* naturaliter praecedit accidens, quod supervenit ; et ideo accidens superveniens, ex coniunctione sui cum eo cui supervenit, non causat illud *esse* in quo res subsistit, per quod res est *ens per se ;* sed causat quoddam *esse secundum*, sine quo res subsistens intelligi potest *esse*... Unde ex accidente et subiecto non fit unum per se, sed unum per accidens ; et ideo ex eorum coniunctione non resultat essentia quaedam, sicut ex coniunctione formae cum materia, propter quod accidens neque rationem completae essentiae habet, neque est pars completae essentiae ; sed sicut est ens secundum quid, ita et essentiam secundum quid habet. »

b) *Quodl.* 9. a. 5. ad 1. : « Cum dicitur : *Accidentis esse est inesse* (vel qualitercumque ponatur subiectum in definitione accidentis), intelligitur definitio per additionem, ut probatur in *VII. Metaph.* Et dicitur definitio per additionem, quando in definitione ponitur aliquid quod est extra essentiam definiti, sicut nasus ponitur in definitione simi. Hoc autem est propter naturalem dependentiam accidentis a subiecto. Sed hoc non impediente, Deus potest accidentia sine subiecto conservare ; nec tamen sequitur contradictoria simul esse vera ; quia subiectum non est de substantia accidentis. » Et ad 2. : « *Esse* non potest poni in definitione alicuius generis et speciei, quia omnia particularia uniuntur in definitione generis vel speciei, cum tamen genus vel species non sint secundum *unum esse* in omnibus. Et ideo haec non est vera definitio substantiae : Substantia est *quod per se est ;* vel, accidens est *quod est in alio*. Sed est circumlocutio verae descriptionis, quae talis intelligitur : Substantia est *res cuius naturae debetur esse non in alio*. Accidens vero est *res cuius naturae debetur esse in alio*. Unde patet quod, quamvis accidens miraculose sit sine subiecto, non tamen pertinet ad definitionem substantiae ; non enim per hoc eius naturae debetur esse non in alio ; nec egreditur definitionem accidentis, quia adhuc natura eius remanet talis, ut ei debeatur esse in alio. »

c) *De Verit.* q. 27. a. 1. ad 8. : « Sunt tamen quaedam in

praedicamento substantiae per reductionem, ut principia substantiae subsistentis, in quibus praedicta compositio (realis compositio *esse* et essentiae) non invenitur ; non enim subsistunt ; ideo proprium *esse* non habent. Similiter accidentia, quia non subsistunt, non est eorum proprie *esse;* sed subiectum est *aliquale* secundum ea ; unde proprie dicuntur magis *entis* quam *entia*. Et ideo, ad hoc quod aliquid sit in praedicamento aliquo accidentis, non requiritur quod sit compositum compositione reali, sed solummodo compositione rationis, ex genere et differentia. »

Corollaria. — Ex quibus habetur quid sit accidens, et quomodo se habeat ad subiectum et ad *esse*. 1° Accidens non est pars essentiae completae, nec habet essentiam completam. 2° Talis essentia proprie *non est;* unde accidens est *ens* secundum quid, et dicitur magis *entis* quam ens. 3° Tali essentiae vel naturae competit esse in alio ; et quamvis per miraculum separari valeat a suo subiecto, natura tamen eius remanet talis, ut ei debeatur esse in alio. 4° Unde de essentia accidentis est *inhaerentia aptitudinalis*, non tamen inhaerentia actualis. 5° *Esse accidentale* est *esse secundarium* ipsius subiecti ; unde, proprie loquendo, accidens *non est*, sed subiectum *est aliquale* secundum accidens. 6° Unde *esse accidentale* non recipitur in ipsa essentia accidentis, sed ratione huius essentiae vel formae accidentalis subiectum, cui accidens inhaeret, acquirit *tale esse novum*. 7° Unde *esse* actualis existentiae accidentis distinguitur realiter : *a*) ab *esse* subiecti actualis, cui accidens supervenit ; *b*) ab ipsa essentia vel natura accidentis, a qua *esse* accidentale fluit. Aliud est enim *albedo*, v. g., et aliud *subiectum* albedinis, et aliud *esse album* quod subiectum acquirit ratione albedinis. Et sic *albedo*, recepta in subiecto, est forma quaedam quae perficit subiectum ut *esse album* recipiat. Et sic *ratio hominis albi resolvitur in rationem albi;* et *in talibus aliquid componitur ex se ipso et alio; sicut album componitur ex eo quod est album et ex albedine* [1].

[1] *Quodl.* 2. a. 3. ad. 1.

Inde etiam habetur : 1° Quod in accidente accipi possunt novem diversa genera ; quoniam, licet *esse* omnis accidentis sit *inesse*, propria tamen ratio vel natura uniuscuiusque illorum diversa est, secundum quod substantiam diversimode afficiat vel ad ipsam diversimode se habeat. Quot modis praedicatio fit, tot modis *ens* dicitur. Hinc divisio accidentis in *quantitatem*, *qualitatem*, *relationem*, etc. 2° Quod *esse in* constituit characterem communem omnibus accidentibus ; et *esse in*, aptitudinaliter sumptum, ad essentiam omnis accidentis attinet et omne accidens circuit. 3° Quod *ens* contrahitur per *esse in* ad novem genera accidentium ; et quia omne accidens essentialiter natum est recipi in alio, ideo omne accidens est *respectivum* ad aliud ut subiectum, atque in hoc sensu omne accidens involvit in sua entitate respectum ad subiectum cui inhaeret ; et ideo est dependens a subiecto ; non tamen omne accidens est *relatio*, de cuius specifica natura est *esse ad aliud ut terminum ;* sed tamen relatio, ut accidens reale est, importat etiam *esse in*, quod constituit accidens universale. Relatio namque realis praedicamentalis, de cuius ratione est *esse ad*, importat quoque *esse in ;* aliter non esset reale accidens.

Observatio : Et quia in omnibus praedictis terminis, quae significant decem praedicamenta, aliquid dicitur in actu et aliquid in potentia, ex hoc accidit quod unumquodque praedicamentum *per actum* et *potentiam* dividitur. Unumquodque enim est modus, quo ens praedicatur et contrahitur ad inferiora ; unumquodque signat aliquam essentiam vel naturam, cui diversimode competit *esse ;* in unoquoque proinde clauditur diversa ratio participandi *esse ;* idcirco in unoquoque, vel saltem in substantia, ratione propria et ratione uniuscuius alterius praedicamenti, etiamsi sit forma simplex quod in illo collocatur, erit adinvenire *participans esse* et aliquod *esse participatum*. Quod D. Thomas videtur satis clare indicare, dum *II. C. Gent.* cap. 54. scribit : « Nec forma est ipsum *esse*, sed se habent secundum ordinem ; comparatur enim forma ad ipsum *esse* sicut lux ad lucidum vel albedo ad album esse ; deinde, quia ad ipsam etiam

formam comparatur ipsum *esse* ut actus. Per hoc enim in compositis ex materia et forma, forma dicitur esse principium essendi, quia est complementum substantiae, cuius actus est ipsum *esse;* sicut diaphanum est aëri principium lucendi, quia facit eum proprium subiectum luminis. » Unde lux est forma ; et *lucidum esse*, actus. Similiter albedo est forma ; et *album esse*, actus ; et subiectum tam lucis, quam albedinis, comparatur ad lucidum et album esse, ut potentia ad actum ; et lux atque albedo sunt formae accidentales, quibus subiectum perficitur et per quas acquirit utrumque *esse* accidentale. Ab omni forma fluit aliquod *esse*, quia forma est quae dat *esse* rei ; si forma est substantialis, *esse* specificum ; si vero accidentalis, accidentale *esse;* sicut ab albedine esse album, et a luce esse lucidum, et a dulcedine esse dulce. Attamen cum de *esse*, quod est actus formae substantialis, agitur, quamvis forma possit dici principium essendi, non potest tamen dici *causa formalis* ipsius *esse :* 1° quia *esse* est formalissimum in re ; 2° quia ipsa forma comparatur ad ipsum *esse* sicut *potentia* ad actum ; 3° quia *esse* non fluit a forma tamquam a radice vel fonte vel causa formali vel efficiente, sed venit ab extrinseco, et recipitur in forma tamquam in potentia vel causa materiali. Unde *esse* consequitur formam creaturae, supposito tamen influxu Dei ; sicut lumen sequitur diaphanum aëris, supposito influxu solis [1].

IV

Vera notio individui.

Tanto magis individuum et unum aliquid est, quanto magis indivisum in se et divisum ab aliis est ; unde notio individui ex indivisione entis manifestatur atque ex eius excellentia ac puritate. Sic : *a*) *Esse Dei*, quia est per se stans

[1] I. q. 104. a. 1. ad. 1.

et esse subsistens, non potest esse nisi unum ; ideo in Summo Uno nulla diversitas esse potest, cum in eo sit idem *esse* et *quod est* : unde hoc sufficit ad eius pluralitatem removendam. Esse Dei est ipsa Divina Natura subsistens : quod in nulla re alia contingit ; et ab omnibus distinguitur per hoc quod est in alio non recipi. Itaque individuatio *esse* subsistentis est per suam puram bonitatem ac subsistentiam ipsius *esse*, quod est Actus Purus [1].

b) *Esse creatum* non est per se stans, sed inhaerens ; quia est aliud a substantia creati. Ideoque diversificatur per formas quarum est actus, per naturas quibus adhaeret, per substantias quarum est complementum. Unde : 1° angeli, qui sunt formae subsistentes sine materia, per ipsas suas proprias formas individuantur, et in angelis non differt suppositum radicaliter sumptum, id est, *individuum* et natura. 2° In compositis ex materia et forma, individuatio est per materiam individualem cum accidentibus omnibus individuantibus ipsam ; unde principium individuationis dicitur esse materia signata quantitate, ratione cuius materia est divisibilis. Idcirco in eis differt individuum et natura ; et id quod est *homo*, habet in se aliquid quod non habet *humanitas*. 3° Accidentia individuantur ex subiecto cui inhaerent et a quo essentialiter dependent [2].

c) Inde, quia essentia Dei est *esse non receptum* in forma, individuatur per ipsam puritatem sui *esse*. Quia essentia angeli est *forma non recepta* in materia, individuatur per seipsam. Quia essentia substantiae corporeae componitur ex materia et forma, individuatur per materiam, in qua recipitur, signatam quantitate, ratione cuius materia habet divisibilitatem. Ideo Deo, qui est in supremo perfectionis, nihil deest eorum quae pertinent ad rationem totius *esse*. In angelis vero haec perfectio invenitur, ut uni individuo nihil desit eorum quae ad totam speciem pertinent [3].

[1] *De Ente et Essent.* cap. 5. — *Quodl.* 7. a. 1. ; 9. a. 6 ; 10. a. 4.

[2] *De Ente et Essent.* cap. 7. — I. q. 3. a. 3. — *II. C. Gent.* cap. 52. — *De Pot.* q. 7. a. 2. ad. 5.

[3] *De spirituali creatura*, a. 8.

V

Vera notio suppositi.

Doctrina D. Thomae. — *a*) *Quodl.* 2. a. 4. : « Ad huius quaestionis intelligentiam oportet considerare quid sit suppositum et quid natura. Natura autem, quamvis multipliciter dicatur, tamen uno modo dicitur natura ipsa substantia rei, secundum quod substantia significat essentiam vel quidditatem rei, vel quid est... Suppositum autem est singulare in genere substantiae, quod dicitur hypostasis vel substantia prima... Cuicumque potest aliquid accidere quod non sit de ratione suae naturae, in eo differt *rei* et *quod quid est*, sive *suppositum* et *natura*. Nam in significatione naturae includitur solum id quod est de ratione speciei ; suppositum autem non solum habet haec quae ad rationem speciei pertinent, sed etiam alia quae ei accidunt ; et ideo suppositum signatur per *totum;* natura autem sive quidditas, ut *pars formalis*. In solo autem Deo non invenitur aliquod accidens praeter eius essentiam, quia suum *esse* est sua essentia, ut dictum est ; et ideo in Deo est *omnino idem* suppositum et natura. In angelo autem non est omnino idem ; quia aliquid accidit ei praeter id quod est de ratione suae speciei ; quia et ipsum *esse* angeli est praeter eius *essentiam* seu *naturam;* et alia quaedam ei accidunt, quae omnino pertinent ad suppositum, non autem ad naturam... Non solum in compositis ex materia et forma invenitur aliquod accidens praeter essentiam ipsius speciei, sed etiam in substantiis spiritualibus quae non componuntur ex materia et forma ; et ideo in utrisque *suppositum non est omnino idem quod ipsa natura*... Licet ipsum *esse* non sit de ratione suppositi, quia tamen pertinet ad suppositum et non est de ratione naturae, manifestum est quod suppositum et natura non sunt omnino idem in quibuscumque res non est suum *esse*... Natura dicitur constituere suppositum etiam in compositis ex materia et forma, non quia natura sit una res, et suppositum alia res ; sed quia

secundum modum significandi, natura significatur ut *pars*, suppositum vero ut *totum;* natura significatur ut *constituens*, et suppositum ut *constitutum.* »

b) III. q. 2. a. 2. : « Contingit autem in quibusdam rebus subsistentibus inveniri aliquid quod non pertinet ad rationem speciei, sc. accidentia et principia individuantia ; sicut maxime apparet in his quae sunt ex materia et forma composita. Et ideo in talibus etiam *secundum rem differt natura et suppositum;* non quasi omnino aliqua separata, sed quia in supposito includitur ipsa natura speciei, et superadduntur quaedam alia quae sunt praeter rationem speciei ; unde suppositum significatur ut totum habens naturam sicut partem formalem et perfectivam sui ; et propter hoc in compositis ex materia et forma natura non praedicatur de supposito ; non enim dicimus quod hic homo sit sua humanitas... Omne igitur quod inest alicui personae, sive pertineat ad naturam eius sive non, unitur ei in persona. »

c) III. q. 17. a. 2. : « *Esse* autem pertinet et ad naturam et ad hypostasim ; ad hypostasim quidem sicut ad id quod habet *esse ;* ad naturam autem, sicut ad id quo aliquid habet *esse.* »

d) III. q. 19. a. 1. ad 4. : « *Esse* pertinet ad ipsam constitutionem personae ; et sic quantum ad hoc se habet in ratione termini ; et ideo unitas personae requirit unitatem ipsius *esse* completi et personalis. »

e) III. q. 35. a. 1. : « *Esse* autem proprie est rei subsistentis ; nam forma quae non subsistit, dicitur esse solum, quia ea aliquid est ; persona autem vel hypostasis significatur per modum subsistentis ; natura autem significatur per modum formae qua aliquid subsistit. »

f) *Quodl.* 9. a. 3. : « *Esse* ergo proprie et vere non attribuitur nisi rei per se subsistenti... *Esse* est id in quo fundatur unitas suppositi ; unde *esse multiplex* praeiudicat unitati essendi. »

Corollaria. — Ex quibus habetur : 1° Quod in Deo est omnino idem suppositum et natura ; quia in Deo identificatur *esse* et natura. 2° Quod in omnibus, in quibus realiter distinguitur *esse* et *natura*, suppositum et natura non sunt

omnino idem, eo quod in eis res non est suum *esse*. 3° Tam in angelis quam in hominibus natura et suppositum differunt secundum rem, non quasi aliqua omnino separata, sed quia in supposito includitur natura speciei, ut pars formalis et perfectiva eius, et superadduntur alia quaedam, quibus natura completur et fit sui iuris quoad *esse* et *operari*, et redditur alteri incommunicabilis. 4° Id secundum quod suppositum vel persona in creatis realiter differt a natura singulari, nominatur *subsistentia* vel *personalitas*. 5° *Esse* in creatis non convenit naturae nisi mediante supposito ; nam suppositum est quod proprie loquendo habet *esse*, et est *id quod est* vel existit. 6° *Esse* igitur est proprius actus suppositi vel personae, ita ut dicatur *esse* Socratis, quia est actualitas Socratis. 7° *Esse* pertinet ad ipsam constitutionem personae, quatenus est actus proprius eius, actus rei subsistentis, quo ipsa res ut subsistens constituitur in ratione termini. 8° *Esse* igitur complet ac terminat substantiam existentem ac illam reddit incommunicabilem ; *esse* enim substantiae est *subsistere*, atque unitas suppositi fundatur in *esse uno*. 9° Nihilominus tamen natura singularis non ideo est *suppositum*, quia connotat *esse ;* sed magis e converso, sc. connotat *esse*, quia constituta est in ratione suppositi ; nam *esse* in creatis non est subsistens, sed inhaerens substantiae, in qua sicut in potentia subiectiva recipitur. *Esse* proprie est rei subsistentis ; proprie et vere non attribuitur nisi rei per se subsistenti. Res itaque quae per se subsistit, est substantia cuius quidditati competit habere *esse* non in alio, sed in se. Unde in creatis, quorum *esse* non est stans, sed inhaerens et receptum, substantia, quae sub suo *esse* stat, sustentat suum proprium *esse*.

Sustentat, inquam, suum *esse ;* sed ad instar quo aër illuminatus suam claritatem, et aqua calefacta suum calorem, praesupposito influxu solis et actione ignis. Solus enim Deus qui, dum producit *esse*, producit *id* quod *esse* recipit, portat omnia, quae sunt, Verbo virtutis suae [1].

[1] I. q. 8. a. 1. ; q. 104. a. 1. — *De nat. angel.* cap. 6. et 7. — *Ad Hebr.* cap. 1.

CAPUT SEPTIMUM

Ex reali compositione esse et essentiae in rebus creatis optime declaratur vera sententia verusque sensus circa naturas universales quae respondent vocibus et conceptibus nostri intellectus.

I

Praenotanda.

Primo : **Momentum quaestionis.** — Quaestionis *de universalibus* naturam ac gravitatem in dubium vocare certe non licet, cum exinde et scientiarum indoles et realitas derivetur, simul atque ad pantheismum, idealismum et ontologismum occludatur via. Damnentur siquidem *de universalibus* inquisitiones nimis subtiles, quarum inutilitatem non absque ratione et mordico sale carpit Melchior Cano [1] ; at veram tamen de natura universalium ideam

[1] Scribit enim sic : « Alterum enim est vitium, quod quidam nimis magnum studium multamque operam in res obscuras atque difficiles conferunt, easdemque non necessarias. Quo in genere multos etiam e nostris peccasse video ; ut eas quoque quaestiones latissime persequerentur, quibus Porphyrius abstinuit, homo impius, sed in hac re prudens tamen, ut Platonis Aristotelisque discipulum possis agnoscere ; qui nec quicquam nisi opportunis et loco et tempore tractavere, nec quaestiones ullas persecuti sunt, quae iuvenum ingenia obruerent, non iuvarent. Nostri autem theologi, importunis vel locis, longa de his oratione disserunt, quae nec iuvenes portare possunt, nec senes ferre. Quis enim ferre possit disputationes illas *de universalibus, de nominum analogia*..... deque aliis huiusmodi sexcentis, quae

efformare per quam maxime oportet, si rectam velimus capere viam inter conceptualismum Nominalistarum et realismum Platonicorum [1]. Realismus equidem in quadam mensura abs dubio complectendus ; a sinistra autem parte etiamque a dextra pariter declinandum. Dantur profecto naturae universales, quae revera respondent vocibus ac conceptibus universalibus nostri intellectus ; verumtamen universalitas ipsa extra mentem non existit, sed actum

ego etiam, cum nec essem ingenio nimis tardo nec his intelligendis parum temporis et diligentiae adhibuissem, animo vel informare non poteram ? Puderet me dicere non intelligere, si ipsi intelligerent, qui haec tractarunt. » (*De Locis Theol.* lib. 9. cap. 7.)

[1] Quantum sit huius quaestionis momentum, ita declarat Cardinalis Gonzalez in opere cui titulus : *Estudios sobre la filosofia de Santo Tomas*, lib. 1. cap. 4. : « Los que no se contenten con un estudio superficial, de las cosas ; los que haya seguido con atencion el desenvolvimiento y enlace de los principales sistemas filosoficos y el origen de esas gran des aberraciones que desfiguran la filosofia de nuestro siglo y del anterior, saben muy bien las intimas relaciones que existen entre la doctrina de *los Universales* y el *Panteismo* é *Idealismo ;* y saben tambien que la resolucion del gran problema de la representacion, problema en que se resume en cierto modo toda la filosofia, depende de las ideas que se adopten sobre la existencia y relaciones de las *naturalezas universales ;* porque aqui se encuentra el punto de partida para establecer la relacion entre los dos elementos del conocimiento y el tránsito de lo subjetivo á lo objetivo. »

Ac infra in cap. 7. ostendit quomodo ad hanc quaestionem de *Universalibus*, si non, ut oportet, recte capiatur, veniunt reducendi, tamquam ad radicem, errores *Pantheismi* simul ac *Materialismi* et *Scepticismi*. Ait enim : « Se presentam tan de bulto las relaciones entre esta teoria de Kant y el *Nominalismo ;* es tal la semejanza, por no decir identidad de los dos sistemas, que creo innecesario detenerme en probar que la doctrina del filósofo aleman sobre el conocimiento, no es más que una fase del sistema de los Nominales ; mejor dicho es el mismo sistema presentado bajo nueva forma ; y que si algo añade al antiguo *Nominalismo*, es una tendencia más explicita y marcada hacia el *Panteismo*...

... Resulta con toda evidencia que el *origen* de los mas perniciosos y absurdos sistemas filosóficos se halla en el problema de los Universales ; y que la solucion más ó ménos acertada de este problema influye inevitablemente en la dirección y marcha del espiritu humano en todas las grandes cuestiones que abarca la filosofia. »

intellectus, formam universalitatis per abstractionem operantis, subsequitur.

SECUNDO : **Universale metaphysicum et universale logicum.** — Sunt etenim duo in universalibus accurate discernenda, quorum alterum per rem ipsam sive naturam constituitur, quatenus a singularibus, in quibus invenitur, per mentem abstrahitur ; alterum vero tunc proprie exsurgit, cum ipsa res vel natura a singularibus per intellectus operationem abstracta, cum ipsis singularibus confertur, ac ut capax multis individuis inesse et de illis praedicari concipitur. Primum est : *Unum abstractum a multis ;* alterum : *Unum aptum inesse multis ac de illis praedicari.* Istud includit necessario illud atque supra illud fundatur, cum nihil aliud addat supra illius rationem nisi collationem quandam cum singularibus de quibus praedicari potest. Primum, *universale metaphysicum ;* alterum vero, *universale logicum* denominatur. Et sicut universalis logici fundamentum habetur ex universali metaphysico, ita metaphysicum universale fundatur supra similitudinem sive convenientiam rerum, quarum essentiae et proprietates et accidentia vel in toto vel in parte inter se assimilantur ac perinde uno seu alio modo ad quandam unitatem identitatemque reducuntur. Unde *universale logicum*, quod mediante *universali metaphysico* in ipsa rerum, de quibus praedicatur, naturâ suam primam radicem quaerit et adinvenit, subdividitur in *genus*, *differentiam*, *speciem*, *proprium* et *accidens*, iuxta diversos modos quibus res ad invicem conveniunt, quibuscumque unum respectu aliorum *praedicabile* concipi potest.

TERTIO : **Universalia ex duobus elementis componuntur, quorum alterum ideale, alterum vero reale est.** — In naturis itaque universalibus quae de aliis, sive secundum genus sive secundum differentiam sive secundum speciem sive secundum proprium aut accidens, praedicantur, semper est accipiendum unum elementum vere reale, videlicet *natura* abstracta per operationem nostri intellectus, quae quidem aliquid reale est, in rebus ipsis existens ; alioquin per viam

Nominalistarum oportet devenire usque ad Idealismum et Scepticismum. Aliud vero elementum, utpote per operationem intellectus superadditum, ideale est, nempe *forma universalitatis*, ratione cuius natura abstracta a singularibus, quae concipitur ut *una*, concipitur praeterea cum aptitudine ad essendum in multis ac de illis velut de inferioribus praedicari ; alioquin per viam Realistarum seu Platonicorum ad Pantheismum usque pervenire opus erit, vel saltem usque ad errorem Platonis ponentis formas rerum sensibilium per se sine materia subsistentes, quas Plato posuit ut posset salvare certam cognitionem veritatis a nobis per intellectum haberi : ut ex professo D. Thomas explanat I. q. 84. a. 1 et 4 [1].

II

Elementum autem reale in naturis universalibus nec facile capitur nec convenienter declaratur, nisi praesupposita reali compositione esse et essentiae in rebus creatis.

Ratio 1ª *Quoniam esse sive actus existentiae non potest praedicari de pluribus.* — Existentia enim est singularium ; singulare autem opponitur universali ; unde si ipsa essentia vel natura rei constitueretur formaliter in ratione naturae vel essentiae per ipsummet actum essendi, nulla prorsus daretur natura universalis ; id est, nihil reale, quod de pluribus univoce praedicaretur, in naturis universalibus adinveniretur. Quod D. Thomas declarat *De Ente et Essentia* cap. 4. dicens : « Si enim *esse in hoc singulari* conveniret homini in quantum est homo, non esset unquam extra hoc singulare ; similiter si conveniret homini, in quantum est homo, *non esse in singulari*, numquam esset in eo. Sed verum est dicere quod

[1] Vide *I. C. Gent.* cap. 25. et 26.

homo, in quantum est homo, non habet quod sit in hoc singulari vel in illo. Patet ergo, quod natura hominis absolute considerata abstrahit a quolibet *esse*, ita quod non fiat praecisio alicuius eorum ; et haec natura sic considerata est quae praedicatur de omnibus individuis. Non tamen potest dici quod ratio universalis conveniat naturae sic acceptae ; quia de ratione universalis est unitas et communitas. Naturae autem humanae neutrum eorum convenit secundum suam absolutam considerationem ; si enim communitas esset de intellectu hominis, tunc in quocumque inveniretur humanitas, inveniretur communitas ; et hoc falsum est, quia in Socrate non invenitur communitas aliqua, sed quidquid est in eo, individuatum est. »

Ratio 2ª *Quoniam naturae rerum, de quibus est scientia, intelliguntur absque eo quod intelligatur rerum existentia.* — Unde D. Thomas, *De Ente et Essentia*, cap. 5. : « Quidquid enim non est de intellectu essentiae vel quidditatis, hoc est adveniens extra et faciens compositionem cum essentia ; quia nulla essentia sine his, quae sunt partes essentiae, intelligi potest. Omnis autem essentia vel quidditas intelligi potest sine hoc quod aliquid intelligatur de *esse suo facto ;* possum enim intelligere *quid est homo* vel *phoenix*, et tamen ignorare an *esse* habeant in rerum natura. Ergo patet, quod *esse* est aliud ab *essentia* vel quidditate. Nisi forte sit aliqua res, cuius quidditas sit suum *esse ;* et haec res non potest esse nisi *Una* et *Prima* [1]. » Et *De natura angel.* cap. 2. : « Universalia sunt essentiae ipsorum particularium. »

Ratio 3ª *Quoniam, absque reali compositione esse et essentiae, naturae universales non praedicarentur univoce de singularibus.* — Quod D. Thomas sic declarat *De Verit.* q. 2. a. 11. : « Impossibile est aliquid univoce praedicari de creatura et Deo ; in omnibus enim univocis communis est ratio nominis utrique eorum de quibus nomen univoce praedicatur ; et sic quantum ad illius nominis rationem univoca in aliquo aequalia sunt, quamvis secundum *esse* unum altero possit esse prius vel posterius ; sicut, in ratione numeri, omnes numeri

[1] *Vide* lib. 1. cap. 10.

sunt aequales, quamvis secundùm nomen rei unus altero prior sit. Creatura autem, quantumcumque imitetur Deum, non potest pertingere ad hoc, ut eadem ratione aliquid sibi conveniat et Deo ; illa enim quae secundum eandem rationem sunt in diversis, sunt eis communia secundum rationem *substantiae* sive *quidditatis*, sed sunt distincta secundum *esse*. Quidquid autem est in Deo, hoc est suum proprium *esse ;* sicut enim *essentia* in eo est idem quod *esse*, ita *scientia* idem est quod *scientem esse* in eo. Unde, cum *esse*, quod est proprium unius rei, non posset alteri communicari, impossibile est quod creatura pertingat ad eandem rationem habendi aliquid quod habet Deus ; sicut impossibile est quod ad *idem esse* perveniat. Similiter etiam in nobis esset ; si enim in Petro non differret *homo* et *hominem esse*, impossibile esset quod *homo* univoce diceretur de Petro et Paulo, quibus est *esse* diversum. »

Ratio 4ª *Quoniam quaecumque sunt in genere substantiae, componuntur reali compositione esse et essentiae.* — Quod ostenditur a D. Thomas pluribus in locis.

a) I. q. 3. a. 5. : « Omnia quae sunt in genere uno, communicant in quidditate vel essentia generis, quod praedicatur de eis in eo *quod quid est ;* differunt autem secundum *esse*. Non enim idem est *esse* hominis et equi, nec huius hominis et illius hominis. Et sic oportet quod, quaecumque sunt in genere, differant in eis *esse* et *quod quid est*, id est, *essentia*. »

b) *De Verit.* q. 27. a. 1. ad 8. : « Omne quod est in genere substantiae, est compositum *reali compositione*, eo quod id quod est in praedicamento substantiae, est in suo *esse* subsistens, et oportet quod *esse* suum sit aliud quam *ipsum ;* alias non posset differre secundum *esse* ab illis cum quibus convenit in ratione suae quidditatis : quod requiritur in omnibus quae sunt directe in praedicamento. Et ideo, omne quod est directe in praedicamento substantiae, compositum est saltem ex *esse* et *quod est*. »

c) *II. Posterior. Analytic.* lect. 6. : « Hoc enim ipsum quod est *esse*, non est substantia vel essentia alicuius rei in genere existentis. Alioquin oporteret quod hoc, quod dico *ens*, esset

genus ; quia genus est quod praedicatur de aliquo in eo *quod quid est*. Ens autem non est genus, ut probatur in *III. Metaph.* Et propter hoc etiam Deus, qui est suum *esse*, non est in genere. »

III

Essentias rerum esse immutabiles, necessarias, indivisibiles et aeternas non explicatur in vero sensu, nisi praesupposita reali compositione esse et essentiae in rebus creatis.

PRIMO : **Declaratur verus sensus.** — Dicuntur enim essentiae rerum *necessariae et immutabiles;* quoniam in elementis essentialibus quibus constant, sic sunt et ita constituuntur, ut aliter esse non possint nec constitui, quin contradictoria exsurgant. Homo, sc. Socrates, quoad propriam naturam, quoad notas essentiales quibus coalescit, minime variari nequit, quin simul sit homo et non sit homo. Esse *animal rationale* ita convenit homini qui est Socrates, ut haec convenientia essentialium notarum veram habeat necessitatem ac immutabilitatem.

Vocantur vero essentiae *indivisibiles;* quia, cum praedicata essentialia sint determinata in numero, pondere et mensura, eorumque convenientia subiecto sit necessario invariabilis, inde rerum essentiae vel naturae nec augeri possunt nec minui, quin statim perimantur. Quapropter dicitur quod formae rerum sunt sicut numeri.

Appellantur denique *aeternae;* quoniam essentiae rerum creatarum ex se abstrahunt a loco et praescindunt a tempore. Unde rerum essentiae ex proprio suo conceptu nullam necessariam relationem dicunt ad durationem in proprio suo existere.

SECUNDO : **Quonam sensu verum sit quod essentiae**

rerum sint aeternae. — Ita declaratur a D. Thoma : *a*) *De Pot.* q. 5. a. 9. ad 16. : « *Universale* tripliciter considerari potest, et secundum quemlibet modum considerationis aliquo modo verum est, quod *universale est semper*. Potest enim uno modo considerari natura universalis secundum quod abstrahit a quolibet *esse;* et sic verum est quod *universale est semper*, magis per remotionem causae determinantis ad aliquod tempus quam per positionem causae perpetuitatis ; de ratione enim naturae universalis non est quod sit magis hoc tempore quam illo ; per quem etiam modum materia prima dicitur esse *una*. Alio modo potest considerari secundum *esse* quod habet in singularibus ; et sic verum est quod *est semper*, quia est quandocumque est suum singulare ; sicut etiam dicitur *esse ubique*, quia est ubicumque est suum singulare, cum tamen multa loca sint ubi sua singularia non sunt ; unde nec ibi est universale. Tertio modo potest considerari secundum *esse* quod habet in intellectu ; et sic etiam verum est, quod *universale est semper*, praecipue in intellectu divino. »

b) I. q. 16. a. 7. ad 2. : « Aliquid esse semper et ubique, potest intelligi dupliciter : Uno modo, quia habet in se unde se extendat ad omne tempus et ad omnem locum ; sicut Deo competit esse ubique et semper. Alio modo, quia non habet in se quo determinetur ad aliquem locum et tempus ; sicut materia prima dicitur esse *una*, non quia habeat unam formam, sicut homo est unus ab unitate unius formae, sed per remotionem omnium formarum distinguentium. Et per hunc modum quodlibet universale dicitur esse ubique et semper, in quantum universalia abstrahunt ab hic et nunc. Sed ex hoc non sequitur ea esse aeterna, nisi in intellectu, si quis sit aeternus. »

c) I. q. 46. a. 2. : « *Mundum non semper fuisse*, sola fide tenetur et demonstrative probari non potest, sicut et supra de mysterio Trinitatis dictum est q. 32. a. 1. Et huius ratio est, quia novitas mundi non potest demonstrationem recipere ex parte ipsius mundi. Demonstrationis enim principium est *quod quid est*. Unumquodque autem secundum rationem suae speciei abstrahit ab *hic* et *nunc;* propter quod dicitur,

quod *universalia sunt ubique et semper*. Unde demonstrari non potest quod homo aut coelum aut lapis non semper fuit [1]. »

TERTIO : **Omnes res creatae sunt necessariae et immutabiles quoad essentiam, contingentes vero et mutabiles quoad existentiam.** — Ratio etenim cur essentia creata potest desinere esse, est quia realiter distinguitur ab existentia ; sicut ratio cur existentia nequit habere realitatem ex se subsistentem, est quia distinguitur realiter ab essentia substantiali, in qua recipitur et cuius est actus inhaerens. Sicque, proprie loquendo, nec essentia nec existentia amittunt propriam realitatem, sed res composita ex utraque ; quemadmodum nec essentia nec existentia proprie creantur, sed creatur res quae realiter componitur ex *esse* et ex *eo quod est*. Itaque necessitas, immutabilitas et aeternitas negativa quoad essentiam sunt attributa rerum creatarum ; at necessitas, immutabilitas et aeternitas positiva quoad existentiam sunt attributa solius Dei, quia solius Dei substantia seu essentia est ipsum suum *esse*. Unde D. Thomas, *De Verit.* q. 3. a. 1. ad 8. : « Sicut Deus, quia non potest non esse, non indiget essentia quae sit aliud quam suum *esse*, ita, quia non potest deficere in cognoscendo et operando, non indiget alia regula a seipso ; sed propter hoc non potest deficere, quia ipse est suiipsius regula, sicut propter hoc non potest non esse, quia sua essentia est suum *esse*. » Et I. q. 46. a. 2. ad 5. : « Etsi mundus semper fuisset, non tamen parificaretur Deo in aeternitate ; quia esse divinum est esse totum simul absque successione. Non autem sic est de mundo. »

Ad rem Liberatore : « Licet res creatae sint contingentes et mutabiles quoad *existentiam*, tamen sunt necessariae et immutabiles quoad *essentiam*. In hoc enim non pendent a voluntate, sed ab intellectu divino, ut in Metaphysica demonstrabitur... Universalia vero exprimunt solas quidditates seu essentias rerum, praescindendo ab exercitio actualis existentiae [2].)

[1] *Vide etiam* I. q. 10. a. 3. ad. 3.

[2] *Inst. Phil. Logicae pars* 2. cap. 4. a. 3. Solvuntur obiectiones. — Vide etiam D. Thomam in *Lib. Boëtii, De Trinitate*, q. 5. a. 2.

CAPUT OCTAVUM

Argumenta quibus Suarez conatur ostendere nullam dari realem compositionem inter essentiam et existentiam in rebus creatis ; immo, talem compositionem seu realem distinctionem esse superfluam ac plane impossibilem.

I

Praenotanda.

PRIMO : Quamvis enim Suarez nec primus fuit nec postremus qui realem compositionem inter essentiam et existentiam in creatis reiecerit ac impugnaverit, tamen velut princeps omnium haberi potest, quatenus hanc materiam in suis *Disputationibus Metaphysicis* accuratius, diligentius et abundantius ex professo pertractavit. Quaecumque circa huiusmodi quaestionem ab his, qui Suarezium praecesserunt, dicta fuere, ac quaecumque post Suarezium qui ipsum tamquam magistrum et ducem sunt secuti, in medium protulerunt : omnia abs dubio in eius *Disputatione* 31. continentur congregata atque ex thesauro Suarezii videntur esse deprompta. Istam ergo Disputationem Metaphysicam Suarezii ad examen oportet vocare.

SECUNDO : Suarez fatetur quidem, quod : 1° « Ad declarandam rationem entis creati ut sic et proprietates eius, a comparatione essentiae et *esse* initium sumimus. Radix vero omnium, quae ad intelligentiam entis creati necessaria sunt, est *quomodo esse et essentia distinguantur.* » 2° « Existentiam esse rem quandam distinctam omnino realiter ab entitate essentiae creaturae : haec existimatur esse opinio D. Thomae,

quam in hoc sensu secuti sunt fere omnes antiqui Thomistae. Loca D. Thomae praecipua sunt : I. q. 3. a. 4 ; *II. C. Gent.* cap. 52. ; *De Ente et Essentia*, cap. 5. ; *IV. Metaph.* lect. 2. »

Attamen, ipse Suarez affirmat : 1° « Essentiam et existentiam creaturae, cum proportione comparata, non distingui realiter. » 2° « Et hanc sententiam sic explicatam, ut comparatio fiat inter actualem existentiam, quam vocant esse in actu exercito, et actualem essentiam existentem, existimet esse omnino veram. » 3° « Huiusmodi entitatem existentiae, dicto modo distinctam, non solum superfluam esse, sed plane impossibilem. » Haec Suarez, *Disp.* 31. sect. 1. et sect. 6.

Tertio : Duo itaque inspicere oportet, videlicet : 1° Quomodo Suarez ostendat esse veram suam sententiam, et omnino veram ; et sententiam D. Thomae « non solum superfluam, sed plane impossibilem. » 2° Quomodo Suarez ostendat notam characteristicam, qua Deus differt a creaturis, et creaturae discernuntur a Deo ; ac perinde, fundamentum scientificum et vere philosophicum ad primam divisionem entis realis in *Ens per essentiam* et in *Ens per participationem.*

De primo quidem in hoc capite ; de altero autem, in capite subsequenti est nobis agendum.

II

Argumentum primum atque eius solutio.

Argumentum Suarezii. — *Disput.* 31. sect. 4. : « Illud *esse*, quo *essentia* creaturae formaliter constituitur in actualitate essentiae, praecise sumptum, satis est ad veritatem huius locutionis de secundo adiacente : *Essentia est.* Ergo illud *esse* est vera existentia. »

« *Consequentia* est clara. Nam, iuxta communem signifi-

cationem et conceptionem hominum, *est* de secundo adiacente non absolvitur a tempore, sed significat : *actu esse in rerum natura.* Quod omnes intelligimus nomine existentiae, seu per *esse* existentiae. »

« *Antecedens* probatur. Per hoc *esse* essentiae actualis formaliter ac praecise sumptum talis essentia est *ens in actu*, et distinguitur ab *ente in potentia.* Ergo vi illius *esse* talis essentia est. Recte enim infertur : *Est ens in actu; ergo est;* quia esse ens actu non diminuit rationem entis, quam includit verbum *est.* » Haec Suarez.

Doctrina D. Thomae circa notionem entis. — *Quodl.* 2. a. 3. : « Dupliciter aliquid de aliquo praedicatur : uno modo, *essentialiter;* alio modo, *participative.* Lux enim praedicatur de corpore illuminato, *participative;* sed si esset aliqua lux separata, praedicaretur de ea *essentialiter.* Secundum ergo hoc dicendum est, quod *ens* praedicatur de solo Deo *essentialiter*, eo quod *esse* divinum est *esse* subsistens et absolutum. De qualibet autem creatura praedicatur per *participationem;* nulla enim creatura est suum *esse*... Quandocumque autem aliquid praedicatur de altero per participationem, oportet ibi aliquid esse praeter *id* quod participatur ; et ideo, in qualibet creatura est aliud ipsa creatura quae habet *esse*, et ipsum *esse* eius. Et hoc est quod Boëtius dicit in libro *De Hebdomad.* quod in omni eo, quod est citra Primum, aliud est *esse* et *quod est.*

Sed sciendum est quod aliquid participatur dupliciter : Uno modo, quasi existens de substantia participantis, sicut genus participatur a specie. Hoc autem modo *esse* non participatur a creatura ; id enim est de substantia rei, quod cadit in eius definitione. *Ens* autem non ponitur in definitione creaturae ; quia nec est genus nec differentia. Unde participatur sicut aliquid non existens de essentia rei... Sed verum est quod hoc nomen *ens*, secundum quod importat *rem* cui competit huiusmodi *esse*, sic significat *essentiam* rei, et dividitur per decem genera ; non tamen univoce, quia non eadem ratione competit omnibus *esse;* sed substantiae quidem per se, aliis autem aliter. Sic ergo in angelis est compo-

sitio *ex essentia* et *esse;* non tamen est compositio sicut ex partibus substantiae, sed sicut ex substantia et eo quod adhaeret substantiae.

Aliquando ex his quae simul iunguntur, relinquitur aliqua res tertia, sicuti ex anima et corpore constituitur humanitas ; unde homo componitur ex anima et corpore. Aliquando autem ex his quae simul iunguntur, non resultat res tertia, sed quaedam ratio composita ; sicut ratio hominis albi resolvitur in rationem hominis et in rationem albi ; et in talibus aliquid componitur ex seipso et alio, sicut *album* componitur ex eo quod est album et ex albedine.

Esse est accidens, non quasi per accidens se habens, sed quasi actualitas cuiuslibet substantiae ; unde ipse Deus, qui est sua actualitas, est suum *esse.* »

Corollaria. — 1^{um} *Ens* igitur importat in sua significatione duo, nempe : *a*) *esse*, quod est actualitas cuiuslibet substantiae et cuiuslibet rei ; *b*) ipsam substantiam vel naturam rei, cui competit huiusmodi *esse.*

2^{um} *Ens* primo modo sumptum praedicatur de solo Deo essentialiter ; de omnibus autem aliis, per participationem. *Ens* autem secundo modo sumptum praedicatur essentialiter de omnibus.

3^{um} Solus Deus, qui est sua actualitas, est suum *esse;* et *esse* subsistens est natura vel substantia Dei. In omnibus autem aliis oportet *aliquid* esse praeter *id* quod participatur. Unde :

4^{um} In omnibus aliis est compositio ex essentia et *esse*, non sicut ex partibus substantiae, sed sicut ex substantia et eo quod adhaeret substantiae.

5^{um} Ex his duobus, videlicet *esse* et *essentia* rei cui competit huiusmodi *esse*, resultat non aliqua res tertia, sed ratio entis completa ; ratio entis in actu ; ratio entis realis existentis. Atque, sicut album componitur ex eo quod est album et ex albedine, ita in omnibus substantiis creatis seu rebus subsistentibus *ratio entis in actu* componitur ex eo quod est actu et ex ipsa actualitate, ex substantia et eo quod adhaeret substantiae, ex ipsa creatura quae participat *esse*

atque ex ipso *esse* participato. Unde ipse D. Thomas, *II. C. Gent.* cap. 53. ait : « In quocumque enim inveniuntur *aliqua duo*, quorum unum est complementum alterius, proportio unius ad alterum est sicut proportio potentiae ad actum ; nihil enim completur nisi per proprium actum. In substantia autem intellectuali creata inveniuntur *duo*, sc. *substantia ipsa* et *esse* eius quod non est ipsa substantia, ut ostensum est cap. 52. ; ipsum autem *esse* est complementum substantiae existentis ; unumquodque enim actu est per hoc quod *esse* habet. »

Responsio ad argumentum Suarezii. — Illud *esse* quod satis est ad veritatem locutionis : *Essentia est*, est solum *esse* existentiae. Distinguere oportet : Si illud *esse* est *subsistens* et *absolutum*, conceditur ; at hoc modo solus Deus est, cuius substantia vel essentia est suum *esse*. Si autem illud *esse* est *inhaerens* ac *participatum*, negatur ; quia tunc *esse* existentiae indiget subiecto cui adhaereat et in quo recipiatur, sicut participatum in participante.

Ergo ad veritatem huius locutionis : *Essentia est*, loquendo de rebus creatis, requiruntur *duo*, quorum unum non est aliud, nempe *id quod est* et *esse ; substantia* et *actualitas eius ; essentia* participans *esse* et *esse* participatum ; *natura* rei cui competit *esse*, et *esse* quod est complementum naturae existentis. Haec duo sunt necessaria ad rationem entis realis subsistentis, cuius proprium est existere ; sicut ad *rationem albi realis* requiruntur duo, nempe *id* quod est album, et *albedo* adhaerens subiecto ; sicut ad *rationem sapientis* requiruntur similiter duo, videlicet *id* quod est sapiens, et *sapientia* a sapiente participata.

Unde *essentia* et *esse* minime sunt partes componentes substantiam ; nam compositio ex essentia et *esse* non est compositio sicut ex partibus substantiae, sed sicut ex substantia et eo quod adhaeret substantiae.

Est itaque ista compositio in linea entis perfecti et completi ; et in talibus *ens* componitur ex eo quod est et *esse ;* sicut *album* componitur ex eo quod est album et ex albedine ; sicut *lucidum* componitur ex eo quod est lucidum et ex luce ;

sicut *sapiens* componitur ex eo quod est sapiens et ex sapientia. Proprie loquendo, *esse* est actus suppositi et pertinet ad ipsam constitutionem personae [1].

III

Argumentum secundum atque eiusdem solutio.

Argumentum Suarezii. — *Disput.* 31. sect. 4. Suarez arguit sic : « Ex propria ratione existentiae. Nam *esse* existentiae nihil aliud est quam illud *esse*, quo formaliter et immediate entitas aliqua constituitur extra causas suas, et desinit esse nihil ac incipit esse aliquid. Sed huiusmodi est hoc *esse*, quo formaliter et immediate constuitur res in actualitate essentiae. Ergo *esse* essentiae est verum *esse* existentiae.

Maior videtur esse per se nota : 1° ex ipsius termini significatione et communi omnium conceptione ; 2° ex immediata et formali oppositione inter ens actu et ens in potentia ; nam ens actu idem est quod existens ; alioquin dari posset medium inter ens possibile et ens existens...

Minor autem propositio... fere est per se nota ex terminis ; quia per illud *esse* est aliquid in actu. Est etiam demonstrata ex principiis positis ; quia ostensum est, per hoc *esse* formaliter constitui essentiam extra possibilitatem, quam ab aeterno habebat nostro modo concipiendi ; nam educi sic dicam a possibilitate et extra causas constitui, idem sunt. »

Doctrina D. Thomae circa constitutionem entis. — *a*) *Quodl.* 3. a. 1. : « Cum autem Deus sit ipsum *Esse* subsistens, manifestum est quod *natura essendi* convenit Deo infinite, absque omni limitatione et contractione. Unde eius virtus activa se extendit infinite ad totum ens et ad omne id quod

[1] III. q. 17. a. 2. ; q. 19. a. 1. ad. 4. ; q. 35. a. 1.

potest habere rationem entis... Omne enim quod est actu, vel est *ipse actus* vel est *potentia* participans *actum.* »

b) *Quodl.* 3. a. 20. : « Omnis enim substantia creata est composita ex potentia et actu. Manifestum est enim quod solus Deus est suum *esse*, quasi essentialiter existens, in quantum sc. suum *esse* est eius substantia, quod de nullo alio dici potest ; *esse* enim *subsistens* non potest esse nisi unum, sicut nec albedo subsistens non potest esse nisi una. Oportet ergo, quod quaelibet alia res sit *ens participative*, ita quod aliud sit in eo *substantia* participans *esse*, et aliud ipsum *esse* participatum. Omne autem participans se habet ad participatum sicut potentia ad actum. Unde substantia cuiuslibet rei creatae se habet ad suum *esse* sicut potentia ad actum. Sic ergo omnis substantia creata est composita ex potentia et actu, id est, ex *eo quod est* et *esse ;* sicut *album* componitur ex *eo* quod est *album* et *albedine.* »

c) *Quodl.* 22. a. 5. : « Primus autem actus est *esse* subsistens per se. Unde completionem unumquodque recipit per hoc quod participat *esse.* Unde *esse* est complementum omnis formae ; quia per hoc completur, quod habet *esse ;* et habet *esse*, cum est actu ; et sic nulla forma est nisi per *esse.* Et sic dico, quod *esse* substantiale rei non est accidens, sed actualitas cuiuslibet formae existentis, sive sine materia sive cum materia... *Esse* est complementum omnium... *Accidens* dicitur large omne quod non est pars essentiae, et sic est *esse* in rebus creatis ; quia in solo Deo *esse* est eius *essentia.* »

d) *De angelor. natura*, cap. 6. : « Nihil autem per se subsistens, quod sit ipsum *esse*, poterit esse nisi unum solum ; sicut nec aliqua forma, si separata consideretur, potest esse nisi una. Sicut igitur est una secundum considerationem, dum per se consideratur, ita est una secundum *esse*, si per se subsisteret vel existeret. Eademque ratio est de genere per comparationem ad species, quousque perveniatur ad *ipsum esse* quod est communissimum. Ipsum igitur *esse* per se subsistens est unum tantum. Impossibile est igitur, quod praeter ipsum sit aliquid subsistens quod sit *esse* tantum. Omne autem quod est, *esse* habet. Est igitur in quocumque,

praeter Primum, et ipsum *esse* tamquam actus ; et *substantia* rei habens *esse*, tamquam rei potentia receptiva huius actus quod est *esse*... Potest autem quis dicere : *Id quod participat esse, secundum se, carens est illo ; sicut superficies*, quae nata est participare colorem, secundum se considerata, est *non color* et *non colorata*. Similiter igitur id quod participat *esse*, oportet esse *non ens*. Quod autem est in potentia eius, est participativum ipsius ; non autem secundum se est *ens*. ... Si igitur per hoc, quod dico *non ens*, removeatur solum *esse in actu*, ipsa forma, secundum se considerata, est *non ens*, sed *esse* participans. Si autem *non ens* removeat non solum *esse in actu*, sed etiam actum seu formam per quam aliquid participat *esse*, sic materia est *non ens*, forma vero subsistens non est *non ens*, sed est actus quae est forma participativa ultimi actus, qui est *esse*. »

e) *III. C. Gent.* cap. 65. : « *Esse* autem non est natura vel essentia alicuius rei creatae, sed solius Dei. »

Corollaria. — 1^um^ *Esse* est essentia solius Dei, cui competit infinite *natura essendi ;* et quodcumque ens creatum participat, ut ita dixerim, *naturam essendi ;* quia solus Deus est suum *esse* [1].

2^um^ *Natura essendi* in omnibus, praeter unum quod est Deus, componitur ex duobus principiis, videlicet ex substantia ipsa quae participat *esse*, atque ex *esse* quod est actus substantiae existentis ac perinde complementum eius in linea entis.

3^um^ In omnibus itaque quae sunt actu, praeter Primum quod est *esse* tantum, reperiuntur duo, videlicet : *a*) ipsum *esse* tamquam actus, et *substantia* rei habens *esse* tamquam potentia receptiva huius actus quod est *esse*.

4^um^ *Esse* dicitur *accidens*, quatenus nec est essentia alicuius rei creatae, nec pars essentiae ; attamen non est accidens, quia cum sit actualitas cuiuslibet substantiae creatae, est esse substantiale rei existentis.

5^um^ Inter purum nihilum aut mera potentia rei, et ulti-

[1] I. q. 45. a. 5. ad. 1.

mum actum rei qui est *esse*, reperitur medium reale ac entitativum, nempe : potentia receptiva huius actus quod est *esse*, seu forma participativa ipsius *esse* quod est actus ultimus. Ac licet non detur medium inter *ens possibile* et *ens existens*, datur medium inter *ens possibile* et *esse* quod est actus entis existentis.

Responsio ad argumentum Suarezii. — « *Esse existentiae est quo formaliter et immediate entitas aliqua constituitur extra causas suas, et desinit esse nihil, ac incipit esse aliquid* » : ut actus receptus in potentia reali essentiae, ut inhaerens substantiae rei, ut actus ultimus formae participativae ipsius *esse*, ut complementum ipsius substantiae existentis : *Concedo*. Ut actus irreceptus, ut actus subsistens sine subiecto : *Nego*. Etenim *esse subsistens* non potest esse nisi unum, videlicet Deus, qui non habet causam nec incipit esse, et est *Esse* tantum, cui convenit *natura essendi* infinite absque omni limitatione et contractione.

« *Huiusmodi esse est quo formaliter constituitur res in actualitate essentiae* » : tamquam per actum substantiae quae est potentia participans ipsum *esse* quod est actus ultimus : *Concedo*. Tamquam per actum qui in ipsa essentia veluti in potentia receptiva non recipiatur, et ipsam substantiam rei existentis non compleat ac perficiat : *Nego*.

Et negatur deinde consequens et consequentia. Omne enim quod est actu, vel est ipse actus vel est potentia participans actum. Et omne participans se habet ad participatum sicut potentia ad actum.

IV

Argumentum tertium ac eius solutio.

Argumentum Suarezii. — *Disput.* 31. sect. 5. : « Secundum rem idem est : *hominem esse*, et *hominem esse hominem*, si in utraque propositione *esse* dicat actum, et non solum aptitu-

dinem aut veritatem propositionis. Et similiter reipsa idem est : *hominem esse hominem*, et *esse animal rationale;* quia omnia in re idem sunt. Quapropter ab eadem actualitate et ab eadem re haec omnia praedicata sumuntur, sive illa res vocetur *essentia actualis* sive *esse actuale* eius ; solumque per rationis praecisiones et compositiones haec omnia distinguuntur. Non est ergo in una re nisi *unum esse* quo constituitur ens actu ; et illud ipsum est *esse* existentiae. »

Brevius : « *Ens actu* formaliter idem est quod *existens*. Certum tamen est, *existens ut sic* per *solam existentiam* formaliter constitui ; et in hoc genere quasi formalis causae ab ea sola pendere. Secundum rem idem est : *hominem esse*, et *hominem esse hominem*, si in utraque propositione *esse* dicat actum. »

Doctrina Aristotelis. — *II. Poster. Analytic. :* « Id autem *quod quid est* homo, et *esse hominem*, aliud est... Τὸ *esse* non est *substantia* ulli rei ; non enim genus est *ens*. »

Doctrina Cardinalis Caietani. — In suis ergo *Comment. in Poster. Analytic.* Aristotelis, cap. 6. ait : « In hoc loco expresse Aristoteles dicit quod *esse* non est ipsa essentia rei : quod est maximum fundamentum doctrinae S. Thomae. »

Doctrina D. Thomae. — *II. Poster. Analyt.* lect. 6. : « *Sed aliud est quod quid est homo, et esse hominem.* In solo enim Primo essendi Principio, quod est essentialiter ens, ipsum *esse* et *quidditas* eius est unum et idem ; in omnibus autem aliis, quae sunt entia per participationem, oportet quod sit aliud *esse* et *quidditas* entis. Non est ergo possibile quod eadem demonstratione demonstret aliquis *quid est* et *quia est*. Secundum commune sapientum dictum, necessarium est quod omne, id est, primum totum quod per demonstrationem demonstratur, sit ipsum *quia est;* nisi forte aliquis dicat quod hoc ipsum *quia est*, sit *substantia* alicuius rei. Hoc autem est impossibile. Hoc enim ipsum, quod est *esse*, non est substantia vel essentia alicuius rei in genere existentis. Alioquin oporteret quod hoc, quod dico *ens*, esset

genus ; quia genus est quod praedicatur de aliquo in eo *quod quid est*. Ens autem non est genus, ut probatur *III. Metaph.* Et propter hoc etiam Deus, qui est suum *esse*, non est in genere. »

IV. Metaph. lect. 1. : « *Esse* enim rei, quamvis sit aliud ab eius *essentia*, non tamen est intelligendum quod sit aliquid superadditum ad modum accidentis, sed quasi constituitur per principia essentiae. Et ideo hoc nomen *ens*, quod imponitur ab ipso *esse*, significat idem cum *homine* quod imponitur ab ipsa essentia. »

V. Metaph. lect. 7. : « *Esse* vero, quod in sui natura unaquaeque res habet, est substantiale... *Ens* et *esse* significant aliquid dicibile vel effabile in potentia, vel dicibile in actu. In omnibus enim praedictis terminis, quae significant decem praedicamenta, aliquid dicitur actu et aliquid in potentia. Et ex hoc accidit, quod unumquodque praedicamentum per *actum* et *potentiam* dividitur. »

Quodl. 2. a. 3. : « *Esse* non participatur a creatura, (quasi existens de substantia participantis) ; id enim est de substantia rei, quod cadit in eius definitione. *Ens* autem non ponitur in definitione creaturae, quia nec est genus nec differentia ; unde participatur sicut aliquid non existens de essentia rei ; et ideo alia quaestio est : *an est*, et *quid est*. Unde, cum omne quod est praeter essentiam rei, dicatur accidens, *esse* quod pertinet ad quaestionem *an est*, est accidens. Et ideo Commentator dicit *V. Metaph.* quod ista propositio : *Socrates est*, est de accidentali praedicato secundum quod importat entitatem rei vel veritatem propositionis. Sed verum est, quod hoc nomen *ens*, secundum quod importat rem cui competit huiusmodi *esse*, sic significat essentiam rei. »

Quodl. 9. a. 6. : « Invenimus in angelo et *substantiam* sive *quidditatem* eius quae subsistit, et *esse* quo subsistit, quo sc. actu essendi dicitur esse, sicut actu currendi dicimur currere... *Esse* non est actus qui sit pars essentiae, sicut forma ; ipsa quidditas angeli vel substantia est per se subsistens. »

Quodl. 10. a. 4. ad 4. : « *Esse* creatum non est per se stans ; quia est aliud a *substantia* entis creati. »

Quodl. 9. a. 3. : « *Esse* dicitur actus entis, in quantum est ens ; id est, quo denominatur aliquid ens actu in rerum natura ; et sic *esse* non attribuitur nisi rebus ipsis quae in decem generibus continentur... *Esse* ergo proprie et vere non attribuitur nisi rei per se subsistenti... *Esse* est id in quo fundatur unitas suppositi. »

Corollaria. — 1^{um} Ergo *hominem esse*, et *hominem esse hominem*, non sunt idem (secundum rem, sed aliud et aliud.) Aliud namque significatur cum dicitur : *Socrates est*, et aliud cum dicitur : *Socrates est homo seu aminal rationale*. Et alio modo convenit Socrati actus existentiae, et alio humanitas seu essentia hominis.

2^{um} Ergo dicere quod idem secundum rem sunt *hominem esse*, et *hominem esse hominem*, est confundere quaestionem *an est* cum quaestione *quid est ;* et confundere praedicata realia quidditativa quae pertinent ad essentiam rei, cum praedicatis quae nec sunt essentia rei nec pars essentiae.

3^{um} Est confundere substantiam entis creati cum actu existendi qui inhaeret ipsi substantiae tamquam subiecto ; et idcirco est asserere, quod *esse* creatum est per se stans seu per se subsistens. Et esse subsistens non potest esse nisi unum.

4^{um} Est negare omne ens creatum subsistens constare actu et potentia in linea entis ; et est ponere *ens* in definitione creaturae, et *esse* proinde participari a creatura quasi existens de substantia participantis.

5^{um} Est ponere quod in re eodem modo convenit homini, v. g. Socrati, *existere* et habere *humanam essentiam*, *esse* et esse animal rationale.

Responsio ad argumentum Suarezii. — *Ens actu* idem est quod *existens :* Conceditur. *Existens ut sic* per solam existentiam constituitur : Negatur. Etenim solus Deus, cuius substantia est *esse*, per solam existentiam constituitur existens ; imo, ipse est sua existentia. Ergo secundum rem idem est *hominem esse*, et *hominem esse hominem:* Negatur consequens et consequentia. Nam in solo Deo, cuius essentia

est *esse*, verificatur quod secundum rem idem est : *Deum esse*, et *Deum esse Deum ; Deum esse*, et *Deum esse sapientem ;* et sic de aliis. In utraque igitur propositione *esse* dicit aliquid actuale ; sed in hac : *homo est*, dicit quid actuale, quia actus est ; et in hac : *homo est homo* seu *animal rationale*, dicit quid actuale, quia informatur actu. Et potest considerari ut *actus* respectu potentiae obiectivae ; tamen est vera potentia realis et subiectiva respectu existentiae ; nam *esse* comparatur ad omnia ut actus ad potentiam.

Unde, quamvis verum sit quod in una re perfecta ac completa in ratione entis realis et subsistentis non reperiatur nisi *unum esse*, et hoc *esse* sit actus existentiae : attamen non est verum quod talis res constituatur ens in actu solo *esse* existentiae ; quia huiusmodi *esse* non est per se stans, sed est adhaerens substantiae, a qua participatur et in qua recipitur tamquam in proprio subiecto.

De ratione enim entis creati, sicut est *esse causatum*, sic est *esse compositum* reali compositione habentis et habiti, participantis et participati, essentiae et esse, substantiae quae est potentia essendi, et *esse* quod est complementum substantiae existentis [1].

Unde D. Thomas passim ubique exprimit haec duo elementa realia, ex quibus omne ens creatum constituitur in ratione entis. *De Pot.* q. 3. a. 1. ad 17. : « Deus, simul dans *esse*, producit *id* quod *esse* recipit. » Ac ibid. a. 5. ad 2. : « Ex hoc ipso, quod *quidditati esse* attribuitur, non solum *esse*, sed ipsa *quidditas* creari dicitur. » Et *De Verit.* q. 21. a. 5. ad 5. : « Creatura non solum est a Deo secundum *essentiam suam*, sed secundum *esse* suum, in quo praecipue consistit ratio bonitatis substantialis ; et secundum perfectiones superadditas, in quibus consistit bonitas absoluta ; et haec non sunt essentia rei. »

Et sic habentur in re creata omnia effecta a Deo : *essentia* et *esse ;* non solum *esse*, sed ipsa *quidditas ; esse* et *id* quod *esse* recipit.

[1] *De Pot.* q. 7. a. 2. et 4.

CAPUT NONUM

Quomodo Suarez ostendat notas quibus Deus differt a creatis, et creaturae discernuntur a Deo.

I

Prima nota : Omne ens creatum includit aliquam compositionem.

§ 1.

Doctrina Suarezii.

Disput. 31. sect. 13. ita ostendit Suarez primam notam qua Deus et creaturae ab invicem differunt, quia videlicet in omni ente creato, prout in re ipsa existit, invenitur et compositio rationis et compositio realis.

Compositio rationis : « Dicendum ergo est, de ratione entis creati in re ipsa existentis esse aliquam compositionem rationis, seu potius fundamentum eius ; hoc enim modo compositio ex *esse* et *essentia* est de ratione entis creati. Hoc autem fundamentum non est aliud, nisi quia creatura non habet ex se actu existere, sed tantum est ens potentiale, quod ab alio potest *esse* participare ; nam hinc fit, ut essentia creaturae concipiatur a nobis ut *potentiale quid; esse* vero, ut modus seu actus quo talis essentia *ens in actu* constituitur. Atque in hoc sensu optime intelligitur, quod haec compositio sit de essentia entis creati ; nam de essentia eius est non habere *esse* ex se, sed solum posse participare illud ab alio. Haec compositio Deo attribui non potest ; nam fundamentum eius includit imperfectionem repugnantem Deo, qui est ens actu per essentiam ; et neque est neque concipi

potest ut *ens potentiale*, quia ipsa potentialis essentia Deo, ut Deus est, repugnat. »

Compositio realis : « Rursus, dicendum est nullum esse ens creatum quod, prout re ipsa existit, non includat compositionem aliquam realem ; ex natura rei loquendo, eam vero compositionem non esse ex *esse* et *essentia*, sed ex aliis rebus aut modis realibus. » Nempe, compositionem « ex natura et supposito » et « ex subiecto et accidente .» « Ex his ergo satis constat in omni ente creato, prout in re ipsa existit, inveniri compositionem realem, quae *non fundatur in distinctione esse ab essentia*, sed fundatur in aliis distinctionibus rei existentis ab aliquo modo suo vel aliquo accidente : quae distinctio oritur quidem ex limitatione entis creati ; a nobis autem cognoscitur ex separatione vel mutatione, quae esse potest inter rem vel talem modum. Haec autem distinctio locum non habet inter *esse* et essentiam actualem, ut ostensum est ; et ideo non est eadem ratio de hac et de aliis compositionibus ex natura et supposito, et similibus. »

§ 2.

Doctrina D. Thomae.

Thesis 1. Absque reali compositione esse et essentiae nulla dari potest realis compositio ex natura et supposito, nec ex subiecto et accidente. — *Ratio* 1ª. — Realis enim compositio *esse* et *essentiae* est compositio actus et potentiae in ipsa linea entis. Dari autem actum et potentiam realem in linea entis est resolvere omnem rem subsistentem in duo elementa, quorum unum est complementum alterius, sc. : *id quod est* et *esse*. Si ergo non praesupponatur vel non detur realis compositio *esse* et essentiae, vel *ex eo quod est* et *esse*, omnis res subsistens est suum *esse*, et substantia omnium rerum est *esse*. Omne igitur quod est, erit *actus purus*.

Ratio 2ª. — Ideo enim Deum esse omnino simplicem demonstratur, et a Deo omnem compositionem naturae et suppositi, subiecti et accidentis, generis et differentiae oportet prorsus removere ; quia videlicet in Deo non datur

realis compositio *esse* et essentiae, sed in Deo sunt idem essentia et *esse* : ut aperte patet I. q. 3. *de simplicitate Dei*. Sublata igitur reali compositione *esse* et essentiae, omne prorsus compositionis genus, tam realis quam rationis, e medio totaliter aufertur.

Ratio 3ª. — Ex dictis ac ostensis supra cap. 3. absque reali compositione essentiae et *esse* nullum datur ens contingens, nec finitum, nec causatum, nec per participationem, nec quocumque compositionis genere compositum.

Thesis 2. Absque reali compositione esse et essentiae nulla potest dari compositio rationis cum fundamento in re. — *Ratio* 1ª. — Omnis quidem compositio rationis cum fundamento in re, praesupponit in ipsa re aliquod reale fundamentum. Reale autem fundamentum, etiam compositionis rationis, est aliqua alia realis compositio anterior et ordine naturae prior. Unde cum nulla alia reperiatur prior compositio in re quam ipsa compositio in linea entis ex essentia et actu essendi, vel huiusmodi compositio est realis, vel erit compositio rationis absque fundamento in re. Ac perinde omnis creatura, utpote habens essentiam realiter identificatam cum actu essendi, erit actus purus in linea essendi ; et vere dici poterit de creatura quod de Deo dicitur : *substantia creaturae est esse.*

Ratio 2ª. — Fundamentum reale ad compositionem rationis ex *esse* et essentia, tamquam de conceptu necessario entis creati, « non est aliud (inquit Suarez) nisi quia creatura non habet ex se actu existere, sed tantum est ens potentiale quod ab alio potest *esse* participare ». Sed de ratione entis participantis *esse* ab alio, est quod sit realiter compositum ex duobus, nempe ex *eo quod est* et *esse*, ex *subiecto* participante *esse* atque ex ipso *esse* participato. Unde D. Thomas, *Quodl.* 2. a. 3. : « Quandocumque autem aliquid praedicatur de altero per participationem, oportet ibi *aliquid* esse praeter *id* quod participatur ; et ideo in qualibet creatura est aliud ipsa creatura quae habet *esse*, et ipsum *esse* eius. » Et ibid. 3. a. 20. : « Oportet ergo, quod quaelibet alia res (praeter Deum) sit *ens participative*, ita quod aliud sit in eo substantia parti-

cipans *esse*, et aliud ipsum *esse* participatum. Omne autem participans se habet ad participatum sicut potentia ad actum. Unde substantia cuiuslibet rei creatae se habet ad suum *esse* sicut potentia ad actum. Sic ergo omnis substantia creata est composita ex potentia et actu, id est, ex *eo quod est* et *esse;* sicut album componitur ex eo quod est album et albedine... *Potentia* et *actus* sunt *prima principia* in genere substantiae mobilis. Unde non oportet omnem compositionem in genere substantiae esse ex materia et forma ; sed hoc solum necesse est in substantiis mobilibus. »

Ratio 3ª. — Quia ex hoc ipso, quod « *essentia* creaturae concipitur a nobis ut *potentiale quid*, *esse* vero ut *modus* seu *actus* quo talis essentia ens in actu constituitur » : recte ac legitime infertur quod huiusmodi ens actu constitutum constat ex duobus, nempe ex essentia rei et *esse* qui est eius modus ; ex potentia subiectiva et ex actu quo talis potentia completur in linea entis : *a*) Quia aliter talis res esset purus actus in linea entis ; *b*) quia nulla res potest cogitari aut concipi sine illo quod est de essentia eius ; ergo aut existentia rei est extra essentiam rei, aut essentia rei non potest cogitari sine existentia ; *c*) quia si *esse* concipitur ut *modus* seu *actus* quo talis essentia ens in actu constituitur, *esse* debet habere subiectum cui inhaereat et cuius sit modus vel actus ; aliter modus esset subsistens et desineret esse modus ; et actus iste esset subsistens, et *esse subsistens* est natura Dei. Quapropter ex ipsa distinctione quidditativa conceptuum nostri intellectus assumit D. Thomas primum argumentum ad realem distinctionem statuendam inter essentiam et *esse* in rebus creatis. *De Ente et Essentia*, cap. 5. : « Quidquid enim non est de intellectu essentiae vel quidditatis, hoc est adveniens extra et faciens compositionem cum essentia ; quia nulla essentia sine his, quae sunt partes essentiae, intelligi potest... Ergo patet, quod *esse* est aliud ab essentia vel quidditate [1]. »

[1] *Vide* lib. I. cap. 10.

II

Secunda nota : Omne ens creatum est finitum seu limitatum in sua entitate.

§ 1.

Doctrina Suarezii.

Disput. 31. sect. 13. : « *Esse* accidentis est receptum in subiecto... *Esse* formae est receptum in materia, a qua limitari potest... *Esse* totius substantiae limitatur ex partibus componentibus ; non enim potest esse illimitatum quod ex limitatis partibus constat... *Esse* angelorum... dici potest receptum in supposito ex natura rei distincto ab ipso *esse* essentiae ; idque satis esse, ut sit limitatum et finitum... Sic igitur non oportet, ut *esse* creaturae illimitatum sit, quamvis sit irreceptum in subiecto. »

Deinde : « *Esse irreceptum* dupliciter intelligi potest. Uno modo, quod sit irreceptum tam in aliquo quam ab aliquo ; et hoc modo non sequitur ex nostra sententia, quod *esse* creaturae sit irreceptum, ut per se constat ; et de *tali esse* recte dicitur esse infinitum, quia est independens, et non participatum, sed potius fons totius entis participati... Alio modo potest esse irreceptum in aliquo, quamvis sit receptum ab aliquo ; et hoc modo conceditur *esse creatum* posse esse irreceptum ; nego tamen quod inde sequitur quod sit illimitatum atque infinitum. »

Praeterea : « *Esse*, non receptum in aliquo,... seipso et ex vi entitatis suae esse limitatum et finitum, nec indigere aliquo limitante vel contrahente in re distincto a seipso ; sed intrinsece, natura sua, esse tantae perfectionis per suam formalem entitatem. Extrinsece vero limitari a Deo : vel effective, quia ab eo recipit tantam perfectionem essendi, et non maiorem ; vel a causa exemplari, quia commensuratur tali ideae divinae repraesentanti tantam perfectionem et non maiorem. »

Ac in praecedenti *Disput.* 30. sect. 2. Suarez dixerat : « *Esse participatum* limitari potest aut ex voluntate dantis tantam perfectionem et non minorem... Ut ergo *esse* sit *finitum,* satis est ut sit *receptum ab alio* in tanta ac tanta perfectionis mensura, etiamsi proprie *non sit receptum in aliqua passiva potentia.* »

§ 2.

Doctrina D. Thomae.

Thesis 1. Absque reali compositione esse et essentiae nullum ens potest esse finitum in sua propria entitate, nec inveniri possunt limites in essendo.

Ratio 1ª. — Patet ex dictis supra cap. 3. § II.

Ratio 2ª. — Quia *ratio finiti* per essentiam formaliter constituitur ex reali compositione essentiae et *esse ;* sicut *ratio infiniti* per essentiam et simpliciter in linea essendi ostenditur ex identitate essentiae et *esse,* ut patet ex I. q. 7. a. 1. et 2., et *I. C. Gent.* cap 43. et *II.* cap. 52. ubi exponitur a D. Thoma tertium argumentum quare in substantiis intellectualibus differt *esse* et *quod est* [1].

Ratio 3ª. — Quia, ut ex supradictis manet ostensum, absque reali distinctione *esse* et essentiae non datur compositio ulla in rebus, nec subiecti et accidentis, nec suppositi et naturae, nec ex partibus componentibus ipsam substantiam. Et ideo nec *esse* accidentis recipitur in subiecto, nec *esse* formae recipitur in materia, nec *esse* angelorum recipitur in supposito ex natura rei distincto ab ipso *esse* essentiae, nisi praesupponatur, tamquam fundamentum, quod *esse,* actus rei subsistentis, recipitur in supposito veluti in proprio receptivo et immediato subiecto cui inhaeret ; et mediante supposito, in natura vel essentia, cuius est actus, veluti in propria potentia reali. Unde D. Thomas, III. q. 17. a. 2. : « *Esse* autem pertinet et ad naturam et ad hypostasim ; ad hypostasim quidem, sicut ad id quod habet *esse ;* ad naturam autem sicut ad id quo aliquid habet *esse.* »

[1] *Vide supra* lib. 1. cap. 5. ubi hoc argumentum declaratur.

Thesis 2. Ad limitationem entitatis non sufficit habere esse acceptum ab alio ; sed requiritur, praeterea, quod huiusmodi esse sit receptum in alio tamquam in subiecto.

Ratio 1ª. — Quoniam in Divinis Filius accipit *esse* a Patre, et Spiritus Sanctus a Patre et Filio. Unde ex hoc tantum, quod aliquis subsistens recipiat *esse* ab alio, non sequitur quod huiusmodi *esse* sit limitatum seu finitum. Necesse est igitur, quod *esse* acceptum recipiatur praeterea in aliquo tamquam subiecto, cui adhaereat et cuius est actus. Quamobrem D. Thomas, *In Ioann.* cap. 16. lect. 4. declarans illa verba Domini : *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet,* scribit : « Accipere autem hoc non est intelligendum eo modo quo in creaturis. Tria enim sunt in acceptione creaturarum, quorum duo non sunt in divinis. Sc. : *Quia in creaturis aliud est quod accipit, et aliud quod accipitur :* quod non est in divinis, cum personae divinae simplices sint, nec in eis sit aliud et aliud ; immo, a quocumque accipit Spiritus Sanctus, accipit totam substantiam suam ; similiter et Filius. Aliud est quod in creaturis accipiens aliquando fuit non habens id quod accipit, sicut si materia accipiat formam, vel subiectum accidens ; aliquando enim materia fuit sine tali forma, et subiectum sine tali aceidente. Hoc quidem non est in divinis, quia Filius ab aeterno est habens quod accipit a Patre ; et Spiritus Sanctus, quod a Patre et Filio accipit... Sic ergo accipere in divinis dicit ordinem originis [1]. »

Et quamvis *essentia* non sit sine *esse* quod est actus essentiae, semper tamen est verum quod *esse* recipitur in *essentia.* Etenim, ut D. Thomas expresse ait *De Pot.* q. 3. a. 1. ad 17. : « *Deus, simul dans esse, producit id quod esse recipit.*

Ratio 2ª. — Quoniam ad hoc quod *esse,* acceptum a Deo, sit limitatum, oportet quod a Deo procedat tamquam *esse causatum.* De ratione autem illius quod habet *esse* causatum, est quod in illo aliud sit *esse* et aliud *essentia* eius. Non datur ergo ratio finiti sine ratione causati ; nec datur ratio causati

[1] Vide etiam I. q. 27. a. 2. ad. 3. — *Epist. ad. Philipp.* cap. 2. lect. 2. — *I. Sent.* dist. 4. q. 1. a. 1. ad. 2. — *De Pot.* q. 2. a. 1. ad. 7.

absque reali essentiae et *esse* còmpositione. Haec duo sunt necessario correlativa, sc. : *Illud cuius esse est aliud ab essentia sua, habet esse causatum ab alio ;* et *Illud cuius esse est causatum ab alio, habet esse aliud ab essentia sua.* Unde D. Thomas, I. q. 3. a. 7. ad 1. : « Est autem hoc de ratione causati, quod sit aliquo modo compositum, quia ad minus *esse* eius èst aliud quam *quod quid est.* »

Ratio 3ª. — Quia *esse* est actus ; et actus in nullo existens, nullo terminatur. Unde *esse* non receptum in aliquo subiecto oportet ut sit per se existens, ac perinde *esse* infinitum. Nullum itaque *esse*, seipso et ex vi entitatis suae, est limitatum, nisi in sua propria entitate sit compositio ex duobus elementis, tamquam actu et potentia, nempe : ex existentia quae est actus essentiae, et ex essentia quae actualis redditur per existentiam, a qua completur. *Esse* namque est complementum substantiae existentis. Nec potest rationabiliter dici, quod *esse* sive *actus essendi* limitatur a Deo *effective*, vel *exemplariter*, vel *ex voluntate dantis* tantam perfectionis mensuram ; quoniam, ut D. Thomas, solvens haec omnia vana Suarezii effugia, iam praedixerat, I. q. 7. a. 2. ad 1. : *Hoc est contra rationem facti, quod essentia rei sit ipsum esse eius ; quia esse subsistens non est esse creatum* [1].

III

Tertia nota :
Omne ens creatum est ens per participationem.

§ 1.

Doctrina Suarezii.

Disput. 31. sect. 13. Suarez ita probat, quod omne ens creatum non est actus purus, sed per participationem. 1º « Quia *esse subsistens* variis modis potest intelligi. Primo,

[1] Vide etiam *I. C. Gent.* cap. 43. ; *II.* cap. 52. et cap. 53. — I. q. 7. a. 1. et 2.

quod essentialiter et adaequate ac per seipsum sit *esse subsistens* quasi denominative per aliquem modum seu terminum sibi intrinsecum. Hoc posteriori modo in nulla sententia negari potest quin *esse creatum*, si sit substantiale et completum, naturâ suâ sit subsistens, quia non est inhaerens nec ab aliquo alio sustentatum, sed propria subsistentia terminatum. Et quia *haec subsistentia* ex natura rei distinguitur a tali *esse*, et ab illa habet quod subsistat, ideo voco illud denominative subsistens, et non essentialiter. Et hic modus *esse subsistentis* nullam indicat infinitatem vel illimitationem in tali *esse*, cum sit imperfectus modus subsistendi et cum compositione aliqua. »

2° Quia « quando *esse* creatum dicitur *esse per participationem*, non est imaginandum quod una res sit quae participat sicut *essentia*, et alia quae participatur sicut *esse;* sed quia una et eadem res est realitas modo participato, et per vim alterius, sicut per vim agentis ; haec enim realitas de se non est nisi sub modo possibili ; quod autem sit aut possit vocari *actus*, hoc habet per vim agentis. Et declaratur hoc ipsum in ipsamet essentia vel substantia creata ; est enim essentia vel substantia per participationem, non quia ab alia re vel substantia participetur *subiective* (ut sic dicam), sed solum quia *effective* est a divina substantia, cuius est quaedam participatio. »

§ 2.

Doctrina D. Thomae.

Thesis 1. Absque reali compositione essentiae et esse, nullum dari potest ens per participationem.

Ratio 1ª. — Patet iam ex dictis supra cap. 3. § IV.

Ratio 2ª. — *Quodl.* 2. a. 3. : « Quandocumque autem aliquid praedicatur de altero per participationem, oportet ibi *aliquid* esse praeter *id* quod participatur ; et ideo in qualibet creatura est aliud *ipsa creatura* quae habet *esse*, et ipsum *esse* eius. Et hoc est quod Boëtius dicit lib. *de Hebdomad.* quod : *In omni eo quod est citra Primum, aliud est esse et quod est.* »

Ratio 3ª — I. q. 61. a. 1. : « Necesse est dicere et angelos

et omne id, quod praeter Deum est, a Deo factum esse. Solus enim Deus est suum *esse;* in omnibus autem aliis differt essentia rei et *esse* eius, ut ex superioribus patet q. 3. a. 4. Et ex hoc manifestum est, quod solus Deus est *ens per suam essentiam;* omnia vero alia sunt *entia per participationem.* Omne autem quod est per participationem, causatur ab eo quod est per essentiam ; sicut omne ignitum causatur ab igne. Unde necesse est angelos a Deo creatos esse. » Undenam ergo manifestum est, quod solus Deus est *ens per essentiam ?* Ex hoc quod solus Deus est suum *esse.* Undenam manifestum est, quod omnia alia sunt *entia per participationem ?* Ex hoc quod in omnibus aliis differt *essentia* rei et *esse* eius.

Ratio 4ª. — *II. C. Gent.* cap. 15. : « Quod per essentiam dicitur, est causa omnium quae per participationem dicuntur ; sicut ignis est causa omnium ignitorum, in quantum huiusmodi. Deus autem est ens per essentiam suam, *quia est ipsum esse;* omne autem aliud ens est ens per participationem, quia ens, quod sit suum *esse,* non potest esse nisi unum, ut l. 1. cap. 42. ostensum est. Deus igitur est causa essendi omnibus aliis. » Et iterum, *III. C. Gent.* cap. 66. : « Deus autem solus est ens per essentiam, omnia autem alia sunt entia per participationem ; nam in solo Deo *esse* est sua *essentia.* » Igitur nullum dari potest ens per participationem, nisi in eo aliud sit *essentia* participans *esse,* et aliud ipsum *esse* participatum.

Ratio 5ª. — Quia *esse subsistens* non potest intelligi nisi duplici modo, nempe : 1º vel quia ipse actus essendi est per se stans sine subiecto ; 2º vel quia inhaeret subiecto quod stat sub suo *esse* et in suo *esse* subsistit. Si primum, *esse* est actus purus, ens per essentiam, Deus, cuius substantia est esse. Si alterum, ens componitur ex actu et potentia subiectiva in linea entis, et habetur ens per participationem, substantia videlicet creata, cuius quidditati competit esse non in alio, vel essentia « cui competit sic esse, id est, per se esse : quod tamen *esse* non est ipsa eius *essentia* [1]. »

Ratio 6ª. — Quia ens per participationem, quomodocum-

[1] I. q. 3. a. 3. ad 1.

que velit Suarez illud imaginari, oportet ut resolvatur in *duo*, quorum unum non est aliud, nempe in subiectum participans *esse* et in *esse* participatum a subiecto ; sicuti *album* resolvitur in subiectum participans albedinem, et in albedinem ipsam a subiecto participatam. Unde D. Thomas, *De Pot.* q. 7. a. 4. : « In qualibet creatura invenitur *differentia habentis* et *habiti*. In creaturis namque compositis invenitur duplex differentia ; quia ipsum suppositum sive individuum habet naturam speciei, sicut homo humanitatem, et habet ulterius *esse;* homo enim nec est humanitas nec est *esse* suum... In substantiis vero simplicibus est una tantum differentia, sc. *essentiae* et *esse*... In Deo autem nulla est differentia habentis et habiti, vel participantis et participati ; immo ipse est et sua natura et suum esse. » Unde cogitet vel imaginetur Suarez, quomodo velit, *ens per participationem*, de facto in rerum natura oportet esse differentiam habentis et habiti, participantis et participati ; et implicat dari ens per participationem absque reali compositione *substantiae* participantis *esse*, et *esse* participati a substantia. Una et eadem res nequit esse *realitas* participans simul seipsam et a seipsa participata.

Ratio 7ª. — Ex hoc ipso quod substantia creata est *effective* a Deo seu a divina substantia, quae est *esse*, utique substantia creata est quaedam participatio Divini Esse, et quaedam similitudo Divini Esse. Sed ut D. Thomas declarat, *II. C. Gent.* cap. 53. : « Assimilatio autem cuiuslibet substantiae creatae ad Deum est per ipsum *esse*, ut supra (cap. 15. et 52.) ostensum est. Ipsum igitur *esse* comparatur ad omnes substantias creatas sicut actus earum. Ex quo relinquitur, quod in qualibet substantia creata sit *compositio actus et potentiae*. ... In substantia intellectuali creata inveniuntur *duo*, sc. substantia ipsa et *esse* eius, quod non est ipsa substantia, ut ostensum est cap. 52. ; ipsum autem *esse* est complementum substantiae existentis. »

Thesis 2. Notio subsistentiae a Suarezio tradita videtur esse a veritate aliena ; ac reicienda prorsus est.

Ratio 1ª. — Quia, iuxta Suarezium, *subsistentia* est modus adveniens tamquam complementum et perfectio ipsius *esse*

rei subsistentis, et a qua ipsum *esse* habet quod subsistat. Sed « *ipsum esse* est perfectissimum omnium ; comparatur enim ad omnia ut actus ; nihil habet actualitatem nisi in quantum est ; unde ipsum *esse* est actualitas omnium rerum, et etiam ipsarum formarum », ut docet D. Thomas, I. q. 4. a. 1. ad 3. Nequit ergo subsistentia complere aut perficere ipsum *esse;* sed potius ipsum *esse* est actus complens ac perficiens ipsam rem subsistentem.

Ratio 2ª. — Quia, ut D. Thomas docet I. q. 4. a. 1. ad 3. : « Esse non comparatur ad alia sicut recipiens ad receptum, sed magis sicut receptum ad recipiens ; cum enim dico *esse* hominis vel equi vel cuiuscumque alterius, ipsum *esse* consideratur ut formale et receptum, non autem ut illud cui competit *esse.* » Non igitur *esse* creatum est subsistens, quia recipit *subsistentiam* supervenientem tamquam modum seu terminum sibi intrinsecum, sed quia adhaeret substantiae, cuius est actus et a qua sustentatur.

Ratio 3ª. — *De Pot.* q. 7. a. 2. ad 9. : « Hoc quod dico *esse,* est inter omnia perfectissimum ; quod ex hoc patet, quia actus est semper perfectior potentia... Unde non sic determinatur *esse* per aliud sicut potentia per actum, sed magis sicut actus per potentiam. » Non ergo subsistentia est actus ipsius *esse,* sed, e contra, *esse* est actus rei subsistentis.

Ratio 4ª. — *De Anima,* a. 6. ad 2. : « Ipsum *esse* est actus ultimus qui participabilis est ab omnibus ; ipsum autem nihil participat ; unde, si sit aliquid quod sit ipsum *esse subsistens,* sicut de Deo dicimus, nihil participare dicimus. Non autem est similis ratio de aliis formis subsistentibus, quas necesse est participare ipsum *esse* et comparari ad ipsum ut potentia ad actum ; et ita, cum sint quodammodo in potentia, possunt aliquid aliud participare. » Igitur *esse* non participat *subsistentiam ;* sed, e contra, *forma subsistens* participat ipsum *esse* et comparatur ad ipsum ut potentia ad actum.

Ratio 5ª. — Quia omne adveniens rei post actum essendi est accidens ; et subsistentia est quidem modus realis, sed pertinens ad lineam substantiae. Unde D. Thomas, *I. C. Gent.* cap. 22. : « Omne quod sequitur ad *esse* rei, est ei accidentale. »

Ratio 6ª. — Quia subsistentia est terminus ac complementum naturae substantialis; ac vi huius complementi substantia fit potens et sui iuris quoad *esse* et *operari*, et redditur proprium receptivum atque immediatum subiectum existentiae. Etenim substantia rei sic completa est suppositum, hypostasis, *id quod est*. Unde subsistentia se habet ex parte subiecti in quo recipitur *esse*, et ante actum essendi qui est actus proprius rei subsistentis. Ita D. Thomas, III. q. 2. a. 3. : « Subsistentia autem idem est quod res subsistens, quod est proprium hypostasis. » Et ibid. q. 17. a. 2. : « *Esse* pertinet et ad naturam et ad hypostasim ; ad hypostasim quidem sicut ad id quod habet *esse;* ad naturam autem, sicut ad id quo aliquid habet *esse*. » Et q. 19. a. 1. ad 4. : « Nam *esse* pertinet ad ipsam constitutionem personae ; et sic, quantum ad hoc, se habet in ratione termini. » Et q. 35. a. 1. : « *Esse* autem proprie est rei subsistentis. » Non igitur subsistentia est terminus ipsius *esse*, sed terminus naturae substantialis ; et *esse* est actus terminans naturam substantialem subsistentem.

IV

Quarta nota : Omne ens creatum est necessario dependens a causa prima.

§ 1.

Doctrina Suarezii.

Disput. 31. sect. 13. et 14. : « In omni ente creato necessaria est actualis dependentia a prima causa ; quae dependentia est ex natura rei distincta ab ente quod per eam fit vel conservatur ; ideoque cum illo facit compositionem realem, quae inseparabilis est ab omni ente creato actu existente ; quia nec tale esse potest sine aliqua dependentia, nec ipsa dependentia esse potest sine aliquo termino. Haec est *prima ratio* distinguens ens creatum ab increato. »

« Item, quia saltem hoc modo est de ratione entis, ut habeat *esse receptum ab alio*, quod est habere *esse dependens*. »

« Denique, omne ens huiusmodi est *ens per participationem;* ergo essentialiter pendet ab eo a quo rationem entis participat. »

« Et (quod certius est) omne ens creatum requirit actualem dependentiam, atque adeo compositionem cum illa. Haec igitur imperfectio satis est ad declarandum rationem et imperfectionem entis creati ut sic ; *neque, ob eam causam, necessaria est in creaturis realis compositio ex esse et essentia.* »

§ 2.

Doctrina D. Thomae.

Thesis 1. Prima ratio distinguens ens creatum ab increato nequit esse ipsa dependentia entis creati ab increato.

Etenim, quantumvis huiusmodi dependentia distinguat inter Deum et creaturas, tamen est quid consequens et necessario resultans ex ipsa natura entis creati. Unde licet verissimum sit quod ens creatum esse non potest sine hac necessaria atque absoluta dependentia a Deo Creatore, oportet tamen quaerere primam rationem distinguentem inter ens creatum et ens increatum in ipsa natura vel entitate utriusque. D. Thomas altius assurgit ad adinveniendam primam rationem distinguentem inter causam primam et omnes effectus causae primae.

Prima ratio, ex parte causae primae considerata, ita se habet. — I. q. 3. a. 4. : « Deus non solum est sua essentia, sed etiam suum *esse;* quod quidem multipliciter ostendi potest... Oportet ergo quod illud, cuius *esse* est aliud ab *essentia* sua, habeat *esse* causatum ab alio. Hoc autem non potest dici de Deo, quia Deum dicimus esse primam causam efficientem. Impossibile est ergo, quod in Deo sit aliud *esse* et aliud eius essentia. »

Prima vero ratio, ex parte entis creati considerata, sic se habet. — I. q. 104. a. 1. : « Sic autem se habet omnis creatura ad Deum, sicut aër ad solem illuminantem. Sicut enim sol

est lucens per suam naturam, aër autem fit luminosus participando lumen a sole, non tamen participando naturam solis : ita solus Deus est *ens per essentiam suam*, quia eius essentia est suum *esse;* omnis autem creatura est *ens participative*, non quod sua essentia sit eius *esse*. »

Thesis 2. Igitur necessaria est in creaturis realis compositio ex esse et essentia ad reddendam primam rationem omnium rationum, quibus distinguitur ens creatum ab Ente Increato.

Ratio 1ª. — Quoniam sine hac reali compositione, *id quod est* et *esse* realiter identificantur. Ens vero, in quo *id quod est* et *esse* sunt unum et idem, est ens per essentiam. Ens denique per essentiam non indiget causari, sed est causa essendi omnibus quae sunt [1].

Ratio 2ª. — Quia sine hac reali compositione *esse* et essentiae nullum datur nec dari potest ens contingens, nullum ens finitum, nullum ens causatum, nullum ens per participationem, nullum ens compositum, nullumque ens quod, ut existat, indigeat creari ; et consequenter nulla realis dependentia actualis existentiae entis creati a Deo : ut ex professo supra cap. 3. quoad singulas partes ostensum manet.

Ex quibus omnibus patet, reale fundamentum ad discernendum inter Deum et creaturas demonstrative probari non posse a negantibus realem compositionem *esse* et essentiae in rebus creatis.

[1] I. q. 2. a. 3. *via quarta.* ; q. 3. a. 4. ; q. 44. a. 1.

CAPUT DECIMUM

Critica totius Disputationis Metaphysicae XXXI. Suarezii atque observationes generales circa omnes philosophos negantes realem compositionem esse et essentiae in creatis.

I

Suarez nihil valet concludere contra realem compositionem esse et essentiae in rebus creatis, atque per totam suam Disput. XXXI. in aequivoco laborat.

§ 1.

Patet ex testimonio duorum philosophorum ex ipsa Societate Iesu.

a) P. Liberatore, S. I., *Metaph.* cap. 1. a. 3. sic iudicat modum argumentandi Suarezii : « Argumentum praecipuum Suarezii est, quia essentia, de qua loquimur, debet esse essentia actualis et producta, non essentia mere possibilis, quae solum est in conceptu mentis. At vero essentia actualis et producta constare profecto debet aliqua entitate vera et reali, qua intrinsecus constituatur, et quae ab ipsa non differat ; repugnat enim, ut res intrinsecus constituatur per aliquid a se diversum... Et sane, si essentia dicitur actualis, actu est ; actu autem esse et existere idem sonat. In creaturis igitur re non differt existentia ab essentia quae actu est ; sed solum differt ab essentia possibili, quae mente concipitur et eget actione causae, ut existens efficiatur. ... Haec enim (argumentatio) aequivocationes nonnullas continere videtur, quae si distinguantur, vim omnem amittent. Ad eas vero tollendas, sequentes animadversiones subiicio. »

1° « Duplici modo aliquid dici potest *actuale* : vel quia actus est, vel quia informatur ab actu. Ergo non repugnat ut essentia actu sit, et tamen distinguatur realiter ab existentia ; nam actu erit per existentiam, a qua completur ; non per seipsam, quasi ipsamet sit actus, a quo actualis denominetur. Quod si omnino ipsa per se dici velit actualis, id intelligi poterit per comparationem ad essentiam possibilem, quae dicit potentiam mere obiectivam, et respectu cuius essentia realis et producta considerari potest ut actus, licet sit potentia respectu existentiae. »

2° « Ex eo quod essentia distinguatur ab existentia, non sequitur confusio eiusdem cum essentia mere possibili, quae est in conceptu mentis. Nam haec est potentia mere obiectiva, quae considerari potest etiam in ipsa existentia ; siquidem ipsa existentia creata, antequam creetur, est tantum possibilis. At essentia realis producta dicit *potentiam*, non obiectivam, sed subiectivam, quae existentiam recipit tamquam actum, a quo completur in linea entis. »

3° « Id quod proprie producitur et per productionem constituitur in se extra conceptum et extra causas, non est sola essentia, nec sola existentia, sed est compositum ex utraque. Nam licet, ut bene observat S. Thomas (*De Pot.* q. 3. a. 5. ad 2.), actio productiva efficiat non modo existentiam, sed etiam essentiam, tamen utramque efficit non ut duas res, sed ut unam, quae constet duobus elementis, tamquam actu et potentia. »

4° « Essentia realis et physica constat profecto entitate propria, qua differt a nihilo, et consequenter ab essentia mere possibili, quae physice nihil est. At hinc non sequitur, ut hoc ipso sit idem atque existentia. Nam existentia dicit actum ; inter actum et nihil media est potentia ; potentia, inquam, non obiectiva, sed subiectiva, nimirum subiectum quod idoneum est ad recipiendum actum, sibi consentaneum. Donec igitur probetur respectu ipsius *esse* non dari actum et potentiam realem et physicam, nihil conficitur argumentando. Optime enim respondebitur essentiam productam habere per se entitatem veram, quae diversa sit a mera obiectivitate rei, sed entitatem physice potentialem, quae

vi existentiae ad ultimam actualitatem adducitur in linea entis. »

5° « Denique, obiter notamus mirum non esse, si tam difficilis conceptu sit huiusmodi compositio ; nam est compositio sui generis, quae nullam comparationem retinet cum aliis compositionibus et respicit elementa maxime simplicia, nempe ad *ipsam rationem entis*, quae prima omnium est, pertinentia. Tota igitur quaestio reducitur ad hoc : Num extra Deum admittenda sit, necne, quoad ipsum *esse*, physice et realiter consideratum, compositio ex actu et potentia. Ordo rerum et excessus simplicitatis, qui divinae naturae competit respectu entium creatorum, persuadere videntur partem affirmativam. Contra, pars negativa non aliud argumentum revera habet nisi magnam difficultatem, quam notio huius compositionis praesefert. Sed difficultas intelligendi aliquid nunquam mihi visa est ratio sufficiens ad illud repudiandum. »

b) P. Remer, S. I., *Metaph.*, q. 1. etiam sic iudicat Suarezium atque eius modum argumentandi : « Adversarium (P. Suarez) admittere sophisma petitionis principii, quod discipulis Sancti Thomae in hac quaestione (*Disput. metaph.* 31.) saepe exprobat. »

§ 2.

Patet ex ipsismet argumentis a Suarezio allatis ad ostendendam suam sententiam.

Etenim Suarez semper videtur praesupponere tamquam extra discussionem et extra dubium id ipsum quod debuerat probare et ostendere, videlicet : Res creatas *solo actu* existendi constitui in sua propria entitate, dum sunt in rerum natura. Non curat, utrum in hac propositione : *Petrus est, homo est, hic leo est*, inveniatur *aliquid* praeter *actum* existentiae, nempe subiectum cui actus existendi competit et quod non est ipse actus. E contra, Suarez semper asserit et non probat, sed tamquam « certum » pronuntiat « *existens ut sic per solam existentiam formaliter constitui.* » : ut iam notavimus in cap. 8. ubi tria praecipua Suarezii argumenta fuerunt soluta. *Existens* namque dicit *duo*, sicut album ut

sic, et lucidum ut sic, et omne huiusmodi concretum ; nempe : id quod est, et *esse ;* id quod est album, et albedo ; id quod est lucidum, et lux. Non enim sola lux, nec sola albedo, nec solum *esse* exprimuntur ; sed simul subiectum participans *esse, lucem* et *albedinem.* Unde *existens* componitur in sua propria constitutione ex duobus, quorum unum comparatur ad alterum ut potentia ad actum, ut participans ad participatum, ut subiectum ad suam perfectionem vel suum complementum. Aliter oporteret dicere, quod creatura est suum *esse :* quod de solo Deo dici potest, cuius substantia est *esse.*

Huiusmodi aequivocationes ac principii petitiones apparent quoque in illo alio argumento, quo Suarez laborat probare existentiam et essentiam esse *unam* et *eandem entitatem,* ita : « Huic *esse* actualis essentiae conveniunt omnia attributa quae tribui solent existentiae. Ergo est verum *esse* existentiae. Antecedens probatur : Hoc *esse* essentiae actualis *non* est *aeternum,* sed *temporale ;* nam, ut supra *ostensum* est, creaturae nullum *esse* reale ab aeterno habuerunt. Sed *esse* essentiae, prout distinguitur ab *esse* existentiae, dicitur *esse aeternum :* quod non potest esse verum nisi de illo *esse* potentiali. Ergo *esse* actuale, sicut temporale est, ita etiam est vera existentia. »

« Deinde, hoc *esse* convenit creaturae contingenter seu non necessario ; quandoquidem priusquam fieret, illud non habuit ; et potest, postquam illud habet, illo privari... »

« Ulterius, huic *esse* actualis essentiae convenit ut conferatur creaturae per efficientiam Creatoris. » Ita arguit Suarez (*Disp.* 31. sect. 13.), atque ex his tribus attributis infert, quod *existentia* creaturae est eius *essentia.*

Quoad 1^{um}. — Suarez praesupponit duo, quorum alterum non est verum, alterum autem non potest ostendi. Non est enim verum quod : « *Esse* essentiae, prout distinguitur ab *esse* existentiae, dicitur esse *aeternum* » ; etenim agitur de ipsa substantia rei existentis ; et de entitate huius substantiae affirmat D. Thomas ipsam realiter distingui ab existentia, cum ait *Quodl.* 3. a. 20. : « Sic ergo omnis substantia creata est composita ex potentia et actu, id est, ex *eo quod est* et

esse; sicut album componitur ex eo quod est album et albedine... Potentia et actus sunt prima principia in genere substantiae ; materia autem et forma sunt prima principia in genere substantiae mobilis. » — Ad alterum vero, quod Suarez existimat se ostendisse in *Disp.* XX. nempe quod « creaturae nullum *esse* reale ab aeterno habuerunt », D. Thomas, I. q. 46. a. 2. respondet : « Mundum non semper fuisse, sola fide tenetur et demonstrative probari non potest. Et huius ratio est, quia novitas mundi non potest demonstrationem recipere ex parte ipsius mundi. Demonstrationis enim principium est *quod quid est.* Unumquodque autem secundum rationem suae speciei abstrahit ab *hic* et *nunc;* propter quod dicitur, quod *universalia sunt ubique et semper.* Unde demonstrari non potest, quod homo aut coelum aut lapis non semper fuit. »

Quoad 2^{um}. — « Hoc *esse* convenit creaturae contingenter, non necessario », etiam Suarez supponit quod erat demonstrandum, nempe essentiam et existentiam esse unum et idem ; quoniam aliter convenit Petro, v. g. *esse* seu actus existentiae, et aliter *esse hominem* seu *animal rationale;* nam *esse* convenit contingenter, et *esse hominem* convenit necessario ; etiamsi prius, quam Petrus fieret, essentiam vel naturam humanam in actu non haberet. Unde ex diverso modo, quo convenit Petro *esse* et *esse hominem,* recte inferri potest, quod in Petro existente aliud est substantia et aliud *esse* quod est actus substantiae.

Quoad 3^{um}. — Iam responderat D. Thomas, dicens *De Pot.* q. 3. a. 1. ad 17. : « Deus, simul dans *esse,* producit *id* quod *esse* recipit. » Et ibid. a. 5. ad 2. : « Ex hoc ipso, quod quidditati *esse* attribuitur, non solum *esse,* sed ipsa *quidditas* creari dicitur. »

Suarez ergo conatur inde probare identitatem *esse* et essentiae in creaturis, unde debuerat legitima consequentia inferre realem utriusque compositionem ; nam, ut supra dictum manet, sine reali compositione *esse* et essentiae non datur ens contingens, nec finitum, nec causatum. Quod

enim proprie causatur, nec est sola essentia, nec sola existentia, sed compositum ex utraque. Quamobrem D. Thomas, I. q. 3. a. 7. ad 1. : « Est autem hoc de ratione causati, quod sit aliquo modo compositum ; quia ad minus *esse* eius est aliud quam *quod quid est.* »

Porro, quod Suarez per totam suam *Disputationem* 31. in aequivoco laboret, patet etiam ex hoc ipso, quod :

II

Suarez non quaerit de reali distinctione esse et essentiae, vel de utriusque identitate, ut oportebat quaerere.

Primo : **Quomodo quaerit et quaestionem solvit D. Thomas.** — *De Verit.* q. 1. a. 2. ad 3. : « Cum dicitur : *Diversum est esse et quod est,* distinguitur actus essendi ab eo, cui actus ille convenit. Ratio autem entis ab actu essendi sumitur, non ab eo cui convenit actus essendi. »

Et ibid. a. 4. ad 4. : « Cum dicitur : *Nulla res est sua veritas,* intelligitur de rebus quae habent *esse completum* in natura, sicut et cum dicitur : *Nulla res est suum esse.* »

Secundo : **Quomodo quaerit ac quaestionem solvit Suarez.** — Suarez autem sic iam circa finem totius *Disput.* 31. in sect. 11. aperit mentem suam : « Duobus enim modis (inquit) accipi potest *essentia :* uno modo, in propria et maxime usitata significatione ; et hoc modo significat rei naturam ; et sic dicimus *humanitatem* esse *essentiam* hominis... Alio vero modo sumitur latius *essentia* pro quacumque ratione essentiali, quomodo dicimus : *Quidquid est,* eo modo *quo est, habere suam essentiam;* quia esse non potest absque sua propria et intrinseca ratione essentiali...

Cum ergo essentiam cum existentia comparamus, in hac posteriori significatione et generalitate loquimur ; sic enim nunc agimus *de Ente et Essentia* creatis in communi ; atque ita etiam comparari debet essentia ad proportionatam

existentiam... Atque ita humanitas est idem cum sua existentia. ... Si autem comparetur (natura) ad existentiam totius hominis, non est omnino idem cum illa ; quia *homo* non solum includit *naturam* hominis, sed etiam *subsistentiam*...

Ut ergo recte fiat comparatio, debet praecise fieri inter unamquamque *essentiam actualem* cum illo *esse*, quo in tali ratione actuali constituitur. Et hoc modo est in universum vera regula, unumquodque ens actu esse idem cum suo *esse* adaequato ; et unamquamque essentiam actualem cum sua existentia : substantialem cum substantiali, totalem cum totali, partialem cum partiali, accidentalem cum accidentali, et modalem cum modali. » Ita Suarez.

TERTIO : **Doctrina Suarezii circa constitutionem entis est valde diversa et aliena a doctrina D. Thomae.**

a) Iuxta D. Thomam, *esse* soli Deo competit secundum propriam naturam ; et hoc quod est *esse*, solius Dei est substantia ; quia solius Dei proprium est quod sua substantia non sit aliud quam suum *esse*. Omnibus autem aliis naturis, sive sint naturae substantiales sive naturae accidentales, *esse* non competit secundum propriam naturam, sed solum per participationem ; et ita per participationem competit, ut *esse* participetur non quasi existens de substantia participantis, sicut genus participatur a specie, sed sicut aliquid non existens de essentia rei. Unde impossibile est, quod essentia seu natura alterius entis, praeter ens primum, sit *esse*. Consequenter, materia prima non est *esse ;* nulla forma, sive substantialis sive accidentalis, sive subsistens sive non subsistens absque materia, est *esse ;* nec compositum ex forma et materia est *esse ;* nec compositum ex substantia et subsistentia, quod est suppositum vel hypostasis, est *esse*. Consequenter *esse*, proprie loquendo, est *actus* suppositi ; et, mediante supposito, est actus naturae vel substantiae ; et actus materiae, mediante forma ; et sic *esse* est actus omnium quae constituunt naturam singularem et completam in linea entis substantialis. Atque ita *esse* est complementum substantiae existentis ; est actus suppositi sive eius *quod est ;* et est formalissimum in re, et quod profundius omnibus

inest, cum sit formale respectu omnium quae in re sunt. Hoc de *esse* quod est actus substantiae, de quo praecipue agitatur quaestio. Nam si de formis accidentalibus fiat sermo, etiam ipsum *esse* quod per formam subiecto acquiritur, a forma ipsa distinguitur [1].

b) Iuxta Suarez, quaecumque realitas seu entitas, etiam partialis, etiam accidentalis et modalis, est quidam *actus* essendi, quaedam *existentia;* et sic materia prima est *esse;* forma substantialis est *esse;* omnis forma accidentalis est *esse;* et omnia ac singula, ex quibus ea quae in rerum natura existunt, constituuntur, sunt *esse;* atque ex *diversis actibus* essendi resultat *unus actus* essendi completus. Quapropter, sicut materia est materia, et forma est forma, et hoc accidens est hoc accidens, et quaecumque entitas partialis est ipsamet partialis entitas, ita hic homo est hic homo, et omnis essentia est sua existentia. Et hoc est, quod Suarez vocat *rectam comparationem* uniuscuiusque realitatis cum illo *esse*, quo in tali ratione actualis constituitur. Quasi *esse* non esset actus proprius rei subsistentis, et non pertineret ad suppositum seu ad hypostasim sicut ad *id quod* habet *esse*, et ad naturam sicut ad *id quo* aliquid habet *esse !* Quasi ex multis actibus fieret unus actus, et ex multis partialibus existentiis conficeretur una existentia adaequata et completa [2] ! Contra quod D. Thomas, *II. C. Gent.* cap. 56. : « Ex duabus enim substantiis actu existentibus non potest fieri aliquid unum. » Et cap. 57. : « *Esse* non est solum formae, neque solum materiae, sed coniuncti. » Et cap. 69. : « Non enim corpus et anima sunt duae substantiae actu existentes, sed ex eis duobus fit una substantia actu existens ; corpus enim hominis non est idem actu, praesente anima et absente, sed anima facit ipsum actu esse. »

[1] I. q. 4. a. 1. ad. 3. ; q. 7. a. 1. ; q. 8. a. 1. ; q. 45. a. 4. — *II. C. Gent.* cap. 52., 53. et 54. — *De Pot.* q. 3. a. 8. — *Quodl.* 2. a. 3.

[2] Ad rem P. Billot : « Si praedicta imaginatio esset vera, sequeretur, ut alia multa praetermittam, nullam dari *compositionem* in rebus, aut certe omnem compositionem esse instar *cuiusdam iuxtapositionis*, ex qua nunquam resultare posset *unum per se*, sed ad summum *unum per accidens.* » (*De Verbo Incarnato*, q. 2. cap. 2.)

III

Suarez, et similiter omnes qui realem compositionem esse et essentiae in rebus creatis inficiantur, non videntur revera distinguere inter purum nihilum rei et actum rei subsistentis; sed in composito tot esse admittunt, quot entitates realiter distinctae reperiuntur.

PRIMO : **Doctrina D. Thomae circa hoc quod dicitur esse.** — *Quodl.* 9. a. 3. : « *Esse* dicitur actus entis in quantum est ens, id est, quo denominatur aliquid *ens actu* in rerum natura. Et sic *esse* non attribuitur nisi rebus ipsis quae in decem generibus continentur ; unde *ens*, a tali *esse* dictum, per decem genera dividitur. Sed hoc *esse* attribuitur alicui dupliciter : Uno modo, ut sicut ei quod proprie et vere habet *esse* vel *est;* et sic attribuitur soli substantiae per se subsistenti ; unde quod vere est, dicitur substantia in *I. Physic.* Omnia vero quae non per se subsistunt, sed in alio et cum alio, sive sint accidentia sive formae substantiales aut quaelibet partes, non habent *esse* ita ut ipsa vere sint ; sed attribuitur eis *esse* alio modo, id est, ut *quo aliquid est;* sicut albedo dicitur esse, non quia ipsa in se subsistat, sed quia eâ aliquid habet *esse album. Esse* ergo proprie et vere non attribuitur nisi rei per se subsistenti ; huic autem attribuitur *esse duplex:* Unum sc. *esse resultans* ex his ex quibus eius unitas integratur, quod proprium est *esse* suppositi *substantiale.* Aliud *esse* est supposito attributum praeter ea quae integrant ipsum ; quod est *esse* superadditum, sc. *accidentale;* ut *esse album* attribuitur Socrati, cum dicitur : *Socrates est albus.* »

SECUNDO : **Inter nihilum rei et esse quod est actus substantialis rei subsistentis, datur medium, nempe principia realia quidditativa ipsius rei actualis.** — Inter actum quidem essendi qui attribuitur supposito sicut ei quod proprie et vere est, mediat potentia subiectiva, realis et physica, quae

nec est nihil, nec est actus essendi, sed est subiectum idoneum ad recipiendum actum sibi consentaneum : ut materia prima est subiectum formae substantialis, et compositum ex utraque est subiectum ipsius *esse*. Unde D. Thomas, *II. C. Gent.* cap. 54. : « Ipsum *esse* non est proprius actus materiae, sed substantiae totius ; eius enim actus est *esse*, de quo possumus dicere quod sit ; *esse* autem non dicitur de materia, sed de toto ; unde materia non potest dici quod est, sed ipsa substantia est *id quod est*... Unde in compositis ex materia et forma, nec materia nec forma potest dici *ipsum quod est*, nec etiam ipsum *esse;* forma tamen potest dici *quo est*, secundum quod est *essendi principium*. Ipsa autem tota substantia est *ipsum quod est;* et ipsum *esse* est quo substantia denominatur *ens*. In substantiis autem intellectualibus, quae non sunt ex materia et forma compositae, sed in quibus ipsa forma est substantia subsistens, forma est *quod est;* ipsum autem *esse* est *actus* et *quo est;* et propter hoc in eis est unica tantum compositio actus et potentiae, quae sc. est ex substantia et *esse;* quae a quibusdam dicitur ex *quod est* et *esse*, vel ex *quod est* et *quo est*. »

Et *Quodl.* 9. a. 6. : « Invenimus in angelo et *substantiam* sive quidditatem eius quae subsistit, et *esse* eius quo subsistit ; quo sc. actu essendi dicitur esse, sicut actu currendi dicimus currere... *Esse* non est actus qui sit pars essentiae, sicut forma ; ipsa quidditas angeli vel substantia est per se subsistens, quod materiae non competit. »

Tertio : **Suarez non admittit nisi potentiam obiectivam sive logicam, quae est mera non repugnantia rei ad existendum.** — Etenim, iuxta Suarezium, omne actuale est actus ; omnis entitas est *esse;* omnis realitas est existentia. Et sic materia prima est *actus* et *esse;* forma est *actus* et *esse;* accidens est *actus* et *esse;* et quodcumque ens, licet partiale et incompletum, est *actus* et *esse;* et omnia quae actualia sunt, *actus essendi* sunt. Quapropter Suarez annumerandus venit inter illos, de quibus ait D. Thomas, *I. Physic.* lect. 8. : « Et omnes hi decepti fuerunt, quia nesciverunt distinguere inter potentiam et actum. Ens enim in potentia est quasi medium inter

purum non ens et ens in actu. » Et *De Pot.* q. 3. a. 8. : « Istae opiniones videntur provenisse ex hoc quod ignorabatur natura formae, sicut et primae provenerunt ex hoc quod ignorabatur natura materiae. Forma enim naturalis non dicitur univoce esse cum re generata. Res enim naturalis generata dicitur esse per se proprie, quasi habens *esse*, et in suo *esse* subsistens ; forma autem non sic esse dicitur, cum non subsistat nec per se *esse* habeat ; sed dicitur *esse* vel ens, quia eâ aliquid est ; sicut et accidentia dicuntur *entia*, quia substantia eis est vel *qualis*, vel *quanta*, non quo eis sit simpliciter sicut per formam substantialem ; unde accidentia magis proprie dicuntur *entis* quam *entia*. Unumquodque autem factum, hoc modo dicitur fieri, quo dicitur esse. Nam *esse* est terminus factionis ; unde illud, quod proprie fit per se, compositum est... [1] »

Et *I. Physic.* lect. 14. : « Materia secundum suam substantiam est *potentia* ad *esse substantiale*... Materia est prope rem, et est aliqualiter ; quia est in potentia ad rem ; et est aliqualiter substantia rei, quia intrat in constitutionem substantiae. Sed hoc de privatione dici non potest. »

Atque haec praedicata quidditativa, quae mediant inter potentiam obiectivam seu logicam rei et ipsum *esse* rei iam subsistentis, optime describuntur a Caietano, dum in opusc. *De Ente et Essentia*, cap. 6. q. 14. ait : « Ad profundiorem huius rei perscrutationem notandae sunt tres propositiones. Prima est, quod omne individuum, distinctum realiter a suo *esse*, habet plura praedicata quidditativa ; quorum successu magis ac magis appropinquat ad suum *esse*. Secunda propositio est ista : Inter praedicata quidditativa supradicta talis est ordo, quod tantum unumquodque est actualius, quo appropinquat ad *esse;* et tanto est potentialius, quo remotius est ab *esse*... Cum enim *esse* sit actualissimum omnium quae sunt in re, et tantae actualitatis, ut nonnisi completae essentiae actus proprius sit, ad hoc quod essentia eius receptivum fiat, oportet intrinsece completam et determinatam esse ; sicut ad hoc quod aër recipiat lumen, oportet prius

[1] Cf. etiam *De Pot.* q. 3. a. 1. ad. 12.

ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

quod perficiatur a diaphaneitate ; terminatur autem, perficitur et completur substantia his praedicatis quidditativis ; et ideo, quanto praedicatum quidditativum erit magis essentiae determinativum, magis appropriabit ipsam ad hoc quod sit receptivum proprium ipsius *esse*... Ultimum complementum ipsius essentiae est ad hoc quod *sit*... Paulatim essentia determinatur et actuatur usque ad ultimam differentiam quae est actus ultimo determinans et perficiens ipsam ut *esse* habeat ; propterea et Porphyrius ait quod, secundum interius perscrutantes, differentia est quae concludit ad *esse*. »

QUARTO : **Esse tamen quod resultat ex his omnibus, ex quibus rei subsistentis unitas integratur, non habet radicem in ipsa essentia in qua recipitur, sed oritur ex continuo influxu causae primae.**

a) *III. Sent.* dist. 6. q. 2. a. 2. : « *Esse* quod pertinet ad naturam rei secundum quod dividitur secundum decem genera, est in re, et est actus entis resultans ex principiis rei, sicut *lucere* est actus lucentis. Aliquando tamen sumitur *esse* pro essentia secundum quam res est ; quia per actus consueverunt significari eorum principia, ut potentiae vel habitus. »

b) *II. C. Gent.* cap. 54. : « Per hoc enim in compositis ex materia et forma, forma dicitur esse *principium essendi*, quia est complementum substantiae, cuius actus est ipsum *esse* ; sicut diaphanum est aëri *principium lucendi*, quia facit eum proprium subiectum luminis. »

c) I. q. 104. a. 1. : « Aër autem nullo modo natus est recipere lumen secundum eandem rationem secundum quam est in sole, ut sc. recipiat formam solis, quae est principium luminis ; et ideo, quia non habet radicem in aëre, statim cessat lumen, cessante actione solis. Sic autem se habet omnis creatura ad Deum, sicut aër ad solem illuminantem. » Et ad 1. : « *Esse* per se consequitur formam creaturae, supposito tamen influxu Dei ; sicut lumen sequitur diaphanum aëris, supposito influxu solis. »

d) I. q. 8. a. 1. : « Cum autem Deus sit ipsum *esse* per suam essentiam, oportet quod *esse* creatum sit proprius

effectus eius ; sicut *ignire* est proprius effectus ipsius ignis. Hunc autem effectum *causat* Deus in rebus, non solum quando primo esse incipiunt, sed quamdiu in *esse* conservantur ; sicut lumen causatur in aëre a sole, quamdiu aër illuminatus manet. »

e) *De Pot.* q. 6. a. 6. ad 4. : « Forma enim est principium essendi *ut quo aliquid est*, cum tamen et *esse* formae et *esse* materiae in composito sit ab uno agente. Si ergo sit aliqua substantia creata quae sit forma tantum, potest habere *principium* essendi *efficiens, non formale.* » Et ad 5. : « Etiam in causis formalibus prius et posterius invenitur ; unde nihil prohibet unam formam per alterius formae participationem formari ; et sic ipse Deus, qui est *esse* tantum, est quodammodo species omnium formarum subsistentium quae *esse* participant et non sunt suum *esse.* »

f) *De Carit.* a. 1. ad 13. : « Deus *esse* naturale creavit sine medio efficienti, non tamen sine medio formali. Nam unicuique dedit formam per quam esset. » Et *De Verit.* q. 27. a. 1. ad 3. : « Forma enim naturalis principium est *esse naturalis.* »

g) *I. Tim.* cap. 6. lect. 3. : « Res ergo quae sunt actus quidem, sed non purus, lucentia sunt, sed non lux. Sed divina essentia, quae est actus purus, est ipsa lux... In Deo autem non est aliud *esse* et *quidditas* eius. »

h) *II. Sent.* dist. 4. q. 1. a. 3. ad 4. : « Sicut in diaphano est aliquid de natura lucis, licet imperfecte, completur autem quando efficitur lucidum in actu » : ita etiam in essentiis vel naturis creaturarum est aliquid de natura essendi, quae completur per actum existentiae. *II. Sent.* dist. 3. q. 1. a. 3. : « Illa ergo quidditas est actus completus, praeter quam non est suum *esse*, sc. natura divina, quae est actus tantum. »

QUINTO : **Quid igitur dicendum de philosophis qui, negantes realem compositionem actus et potentiae sive esse et essentiae in rebus creatis, dicunt in composito esse tot esse quot entitates ?**

— Caietanus, In I. q. 76. a. 1. : « Intolerabilis est Physicorum error, dicentium in composito esse *tot esse, quot enti-*

tates; destruit enim hoc naturam compositionis essentialis, et illud maximum Metaphysicae principium iam probatum, quod : *Esse per se primo convenit formae,* et multa alia... Omne ens habet aliquod *esse* proprium, ut proprium distinguitur contra extraneum ; quia nulla res est per *esse* extraneum a se ; non autem ut proprium distinguitur contra commune. Imo, nulla pars habet *esse* proprium hoc modo ; quia quaelibet habet *esse* commune sibi et toti, dum in toto est. »

Et rursus, ibid. a. 3. : « Deficit (Scotus) ex illa communi caligine, qua *naturam entis et unius* per compositionem non vident. Et tamen in eius principiis fatentur, dum quotidie resonamus quod *ex duobus existentibus in actu non potest fieri unum per se ens, sed ex actu et potentia;* nec est causa quaerenda... Ideo namque ex actu et actu non potest *ens* nisi per accidens constitui ; quia quilibet actus, quantumcumque imperfectus, naturam quandam vel *quod quid erat esse* constituit. »

Unde ex negatione realis distinctionis *esse* et essentiae in creatis : 1° destruitur unitas entis creati, eo ipso quod destruitur unitas *esse substantialis,* cum tot sint *esse* in composito, quot entitates ; 2° destruitur radix prima et suprema ratio demonstrativa attributorum quae sunt propria entis creati, nempe *esse contingens, finitum,* per *participationem, compositum,* et *causatum;* 3° ac destruitur perinde radicale fundamentum ad discernendum inter *Ens per essentiam* quod est Deus, et *ens per participationem* quod est omnis substantia creata. Ad infinitum namque discrimen Deum inter et creaturas statuendum non sufficit distinctio rationis, sed necessaria est prorsus distinctio seu compositio realis inter substantiam et *esse* in omnibus quae sunt, praeter Deum, cuius substantia est *esse.* Etenim praedicta compositio constituit fundamentum contingentiae quam omni enti creato oportet vindicare. Aliter philosophus non valebit reddere veram ac philosophicam rationem, quare Deus differt a creaturis et creaturae differunt a Deo.

Quamobrem si quaeras : Quare sufficit distinctio virtualis vel rationis inter essentiam et existentiam in creatis ad sta-

tuendum discrimen inter Deum et creaturas ? Respondent : *Quia talis distinctio est cum fundamento in re, nempe ipsa rei creatae contingentia.*

Si vero iterum quaeras : Quare omnia, praeter Deum, sunt contingentia ? Respondent : *Quia omnia sunt creata.*

Ac denique, si quaeras : Quare omnia indigent creari a Deo ? Non habent quid respondeant ut philosophi, nisi *quia omnia sunt contingentia.* Et sic explicant contingentiam omnium rerum per necessitatem creationis ; et necessitatem quam habent ut creentur, per ipsam rerum omnium contingentiam [1].

[1] Ita omnes, velint, nolint, coguntur dicere, qui negant realem compositionem *esse* et substantiae in creatis. Exempli causa : P. Del-mas, *S. I., Ontolog.* p. 192. : « Distinctio virtualis cum contingentiae fundamento, quam supra omni enti creato vindicavimus, plane sufficit ad infinitum discrimen Deum inter et creaturas statuendum. » P. Piccirelli, *S. I., Disquisit. de essent. et esse*, p. 162. et 163. : « Eiusdem (creaturae) contingentia est *radix* aut *ultima ratio* quare, cum fundamento in re, in creato distinguimus existentiam ab actuali essentia. » Nisi ergo ipsiusmet contingentiae radix et ultima ratio sit realis compositio substantiae rei et *esse* eius, necessario incurritur petitio principii, declarando contingentiam rerum per ipsarum creationem, et postea necessitatem creationis per ipsarum rerum contingentiam. Occasione huius quod scripsimus in Ephemer. La *Revue Thomiste* (mars et mai 1910), *La Vérité fondamentale*, etc. ; in Ephemer. *Rivista di Filosofia neo-scholastica* (20 Guigno 1910) *L'essenza e l'existenza secondo Duns Scoto*, replicando respondetur : « Egli ei accorderá, nondimeno, che il Beato Giovani Duns Scoto, *perchè subordina la contingenza al vuoto di essere delle creaturae*, sfugge felicemente al suo *circolo vitioso.* » Videtur quod non talis datur felix fuga. Quomodo fugi potest petitio principii, si creaturarum contigentia explicatur per hoc quod creatura facta est ex nihilo sui ? Hoc nihil aliud est nisi declarare contingentiam rerum per ipsarum creationem. Et ipsa necessitas creationis ad hoc quod res, ex nihilo factae, existant : Quomodo ostenditur ? Anne per ipsarum contingentiam ? Felix ergo fuga petitionis principii non invenitur nisi in identitate *esse* et essentiae in Deo, et in reali utriusque compositione in omnibus praeter Unum, quod est Deus. Quod etiam manifestum fit ex alia responsione, quae paulo antea ibidem legitur : « A ció io rispondo che gli *esseri finiti* non esisterebbero effetivamente senza l'intervento della causa creatrice. Ma la *contingenza* ha per ragion d'essere il *limite* entitativemente inerente alla creatura. Questo *limite* è, per

definitione, una *restrizione*, una *soppresione* di essere, e per conseguenza, *indipendentemente* dalla distinzione reale, sará sempre vero che una cosa è contingente *perchè limitata*. Questo *limite* costituisce esso tesso una *nuova nota caratteristica reale* di differenziazione, aggiunta alla contingenza. » Utique, omne finitum est contingens ; et omne contingens est limitatum ; et omne limitatum et contingens est causatum seu creatum ; sed oportet reddere *rationem omnium attributorum*, ob quae res finitae et contingentes indigent interventione Causae Primae ut existant. Ac si respondetur : *Quia creatae sunt*, incurritur petitio principii. Praeterea : negatur quod independenter a reali compositione *esse* et essentiae res sint finitae nec limitatae nec contingentes : ut supra ostensum manet. Absque reali compositione substantiae et *esse* in omnibus, praeter Deum, omnia essent *unum*, *infinitum*, *increatum*, *ens per essentiam*, *actus purus*, *ipsamet* Dei *substantia* : ut D. Thomas docet *II. C. Gent.* cap. 52. Hic tanguntur radices ac fundamenta Philosophiae Primae.

CAPUT UNDECIMUM

Metaphysica D. Thomae et Disputationes Metaphysicae Suarezii.

PRIMO : **Suarez recedit a doctrina D. Thomae circa ipsa Metaphysicae fundamenta.** — D. Thomas enim perpetuo ac constanter tradit, dilucide evolvit ac solide ostendit, quod in solo Deo *esse* et essentia sunt idem ; in omnibus autem aliis differt essentia rei et *esse* eius. « Hanc thesim (inquit Cardinalis Gonzalez [1]) Angelicus Doctor habet *tamquam veritatem fundamentalem* Philosophiae Christianae ; eam sexcentis plus minus locis vehementer propugnat ; ac ex eadem colligit ac constituit *unam e differentiis primariis*, quibus Deus a creaturis secernitur. » Suarez autem per totam suam *Disputationem XXXI.* ut ex supradictis patet, conatur, sudat ac laborat ad probandum quod realis compositio substantiae et *esse* in omnibus, quae sub Primo Ente sunt, est « sine probatione conficta » ; « superflua » ; « plane impossibilis [2]. »

SECUNDO : **Suarez recedit a D. Thoma circa notionem entis.** — « Doctor quippe Angelicus (ait Michaeli de Maria [3]) ex illa veritate exorsus, quod entia creata sunt realiter composita ex essentia et *esse*, explicat proprium conceptum entis ab intellectu nostro efformatum, per hoc quod ens significat *id quod habet esse*, seu *id quod est*... Ex eo D. Thomas infert Deum non esse in genere, quia ens praedicatum de

[1] *Philosoph. elementaria*, vol. 2. ; *Ontolog.* cap. 1. a. 2. thes. 2.
[2] *Disp.* XXXI. sect. 5. nº 10. et 12.
[3] *Ontologia*, I. Part. tract. 1. q. 1. a. 5. et q. 2.

Deo non significat quidditatem habentem *esse*, sed ipsum *esse* cum quidditate identificatum... Huic Angelici Praeceptoris nobilissimae doctrinae, quae versatur circa ipsa Metaphysicae fundamenta, quaeque consequenter longius serpit, totamque philosophiam late pervadit, e regione opponuntur placita philosophiae Scotisticae. Scotus quidem exordia ducit ab identitate essentiae et existentiae in naturis creatis, et exinde deducit *ens* significare praedicamenta mediate, esse *univocum* Deo et creaturis, substantiae et accidenti. Licet non admittat Deum esse in genere, tamen hoc ab ipso non asseritur consequenter... » Quod ergo de Scoto dicitur, de Suarezio venit similiter asserendum. Suarez namque etiam exordia ducit ab identitate essentiae et existentiae ; et recedens a D. Thomae, per viam Scoti graditur ; ac tametsi non ita clare ad Scoti conclusiones semper audeat pervenire, indicat tamen et appropinquat. Atque ita, dum D. Thomas ex identitate *esse* et essentiae in Deo atque ex reali utriusque compositione in creatis, concludit quod « diversa habitudo ad *esse* impedit univocam praedicationem entis ; et nullo modo de Deo et creatura dicitur ; et per consequens nec aliquid aliorum praedicabilium, inter quae est ipsum primum ens ; existente enim diversitate in primo, oportet in aliis diversitatem inveniri [1]. » — Suarez, e contra, Scoti premens vestigia, scribit : *a*) « Illud ipsum quod abstractum est in *ente*, potest ad inferiora comparari sicut aliae ideae ; non est enim maior repugnantia in conceptu entis quam in aliis communibus, sed potius est eadem ; quia totus ille conceptus est in ipsis inferioribus. » *b*) « Nunc solum assero omnia quae diximus de *unitate* conceptus entis, longe clariora et certiora videri, quam quod *ens* sit *analogum ;* et ideo non recte propter defendendam *analogiam*, negari *unitatem* conceptus ; sed si alterum negandum esset, potius *analogia*, quae incerta est, quam *unitas* conceptus, quae rectis rationibus videtur demonstrari, esset neganda [2]. » Posito quolibet, sequitur quodlibet. Ad identitatem quidem *esse* et essentiae in rebus creatis

[1] *De Pot.* q. 7. a. 7.
[2] *Disput.* II. sect. 2. n. 34.

sequitur necessario univoca praedicatio entis de Deo et creatura.

TERTIO : **Suarez consequenter recedit a doctrina D. Thomae circa notiones ontologicas esse, et essentiae, et subsistentiae, et substantiae, et huiusmodi.** — Quoniam ex diversa notione entis pendet ac oritur diversitas in notionibus *esse* et essentiae et subsistentiae et substantiae et naturarum omnium, quae in praedicamento collocantur, ontologice declarandis ac recte definiendis. D. Thomas enim procedit ex notione entis, in qua includuntur haec duo realiter diversa, nempe *id quod est* et *esse*. Unde ait : « Intellectus noster hoc modo intelligit *esse*, quomodo invenitur in rebus inferioribus, a quibus scientiam capit, in quibus *esse* non est subsistens, sed inhaerens. Ratio autem invenit, quod aliquod *esse* subsistens sit ; licet hoc, quod dicunt *esse*, significetur per modum concretionis. Tamen intellectus, attribuens *esse* Deo, transcendit modum significandi, attribuens Deo id quod significatur, non autem modum significandi [1]. » Et iterum : « Licet in Deo distinguantur *quod est* et *esse*, ratione, non tamen sequitur quod possit cogitari non esse [2]. » — At Suarez errat in porta, cum non intret in interiora Metaphysicae per compositionem realem essentiae et *esse* in entibus creatis. Quapropter necesse est ut a doctrina philosophica D. Thomae recedat, dum procedit ulterius ad notiones existentiae et essentiae, et subsistentiae, et substantiae declarandas atque ostendendas. Sic, ut exemplum aliquod afferamus, Angelicus Doctor tradit : « *Esse*, in quantum *esse*, non potest esse diversum [3]. » Suarez autem : « In ipsis existentiis est diversitas... Tanta est distinctio inter existentias quanta est inter essentias [4]. » — Angelicus Doctor ibidem : « *Esse* subsistens oportet esse infinitum, quia non terminatur aliquo recipiente ». Suarez vero ibidem : « *Esse* creatum

[1] *De Pot.* q. 7. a. 2. ad. 7.
[2] *De Verit.* q. 10. a. 12. ad. 9.
[3] *II. C Gent.* cap. 52. et 53.
[4] *Disput.* 31. sect. 13.

potest esse irreceptum ; nego tamen inde sequi quod sit illimitatum et infinitum. » — Angelicus Doctor ibidem : « Impossibile est igitur esse aliquod subsistens praeter Primum. » Suarez autem ibidem : « Nondum est satis demonstratum quod *esse* subsistens sit proprium Divini Esse. » — Angelicus Doctor ibidem : « *Esse*, quod est ens subsistens, oportet quod sit non causatum. » Et iterum : « Omne ens creatum oportet quod sit compositum saltem ex *esse* et *eo quod est*. » Suarez vero ibidem : « Non esse necessarium omne ens creatum includere aliquam compositionem realem. » — Angelicus Doctor ibidem : « In substantia intellectuali creata inveniuntur duo, sc. substantia ipsa et *esse* eius quod non est ipsa substantia. » Suarez vero ibidem : « Essentiam et existentiam non distingui in re ipsa. » — Angelicus Doctor ibidem : « Ipsum autem *esse* est complementum substantiae existentis. » Suarez vero : « Subsistentia est complementum existentiae. » — Angelicus Doctor ibidem : « Ipsum igitur *esse* inest substantiis creatis ut quidam actus earum. » Suarez vero, utpote identificans ipsum *esse* cum substantia cuius est actus, cogitur dicere : « *Esse* substantiae creatae est esse subsistens. » — Angelicus Doctor : « *Esse* in creatis nec est substantia nec pars essentiae substantialis [1]. » Suarez vero : « *Esse* in creatis est ipsamet essentia et substantia. » Quaenam ergo in via Suarezii erit responsio ad doctrinam Spinozae : *Existere pertinet ad naturam substantiae* [2] ?

QUARTO : **Suarez consequenter recedit a doctrina D. Thomae circa notionem materiae primae.** — D. Thomas docet :

[1] I. q. 3. a. 7. ad 1. — *Quodl.* 12. a. 5. — *Quodl.* 9. a. 6. — *Quodl.* 2. a. 3. — *De Pot.* q. 5. a. 4. ad 3.

[2] Nihilominus P. CHOSSAT, S. I., loquens de Suarezio et de Spinoza, serio affirmat, quod Spinoza « voyait avec raison qu'il ne pouvait établir les principes de son panthéisme agnostique qu'autant qu'il aurait détruit la doctrine du théologien espagnol (Suarez) sur les rapports de l'essence et de l'existence. » — ... *Risum teneatis, amici* ? (Vide *Destruction des destructions* du R. P. CHOSSAT, à propos de l'article sur *La nature de Dieu*. Dictionnaire de théolog. catholique, fasc. XXIX., par le R. P. GARDEIL, O. P., *Revue Thomiste*, 18me année, mars et mai 1910.)

« Magis repugnat materiae esse actu sine forma, quam accidenti sine subiecto. Dicere igitur materiam praecedere sine forma, est dicere : *ens in actu sine actu*, quod implicat contradictionem [1]. » Rursus : « Dicere ergo quod materia sit in actu sine forma, est dicere contradictoria esse simul ; unde a Deo fieri non potest [2]. » — Suarez vero dicit : « Primum (carere omni forma substantiali) dici non potest, quia repugnat naturae materiae, licet *non implicet contradictionem* [3]. » « Materia est pura potentia receptiva in ordine ad actum formalem, non vero ad *actum entitativum*, seu *existentiae*... Materia prima habet *propriam existentiam partialem* [4]. » Et adhuc : « Ipsa materia constat ex *esse* et essentia, natura et subsistentia [5]. » Huiusmodi metaphysica non videtur esse *transphysica*. Omnia entia, iuxta Suarezium, habent propriam existentiam ; etiam materia prima importat in sua propria entitate actum existentiae ; sicque ex pluribus actibus componitur unus actus, atque ex multis existentiis partialibus constituitur existentia totalis. In composito tot *esse*, quot entitates. Suarez, sicut Scotus, naturam *entis* et *unius* per compositionem non videtur recte declarare. Dum e contra, Angelicus Doctor constanter docet, quod « *esse* proprie et vere non attribuitur nisi rei per se subsistenti » ; quod... *esse* est id in quo fundatur unitas suppositi » ; quod accidentibus, et formis substantialibus non subsistentibus et partibus quibuslibet non attribuitur *esse* nisi ut *quo aliquid est*. *Esse* est semper actus solius entis subsistentis [6].

Quinto : **Suarez recedit a doctrina D. Thomae in quaestione de existentia Dei demonstranda.** — Dum enim Angelicus Doctor, I. q. 2. a. 3. ascendit per illas quinque vias quibus Deum esse demonstrative probari potest, usque ad primum movens quod a nullo movetur, et primum efficiens

[1] I. q. 66. a. 1.
[2] *Quodl.* 3. a. 1.
[3] *Disput.* XX. sect. 1. n. 18.
[4] *Disput* XXXI. sect. 11. n. 8. et 10.
[5] *Disput.* XXXI. sect. 13. et *Disp.* XIII. sect. 15.
[6] *Quodl.* 9. a. 3. et alibi passim.

non habens causam, et primum necessarium, et primum ens, et primum intelligens : Suarez declarat incertam primam viam, et secundam aliter quam D. Thomas conatur explanare ; atque ex his duabus viis, quas Suarez videtur claudere et obscurare, pendent reliquae, quae in ultima resolutione ad primam et secundum reducuntur. De prima namque via ita scribit : « Principium illud, in quo tota illa ostensio fundatur : *Omne quod movetur, ab alio movetur*, adhuc non est satis demonstratum in omni genere motus vel actionis ; nam multa sunt, quae per *actum virtualem* videntur sese movere et reducere ad *actum formalem*, ut in appetitu seu *voluntate* videre licet, et in aqua reducente se ad pristinam frigiditatem. Idem ergo accidere potest in motu locali... Quomodo ergo ex principiis tam incertis potest vera demonstratio confici, qua probetur Deum esse [1] ? » D. Thomas, e contra, habet tale principium tamquam certissimum, ex cognitione terminorum patens, per se evidens. Nam idem est ac dicere : *Omne quod reducitur de potentia in actum, ab aliquo alio, quod iam est in actu, reducitur*. Unde D. Thomas tamquam ex evidenti principio concludit : « Impossibile est ergo, quod secundum idem et eodem modo aliquid sit movens et motum, vel quod moveat seipsum. Omne ergo quod movetur, oportet ab alio moveri [2]. » — Secundam autem viam, ex ratione causae efficientis sumptam, Suarez laborat obscurare. Ait enim : « In causis per se subordinatis non repugnat infinitas causas, si sint, simul operari [3]. » D. Thomas, e contra : « Non autem est

[1] *Disput.* 29. sect. 1.

[2] I. q. 2. a. 3.

[3] *Disput.* 29. sect. 1. et 2. — Circa hoc principium scribit Sylvester Maurus, S. I. *Qu. Metaph.* tom. 3. q. 8. ad. 1. « Scotus et alii videntur passi aequivocationem circa intelligentiam huius principii : *Omne quod movetur, ab alio movetur*. Videntur enim intellexisse illud negative, ut sensus sit : *Nihil movetur a seipso ;* et contra illud congesserunt instantias animalium et aliorum quae movent seipsa. At sensus principii est affirmativus. Nec enim negatur, quod possit aliquid movere seipsum, partialiter concurrens ad suum motum ; sed asseritur, quod non potest movere seipsum totaliter, et tamquam *perfectâ sufficientiâ*, sed debet ab aliquo alio moveri ad hoc ut se moveat. In hoc sensu, bene penetranti terminos, est manifestum, quod

possibile (inquit) quod in causis efficientibus procedatur in infinitum ; quia in omnibus causis efficientibus ordinatis primum est causa medii, et medium est causa ultimi ; sive media sint plura, sive unum tantum. Remota autem causa, removetur effectus. » At in causis subordinatis, quas ponit Suarez, primum non est causa medii, nec medium causa ultimi ; sed omnes causae simul agentes influunt, non una in alteram, et, mediante hac, in effectum ; verum omnes influunt in eundem effectum per *concursum simultaneum ;* dum in causis subordinatis, quas ponit Angelicus Doctor, causa prima efficiens movet et movendo complet virtutem causae secundae ipsamque coniungit effectui per *physicam praemotionem.* En secretum diversitatis inter doctrinam Suarezii et doctrinam D. Thomae !

Sexto : **Suarez recedit a doctrina D. Thomae circa notionem infiniti et finiti.** — D. Thomas, ut ex dictis patet

omne quod movetur, hoc est, intrinsece aliter et aliter se habet, nunc habendo aliquod *esse*, nunc eodem carendo, *non est sibi tota causa habendi hoc intrinsecum esse.* » Ad quod addit P. Billot, S. I., *De Deo uno*, q. 2. Thes. 4. : « Ne dicas quod, licet careat *formaliter* perfectione illa, adhuc tamen illam habet *aequivalenter* sive *virtualiter.* Unum enim de duobus : Vel ita habet aequivalenter, ut praecontineat quidquid positivi est in perfectione formaliter accepta : et tunc non potest dari motus ad talem perfectionem ; quia repugnat motus positivus, per quem nihil positivi acquiratur. Vel habet perfectionem virtualiter, id est, solum in *actu primo*, et tunc non est per se ipsum adaequate sufficiens habere *actum secundum*, qui multum addit supra *primum ;* sed indigere recipere, et indigentia recipiendi excludit perfectam sufficientiam dandi, ut in terminis evidens est. » Haec recte ac vere P. Billot. Sed quod P. Billot et P. Maurus dicunt de *Scoto*, dicenda sunt de *Molina* et de *Suarezio.* Apte quoque ad rem D. Mercier, *Ontologie* 3me édit. 1902, p. 375. : « Suarez estime que ce principe est le fruit d'une induction ; il n'a pas assez remarqué que le mouvement signifie ici n'importe quel changement. Le principe a pour subjet : *Ce qui subit une influence*, et dans cette acception métaphysique il a pour formule : *Nihil transit de potentia in actum nisi per aliquid ens in actu...* Ce principe est en matière nécessaire, analytique. » Vide infra lib. 3. cap. 1. Confer etiam opus nostrum *De gratia et libero arbitrio*, vol. 2. cap. 10. et vol. 3. cap. 5. *De Scient. media*, VI. *Argumenta P. Billot.*

atque ex dicendis amplius adhuc patebit, declarat notionem infiniti ex identitate essentiae et *esse ;* notionem vero finiti, ex reali compositione substantiae et *esse* quod est actus substantiae. *Esse irreceptum, esse subsistens:* en ratio infiniti. *Esse receptum, esse inhaerens substantiae:* en ratio finiti [1]. At Suarez tamen per aliam graditur viam : « Superest (ait) dicendum breviter de alia via demonstrandi infinitatem Dei a priori ex aliquo eius attributo prius demonstrato. Et hoc modo probat D. Thomas, I. q. 7. a. 1. Deum esse infinitum ex eo quod est ipsum *esse* per essentiam, in nulla essentia receptum, sed per se subsistens. Cuius rationis vim putant discipuli D. Thomae fundari in hoc, quod in Deo non distinguitur ex natura rei *esse* ab essentia ; in creaturis autem distinguitur. Existimantque nullum *esse* finiri aut limitari nisi quatenus in essentia finita recipitur... Ita ergo concludunt Esse Divinum, quod omnino irreceptum est, esse infinitum. Atque hoc modo intelligunt hanc rationem Caietanus ibi, et Capreolus, *I. Sent.* dist. 43. q. 1. a. 1. et Ferrariensis, *I. C. Gent.* cap. 43. eamque defendunt ab impugnationibus Aureoli dicta dist. 43., et Scoti in I. dist. 2. q. 1... Ego vero existimo rationem non esse efficacem, si in hoc fundetur, quod essentia non potest esse finita nisi sit potentia vere ac proprie receptiva ipsius *esse ;* et e converso, *esse* non potest esse finitum, nisi sit vere receptum in essentia tamquam in potentia proprie passiva ac receptiva. Nam etiam in creaturis falsum esse existimo essentiam et *esse* hoc modo comparari, ut in *Disputatione* sequenti XXXI. late dicturus sum [2]. » Haec Suarez. De lata vero eiusdem *Disputatione* etiam iam late dictum est ; et quomodo Suarez salvet notam characteristicam inter finitum et infinitum, manet quoque in perspicuo positum.

Septimo : **Suarez recedit a doctrina D. Thomae in quaestione de veritate creationis demonstranda.** — Iuxta doctrinam D. Thomae, de ratione causati est compositio

[1] I q. 3. a. 4. ; q. 7. a. 1. — *I. C. Gent.* cap. 43. — *II. C. Gent.* cap. 52. et alibi passim. — Et supra cap. 2.

[2] *Disput.* 30. sect. 2.

realis essentiae et *esse*; atque lapis angularis ad veritatem creationis demonstrative probandam habetur ex hoc quod : *Solus Deus est suum esse; in omnibus autem aliis differt essentia rei et esse eius*, ut supra lib. 1. cap. 6. manet indicatum, ac amplius declaratur infra lib. 3. cap. 5. et lib. 4. cap. 2. Suarez autem ex contingentia rerum laborat ascendere per *viam inductionis* ad hanc altissimam veritatem Philosophiae Primae ostendendam. « Probatur (inquit) inductione, incipiendo a rebus materialibus. In primis inquiro de corporibus coelestibus an facta sint, an infecta.

... Venio ergo ad inferiorem mundum ; et interrogo, an haec moles facta sit necne ; non potest dici esse non facta... Supererat dicendum, ad complendum ad hanc inductionem, de intelligentiis seu de rebus immaterialibus [1]. » Utrum autem Suarez per *viam inductionis* perveniat ad demonstrandam creationem, an non : relinquimus iudicio sapientium ; sed abs dubio, quod via Suarezii non est via D. Thomae.

Octavo : **Suarez recedit a doctrina D. Thomae circa principium individuationis in substantiis corporeis.** — D. Thomas docet : « Sciendum est, quod materia, non quomodolibet accepta, est principium individuationis, sed solum materia signata. Et dico materiam signatam, quae sub certis dimensionibus consideratur. Haec autem materia in definitione hominis, in quantum hominis, non ponitur ; sed poneretur in definitione Socratis, si Socrates definitionem haberet ; in definitione autem hominis ponitur materia non signata [2]. » Suarez vero tradit : « Omnem substantiam singularem seipsâ seu per entitatem suam esse singularem ; neque alio indigere individuationis principio praeter suam entitatem, vel praeter principia intrinseca quibus eius entitas constat. Nam si talis substantia, physice considerata, simplex sit, ex se et sua simplici entitate est individua ; si vero sit composita, v. g. ex materia et forma unitis, sicut principia entitatis eius sunt materia, forma et unio earum, ita eadem in individuo sumpta

[1] *Disputat.* 20. sect. 1.

[2] *De Ente et Essent.* cap. 2. — In Boëtii *De Trinit.* q. 4. a. 2.

sunt principia individuationis eius ; illa vero, cum sint simplicia, seipsis individua erunt [1]. » De hac sententia, quae est sententia Aureoli et Durandi et aliorum, addit Suarez ibidem : « Mihi tamen videtur omnium clarissima... Est igitur vera haec sententia, recte explicata. » De sententia vero D. Thomae antea dixerat : « Argumenta facta contra hanc sententiam aliis modis expositam, plane concludunt non posse materiam signatam esse huiusmodi principium [2]. »

Nono : **Suarez recedit a doctrina D. Thomae circa influxum Causae Primae in causas secundas.** — Suarez ipse fatetur : 1° « Verum est D. Thomam, *De Pot.* q. 7. a. 3. addere... *virtutem instrumentalem fluentem*, quam recipit causa secunda a Prima, ut agat tamquam instrumentum eius. » 2° « Discursus, quem facit in dicto a. 7. *De Pot.* non est efficax. Fundatur enim in eo, quod causa secunda non potest efficere *esse* existentiae nisi per modum instrumenti : quod, proprie et in rigore loquendo de instrumento, verum non est, ut in solutione ad 5. attingam, et latius infra, disputando de essentia creaturae in *Disput.* 31. » Et antea dicit : « Axioma illud : *Causa secunda non agit nisi mota a Prima*, intellectum in ea proprietate, quod causa, praeter suum *esse*, et omnem virtutem agendi connaturalem quam habet, indigeat novo motu, vero ac reali, in ipsa recepto, ut agat, falsum esse [3]. » Unde ex testimonio ipsius Suarezii habetur quod : 1° praemotio physica traditur a D. Thoma ; 2° ostenditur ab Angelico Doctore ex reali compositione *esse* et essentiae in creatis ; 3° et a Suarezio reicitur, tamquam falsa, ipsa praemotio, et, tamquam inefficax, ipse discursus quem D. Thomas facit ad probandum praemotionem esse necessariam ac veram.

Decimo : **Ergo Suarez in suis Disputationibus metaphysicis non ambulat per vias D. Thomae.** — Etenim, ex hucusque indicatis patet Suarezium discedere a solida

[1] *Disput.* 5. sect. 6.
[2] Ibid. sect. 3.
[3] *Disput.* 21. sect. 2.

D. Thomae doctrina in praecipuis Philosophiae Primae capitibus. Quapropter de Suarezio veniunt quoque intelligenda quae de Scoto per comparationem ad D. Thomam scripsit perillustris Societatis Iesu philosophus : « Ex his (inquit) apparet nobilissima veritas et admirabilis nexus doctrinarum qui viget in Metaphysica, quam ex Aristotele S. Thomas docuit. Doctor quippe Angelicus ex illa veritate exorsus, quod *entia creata sint realiter composita ex essentia et esse,* explicat proprium conceptum entis ab intellectu nostro efformatum, per hoc quod ens significat *id quod habet esse,* seu *id quod est*... Ens praedicatum de Deo non significat *quidditatem* habentem *esse,* sed ipsum *esse* cum quidditate identificatum... Huic Angelici Praeceptoris nobilissimae doctrinae, quae versatur circa ipsa Metaphysicae fundamenta, quaeque consequenter longius serpit, totamque Philosophiam late pervadit, e regione opponuntur placita philosophiae Scotisticae. Scotus quidem exordia ducit ab identitate essentiae et existentiae in naturis creatis ; et exinde deducit *ens* significare mediate, esse univocum Deo et creaturis, substantiae et accidenti... Quaenam autem ex istis oppositis S. Thomae et Scoti doctrinis veritati melius ac securius consulat, cordatus quisque iudicare per se potuerit ; praesertim si consideret Christianae peripatetico-scholasticae Philosophiae subversores, haud raro usos esse doctrinis a Scoto traditis de *universitate entis,* de *potentia et actu,* et de *rerum distinctione;* cum, contra, a principiis philosophandi ab Aquinate traditis semper abhorruerint. Probe intelligebant errores ab ipsis in vulgus disseminatos ex firmissimis S. Thomae principiis non confirmari, sed potius subverti, opprimique ; ideoque in aliis officinis sua arma paraverunt, et cum aliis propria iunxerunt castra. Sapientissime ergo supremus Ecclesiae Catholicae Magister, Leo XIII. P. M., iussit Philosophiam esse revocandam ad firmissima Thomae Aquinatis principia, ex quibus perperam admodum fuerat separata [1]. » Quapropter Pius X. in Encycl.

[1] P. Mich. de Maria, S. I. *Ontolog.* Tract. 1. q. 1. a. 5. *Quomodo se habeat Suarez ad doctrinam S. Thomae,* vide in

Litt. *Pascendi*, atque Motu proprio *Sacrorum Antistitum* : « Quod rei caput est (inquit), philosophiam scholasticam cum sequendam praescribimus, eam praecipue intelligimus

opere nostro *De gratia et libero arbitrio* vol. 3. cap. 9. — In ephemeride *La Science catholique*, 15 Juillet et 15 Août 1898, sub titulo : *Suarez métaphysicien, commentateur de Saint Thomas*, perspicue monstratur oppositio inter metaphysicam Suarezii et metaphysicam D. Thomae. *a*) « L'un et l'autre ont basé leur théologie sur leur philosophie ; en connaissant la base, nous pourrons logiquement porter notre jugement sur le reste de l'édifice. » *b*) « Pour Suarez, comme pour saint Thomas, le concept d'être est donc *un* ; mais lorsqu'il s'agit d'expliquer cette unité, nous sommes loin de trouver en Suarez la clarté des raisons de saint Thomas. On dirait que, préoccupé de maintenir l'unité de l'idée d'être, Suarez ne prend pas soin d'éviter l'erreur de Scot, et sans peut-être s'en douter, il reproduit sur l'être les théories du Docteur Subtil. » *c*) « Sa solution semble bien éloignée de celle de saint Thomas ... Suarez est ici en pleine contradiction, sinon avec lui-même, du moins, à coup sûr, avec saint Thomas. » *d*) « En somme, dans la théorie de l'être en général, il semble que Suarez ait préféré, à la doctrine claire et simple de saint Thomas, les subtilités de Scot... Nous ne voulons pas discuter la logique des idées de Suarez... mais il nous suffit de constater qu'il est en contradiction avec saint Thomas. Le pourquoi de cette contradiction, nous le trouvons dans la théologie de Suarez sur l'essence et l'existence. » *e*) « Saint Thomas logiquement pose donc, comme *fondement* de *sa doctrine*, la distinction réelle entre l'essence et l'existence ; Suarez au contraire, logique aussi avec lui-même, n'y voit qu'une simple distinction de raison. » *f*) « Dans le système de l'Angélique Docteur, en y réfléchissant quelque peu, on trouve cette distinction réelle, fondamentale pour la théologie de saint Thomas. » *g*) « Suarez sera obligé d'admettre, par exemple dans le mystère de la Sainte-Trinité, comme conséquence logique de sa théorie, *quatre existences* en Dieu, trois relatives et une absolue ; et il ne serait pas difficile de montrer que la non-distinction de l'essence et de l'existence le conduit à considérer le principe de contradiction comme un *principe à posteriori* (*De Trinit. lib.* 4. cap. 3. n. 7.). » *h*) « Si donc la métaphysique de Suarez s'écarte à ce point de celle de saint Thomas, qu'elle en est dans les lignes principales totalement différente, on pourra, non sans raison, s'étonner de voir Suarez nous être proposé comme un commentateur sûr et fidèle du grand Docteur. Il a pu prendre en effet à l'Ange de l'Ecole, les *mots*, les *expressions*, la *forme* du discours bref, tout ce qui fait l'*extérieur* de la doctrine scholastique ; mais à coup sûr, son système est *tout autre*, et ce serait grandement se tromper que de croire la doctrine

quae a sancto Thoma Aquinate est tradita : de qua quidquid a Decessore Nostro sancitum est, id omne vigere volumus, et, qua sit opus, instauramus et confirmamus, stricteque ab universis servari iubemus. Episcoporum erit, sicubi in Semi-

suarézienne (qu'on me pardonne le mot) la continuation, l'explication de la doctrine, je ne dirai pas thomiste, mais de saint Thomas. »

Quod quidem videtur corroborari etiam ex testimonio ipsius Suarezii, qui fatetur se semel atque iterum a suis superioribus fuisse admonitum hanc ob causam, quia nimirum opposita doctrinae D. Thomae docendo tradebat. In opere : *Storia della Compagnia di Gesu in Italia, volume primo* (*Pietro Facchi Venturi*, S. I., Roma. 1910) p. 485-87 leguntur duae epistolae Suarezii ad Rmum. P. Everardum Mercuriano Praef. General. S. I., ex. quibus haec ad litteram transcribimus. Ex 1. epistola : « De cosas que á mi toquen, sólo tengo que escrevir â V. P. cómo el P. Avellaneda (era nel 1579 visitatore della provincia dé Castilla) *me encargó encarezidamente* de parte de V. P., que en la lectura de theologia hubiese cuidado de no introducir opiniones nuevas, ni apartarme de la doctrina de Santo Tomas, lo qual, ultra de la Constitución, me lo tenia tambien encomendado el P. Provincial... » « (Valladolid, y Abril 10, 1579) » Ex 2. epist. : « Los dias pasados escrevi largo á V. P. de las cosas de este Collegio... Io leo theologia en este Collegio, y el P. Visitador (Avellaneda), quando aquí estuvo, me *advirtió* que no convenia el modo que tengo de leer, por ser tenido por particular y de *opiniones contrarias* á Santo Thomás.. Envio á V. P. un papel que el P. Visitador me dió, que contiene *todas las proposiciones* que, al parecer del que las sacó, se hallan en mis lecturas, nuevas ó *contrarias* á Santo Thomas... I lo que yo pido á V. P. en charidad es que, si, vista y examinada la doctrina y modo de proponella, se hallaren inconvenientes que importen ó cosas que no convengan, me avise con toda claridad ; porque yo deseo hacer en todo la voluntad de Nuestro Señor, y me esforzaré á mudar todo lo que pareciere convenir ; y quando no pueda, *holgaré mas de hacer otro oficio* sin quexas que éste con ellas. I si la cosa non parece digna de tanto ruido, pido á V. P. dé orden cómo yo haga *este oficio con paz y consuelo ;* porque no es razon que, costándome el trabajo que me cuesta, que es mucho, y deseando yo hacerle lo más á contento y provecho de todos que pueda, lo haga con *zozobras* y *desasosiegos*, y *con nota* en *cosa tan delicada como es la doctrina*, que, ultra de otros inconvenientes, ninguna cosa ay que tanto la desautorize como esto... Valladolid, Julio 2. 1579. De V. P. indigno hijo y siervo en Christo.

Francisco Suarez. »

Ex quibus apparet Suarezium passum fuisse aliquas tribulationes et angustias propter suas disputationes metaphysico-theologicas.

nariis neglecta haec fuerint, ea ut in posterum custodiantur urgere atque exigere. Eadem religiosorum Ordinum moderatoribus praecipimus. Magistros autem monemus ut rite hoc teneant, Aquinatem vel parum deserere, praesertim in re Metaphysica, non sine magno detrimento esse. *Parvus error in principio*, si verbis ipsius Aquinatis licet uti, *est magnus in fine.* (De Ente et Essentia, proëm.) »

CAPUT DUODECIMUM

Epilogus.

PRIMO : **Prima divisio entis realis est in ens cuius substantia est Esse, et in ens cuius substantia est potentia essendi.**

Ita D. Thomas, *VIII. Physic.* lect. 21. : « Necesse est enim, quod omnis substantia simplex subsistens, vel ipsa sit suum *esse*, vel participet *esse*. Substantia autem simplex, quae est ipsum esse subsistens, non potest esse nisi una ; sicut nec albedo, si esset subsistens, non posset esse nisi una. Omnis ergo substantia, quae est post Primam Substantiam simplicem, participat *esse*. Omne autem participans componitur ex participante et participato ; et participans est in potentia ad participatum. Ergo substantia quantumcumque simplex, post Primam Substantiam simplicem, est : *Potentia essendi*. »

Et *XII. Metaph.* lect. 4. : « Probatum est enim *VIII. Physic.* quod, cum non sit abire in infinitum in moventibus et motis, oportet devenire in aliquod primum movens immobile ; quia, etsi deveniatur in aliquod movens seipsum, iterum ex hoc oportet devenire in aliquid movens immobile, ut ibi probatum est. Si autem primum movens est sempiternum et non motum, oportet quod non sit ens in potentia ; quia quod est ens in potentia, natum est moveri ; sed quod sit substantia per se existens, et quod eius substantia sit actus. Et hoc est, quod supra concluserat. Sed necesse fuit movere dubitationem quae erat apud antiquos, ut ea soluta osten-

deretur expressius, quo ordine necesse est pervenire ad *Primum Ens, cuius substantia est Actus.* »

Secundo : **Esse proinde est de conceptu essentiali entis per essentiam ; non autem de conceptu essentiali entis per participationem.**

Caietanus in *Comment.* supra opusc. *De Ente et Essentia* cap. 6. ita declarat suprapositam propositionem : « Patet ista quoad utramque expositionem ; et quoad primam quidem : quia non est intelligibile, quod de *puro esse* non praedicetur quidditative ipsum *esse.* Si enim de eo aliquid praedicari potest quidditative, illud oportet esse ipsum *esse,* cum purum esse ponatur. Quod autem cetera non recipiant *esse* in suis quidditativis conceptibus, ex eo patet, quod cum *esse* non habeant in sua puritate, sed suis quidditatibus coaptatum, possunt secundum suas quidditates absque *esse* et *non esse* definiri. Ex his deducitur intentum sic : Ideo *existentia* est de conceptu quidditatis rei, quia res illa est *purum esse;* ideo autem res illa est *purum esse,* quia non est ad genus aliquod limitata ; ideo autem res illa non est ad genus limitata, quia est idem cum sua existentia ; igitur de primo ad ultimum : Ideo existentia est de conceptu quidditativo rei, quia res illa est eadem suae existentiae. Et quoniam si affirmatio est praecise causa affirmationis, negatio est causa negationis, ex hoc quod res creata non est eadem suae existentiae, *esse* non est de eius conceptu quidditativo. Unde cum Deus gloriosus sit suum *esse,* ipse nihil est aliud quam *Ipsum Esse,* secundum rem separatum a naturis praedicamentalibus, a sua puritate *subsistens.* »

Quod D. Thomas declaravit sic, *De Pot.* q. 7. a. 2. : « Oportet ergo, quod hoc quod est *esse,* sit substantia vel natura Dei. » Et *III. C. Gent.* cap. 65. : « *Esse* autem non est natura vel essentia alicuius rei creatae, sed solius Dei. »

Tertio : **In omni ergo ente per participationem est compositio substantiae et esse, tamquam ex potentia et actu.**

Quod ex professo ostendit D. Thomas, *II. C. Gent.* cap. 53. postquam in antecedenti cap. 52. ostenderat, quod in sub-

stantiis intellectualibus differt *èsse et quod est.* « Ex hoc autem (ait Angelicus Doctor) evidenter apparet, quod in substantiis intellectualibus creatis est compositio actus et potentiae. »

Ratio 1ª. — Quoniam in omni ente per participationem sunt *duo*, nempe substantia et *esse;* et substantia est potentia essendi, et *esse* est actus quo substantia completur in linea entis. Inter substantiam et *esse* adest proportio sicut inter realem potentiam et actum realem ; nam *esse* est complementum substantiae existentis.

Ratio 2ª. — Quoniam ipsum *esse* inest substantiis creatis ut quidam actus earum. Id autem, cui actus inest, potentia est. Unde omnis substantia creata est potentia essendi ; et *esse*, substantiae actus.

Ratio 3ª. — Quoniam substantia creata participat *esse;* ac perinde proportio unius ad alterum est sicut proportio participantis ad participatum, et perfectibilis ad perficiens, potentiae ad actum. Inter quae necessario mediat realis distinctio.

Ratio 4ª. — Quoniam *esse* est id per quod fit assimilatio cuiuslibet substantiae creatae ad Deum. Unde comparatur ad omnes formas et ad omnes perfectiones, ut actus ipsarum. *Esse* igitur complet ac perficit omnes substantias creatas. Ex quo relinquitur, quod in qualibet substantia creata sit compositio duorum, nempe substantiae ipsius et *esse* eius ; compositio non sicut ex partibus substantiae, sed sicut ex substantia et eo quod adhaeret substantiae ; sicut ex eo quod est et *esse;* sicut ex potentia et actu, quae sunt prima principia constitutiva *entis per participationem* in genere substantiae [1].

[1] *II. C. Gent.* cap. 52. — *Quodl.* 2. a. 3. ; 3. a. 20. ; 22. a. 5. — *De nat. ang.* cap. 6.

LIBER TERTIUS

DE ENTE PER ESSENTIAM, QUOD EST DEUS

PROLOGUS

Quonam sensu dicitur Deus ens per essentiam. — Ex hactenus dictis, prima divisio entis realis est in *ens per essentiam* et in ens *per participationem*. Verumtamen *ens per essentiam* dupliciter adhuc accipi potest : Uno modo, quatenus significat *ens*, cuius essentia vel natura est ipse actus essendi ; idcirco, *esse* purum atque irreceptum. Quo sane sensu solus Deus dicitur ens per essentiam ; et omnia alia dici nequeunt nisi entia per participationem. Alio autem modo, quatenus significat *ens* quod dividitur per summa genera rerum in decem praedicamenta ; atque ita exprimit naturam vel essentiam, cui competit *esse*, vel in se ut substantia, vel in alio ut accidentia. Quo quidem sensu res creatae sunt *entia per essentiam*, quibus competit *esse* per actum distinctum ab ipsa rerum substantia vel natura. At vero in hac acceptione nequit dici de Deo secundum rem, quia Deus nec est in praedicamento nec est ens compositum ex essentia et *esse*, tamquam ex potentia et actu.

Nec infinitas nec intellectio sunt rationes supremae, quae praedicantur de Deo. — Non quidem *infinitas;* nam Deus non possidet universas perfectiones, quia infinitus est ; sed ideo est infinitus simpliciter secundum suam essentiam, quia cunctas perfectiones possidet. Nec infinitas de se aliud exprimit quam remotionem limitis in divinis perfectionibus ; remotio autem limitis aliunde, secundum nostrum modum intelligendi, originem trahit. Radix namque infinitatis, quae omnia divina attributa concomitatur, inde assumenda, ubi

radicatur omnis perfectio ; omnis autem perfectio pertinet ad perfectionem essendi. In identitate igitur *esse* et essentiae radicem habet ipsa ratio infinitatis, quae ad plenitudinem essendi necessario consequitur. — Nec *intellectio ;* quia, licet intelligere sit supremus gradus participandi rationem entis, in Deo tamen non dantur gradus in participando *esse,* sed ipsamet essendi plenitudo. Praeterea, *intelligere* non est ratio comprehensiva omnium divinarum perfectionum ; nec de se dicit perfectionem infinitam nec subsistentem ; et cum intelligere Dei sit subsistens atque infinitum, inde quaerenda est ratio perfectionis infinitae in intelligendo, unde oritur identitas inter Dei intelligere et eius substantiam [1].

Ratio suprema, quae praedicatur de Deo, est ratio Esse subsistentis. — Suprema itaque inter omnia divina attributa, illa est ratio quae splendet ac refulget in termino *quartae viae,* dum per gradus perfectionum, qui in rebus inveniuntur, ascendendo pervenitur ad *Eum qui maxime est ;* ac perinde, quod est verissimum, et optimum, et nobilissimum ; ideoque quod omnibus entibus est causa essendi, et bonitatis, et cuiuslibet perfectionis. Per quas ergo vias ostenditur Deum esse, per easdem quoque demonstratur quod in Deo *esse* et *essentia* sunt idem : ex qua quidem essentiae et *esse* identitate omnes divinae perfectiones manifestantur. *Esse enim Subsistens* est ratio comprehensione plenissima claudens sub se eminenter omnem gradum perfectionis ; nam omnis perfectio pertinet ad perfectionem essendi, et nulla de perfectionibus essendi deesse potest ei cuius essentia est ipsum Esse. In subsistentia ergo actus essendi reperitur radix et ratio demonstrativa omnium divinarum perfectionum ; hic radicatur plenitudo essendi comprehensiva totius perfectionis, quae Deo soli est tribuenda, quaeque soli Deo competit, ac de solo Deo est praedicanda. Quod profecto in hoc *Tertio Libro* declarare intendimus.

[1] I. q. 14. a. 1. et 4.

CAPUT PRIMUM

Deum esse quinque viis probari potest.

I

Prima via.

Primo : **Argumentum D. Thomae.** — I. q. 2. a. 3. : « Prima autem et manifestior via est, quae sumitur ex parte motus. Certum est enim et sensu constat aliqua moveri in hoc mundo. Omne autem quod movetur, ab alio movetur ; nihil enim movetur nisi secundum quod est in potentia ad illud ad quod movetur. Movet autem aliquid secundum quod est actu ; movere enim nihil aliud est quam educere aliquid de potentia in actum. De potentia autem non potest aliquid reduci in actum nisi per aliquod ens in actu ; sicut calidum in actu, ut ignis, facit lignum, quod est calidum in potentia, esse actu calidum, et per hoc movet et alterat ipsum. Non autem est possibile, ut idem sit simul in actu et potentia secundum idem, sed solum secundum diversa. Quod enim est calidum in actu, non potest simul esse calidum in potentia, sed est simul frigidum in potentia. Impossibile est ergo quod, secundum idem et eodem modo aliquid sit movens et motum, vel quod moveat seipsum. Omne ergo quod movetur, oportet ab alio moveri. Si ergo id, a quo movetur, moveatur, oportet et ipsum ab alio moveri, et illud ab alio. Hic autem non est procedere in infinitum ; quia sic non esset aliquod primum movens, et per consequens nec aliquod aliud movens ; quia moventia secunda non movent nisi per hoc quod sunt mota a primo movente, sicut baculus non movet nisi per hoc quod est motus a manu. Ergo necesse

est devenire ad aliquod primum movens, quod a nullo movetur ; et hoc omnes intelligunt *Deum.* »

SECUNDO : **Argumentum huius primae viae in forma.** — Certum est enim et sensu constat aliqua moveri in hoc mundo. Ergo necesse est devenire ad aliquod primum movens quod a nullo movetur. Ergo existit Deus.

Omne quod movetur, oportet ab alio moveri. In moventibus autem et motis, per se ordinatis in movendo, non datur processus in infinitum. Ergo ex his, quae in hoc mundo moventur, necesse est devenire ad aliquod primum movens immobile, sc. Deum.

TERTIO : **Omne quod movetur, oportet ab alio moveri.** — Sic ostenditur a D. Thoma : *a*) I. q. 2. a. 3. : « Movere nihil aliud est quam educere aliquid de potentia in actum. De potentia autem non potest aliquid reduci in actum nisi per aliquod ens in actu ; sicut calidum in actu, ut ignis, facit lignum, quod est calidum in potentia, esse actu calidum, et per hoc movet et alterat ipsum quod est in potentia. Non autem est possibile, ut idem sit simul in actu et potentia secundum idem... Impossibile est ergo, quod secundum idem et eodem modo aliquid sit movens et motum, vel quod moveat seipsum. Omne ergo quod movetur, oportet ab alio moveri. »

b) *Comp. Theol.* cap. 3. : « Cum enim quod movetur, omne in quantum huiusmodi, sit in potentia, quod autem movet, sit in actu : si secundum idem esset movens et motum, oporteret quod secundum idem esset in potentia et in actu, quod est impossibile. »

c) *I. C. Gent.* cap. 13. : « Nihil enim est simul in actu et in potentia respectu eiusdem ; sed omne quod movetur, in quantum huiusmodi, est in potentia ; quia motus est *actus existentis in potentia secundum quod huiusmodi*. Omne autem quod movet, est in actu in quantum huiusmodi ; quia nihil agit nisi secundum quod est in actu. Ergo nihil est, respectu huiusmodi, movens actu et motum ; et *sic nihil movet seipsum.*»

d) *I. Sent.* dist. 8. q. 3. a. 1. ad 3. : « Impossibile est aliquid

movere seipsum nisi secundum diversas partes, ita quod una pars sit movens et alia mota ; sicut etiam in animali est anima movens et corpus motum. Cuius ratio est, quia nihil movet nisi secundum quod est in actu, nec movetur nisi secundum quod est in potentia ; et haec duo non possunt inesse simul eidem respectu eiusdem. Et quia Deus est simplex, non potest esse quod seipsum moveat, proprie loquendo.»

Quarto : **In moventibus autem et motis, per se ordinatis in movendo, non datur processus in infinitum.** — Quod sic probatur a D. Thoma :

a) I. q. 2. a. 3. : « Moventia secunda non movent nisi per hoc quod sunt mota a primo movente, sicut baculus non movet nisi per hoc quod est motus a manu. » Si autem in moventibus et motis, per se ordinatis in movendo, in infinitum procederetur, « sic non esset aliquod primum movens, et per consequens nec aliquod aliud movens. »

b) *I. C. Gent.* cap. 13. : « In moventibus et motis ordinatis, quorum sc. unum per ordinem ab alio movetur, hoc necesse est inveniri quod, remoto primo movente vel cessante a motione, nullum aliorum movebit neque movebitur ; quia primum est causa movendi omnibus aliis. Sed si sunt moventia et mota per ordinem in infinitum, non erit aliquod primum movens, sed omnia erunt quasi media moventia. Ergo nullum aliorum poterit moveri ; et sic nihil movebitur in mundo. »

c) Ibidem : « Alia probatio in idem redit, nisi quod est ordine transmutato, incipiendo sc. a superiori ; et est talis, *VII. Physic.:* Id quod movet instrumentaliter, non potest movere nisi sit aliquid quod principaliter moveat. Sed si in infinitum procedatur in moventibus et motis, omnia erunt quasi instrumentaliter mota, quia ponentur sicut moventia mota ; nihil autem erit sicut principale movens ; ergo nihil movebitur. »

d) *Comp. Theol.* cap. 2. : « Hoc autem in infinitum procedere impossibile est. Cum enim omne quod movetur ab aliquo, sit quasi instrumentum quoddam primi moventis, si primum movens non sit, quaecumque movent, instrumenta erunt. Oportet autem, si in infinitum procedatur in moven-

tibus et motis, primum movens non esse. Igitur omnia infinita moventia et mota erunt instrumenta. Ridiculum est autem, etiam apud indoctos, ponere instrumenta moveri nisi ab aliquo principali agente ; simile enim est hoc ac si aliquis constitutionem arcae vel lecti ponat serram vel securim absque carpentario operante. Oportet igitur primum movens esse, quod sit omnibus supremum ; et hoc dicimus *Deum.* »

QUINTO : **Observatio circa hanc primam viam.** — Harum quinque viarum prima, quae sumitur ex parte motus, incipit a facto manifesto ac sensibili, quod testimonio sensuum certo constat. Certum est enim et sensu constat *aliqua moveri* in hoc modo. In via ista prima non consideratur in rebus, quae moventur, nisi *sola potentia passiva*, qua ipsae res motui ac mutationibus subiiciuntur ; et hoc apparet ex exemplis, quibus D. Thomas illustrat demonstrationem ; v. g. lignum respectu caloris non habet nisi potentiam passivam et receptivam, et ex calido in potentia fit calidum in actu per hoc quod ignis, qui est calidus in actu, movet et alterat ipsum ; et similiter baculus, qui non movet lapidem nisi per hoc quod est motus a manu.

Et hoc apparet etiam ex ipsa natura motus ; quia motus est *actus existentis in potentia prout in potentia ;* actus quidem qui, prout exit a movente, est *actio ;* et prout recipitur in re mota, est *passio.* Movere enim est educere aliquid de potentia in actum. Unde omne quod movetur, in quantum movetur, est in potentia passiva ; et omne quod movet, in quantum movet, est in actu.

Exinde fit manifestum illud : *Omne quod movetur, oportet ab alio moveri.* Nihil enim movet nisi secundum quod est in actu, nec movetur nisi secundum quod est in potentia ; et haec duo non possunt inesse simul eidem respectu eiusdem. Movere est agere ; moveri est pati. Movere est dare ; moveri est recipere. Unde, proprie loquendo, nihil movet seipsum ; nihil educit se de potentia in actum ; nihil dat sibi quod non habet ; et impossibile est, quod secundum idem et eodem modo aliquid sit movens et motum ; sicut impossibile est, ut idem sit simul in actu et potentia secundum idem.

Hic autem non est procedere in infinitum. Nam cum omne quod movetur, oporteat ab alio moveri, ideo moventia secunda non movent nisi mota, sicut baculus non movet nisi motus a manu. Unde omnia moventia secunda, cum non moveant nisi per hoc quod sunt mota, se habent ut instrumenta. Procedere itaque in infinitum in moventibus et motis per se ordinatis in movendo, idem est ac ponere instrumenta moveri sine aliquo principali agente ; baculum sc. movere lapidem sine manu ipsum movente ; serram vel securim incidere arcam absque carpentario operante. Quod idem sonat ac ponere effectum sine causa, cum primum movens sit causa movendi omnibus aliis.

Necesse est igitur devenire ad aliquod primum movens, quod sit omnibus supremum, et quod, cum sit fons totius motus, a nullo moveatur ; et hoc dicimus et omnes intelligunt *Deum.*

II

Secunda via.

Primo : **Argumentum D. Thomae.** — I. q. 1. a. 3. : « Secunda via est ex ratione causae efficientis. Invenimus enim in istis sensibilibus esse ordinem causarum efficientium ; nec tamen invenitur nec est possibile, quod aliquid sit causa efficiens suiipsius ; quia esset prius seipso, quod est impossibile. Non autem est possibile quod in causis efficientibus procedatur in infinitum ; quia in omnibus causis efficientibus ordinatis primum est causa medii, et medium est causa ultimi ; sive media sint plura, sive unum tantum. Remota autem causa, removetur effectus. Ergo, si non fuerit primum in causis efficientibus, non erit ultimum, nec medium. Sed si procedatur in infinitum in causis efficientibus, non erit prima causa efficiens ; et sic non erit nec effectus ultimus, nec causae efficientes mediae : quod patet esse falsum. Ergo est necesse ponere aliquam causam efficientem primam, quam omnes *Deum* nominant. »

SECUNDO : **Argumentum huius secundae viae in forma.** — Invenimus in istis sensibilibus esse ordinem causarum efficientium. Ergo est necesse ponere aliquam causam efficientem primam, quam omnes *Deum* nominant.

Non est possibile, quod aliquid sit causa efficiens suiipsius. Non autem est possibile, quod in causis efficientibus, per se ordinatis in causando, procedatur in infinitum. Ergo, praesupposito ordine causarum efficientium qui in istis sensibilibus invenitur, necesse est ponere aliquam causam efficientem primam, videlicet *Deum*.

TERTIO : **Non est possibile, quod aliquid sit causa efficiens suiipsius.** — Haec propositio habet vim axiomatis, ac fere ex terminis patet. Unde D. Thomas sic breviter ostendit eius veritatem : « Quia esset prius seipso, quod est impossibile. » Impossibile est igitur, quod aliquid sit causa efficiens suiipsius, universaliter loquendo, in quocumque genere entitatis seu perfectionis, tam in *ordine essendi* quam in *ordine operandi*, in ratione entis sicut in ratione causae efficientis. Si enim aliquid esset causa efficiens suiipsius *in ordine essendi*, in quantum est ens, esset prius seipso et ageret antequam esset : quod est impossibile. — Si vero aliquid esset causa efficiens sui ipsius *in ordine operandi*, in quantum est causa efficiens, tunc etiam sequeretur quod esset causa efficiens suiipsius in ordine essendi et in quantum est ens ; nam operari est quoddam *esse*, et ratio causae efficientis est ratio cuiusdam entitatis ac perfectionis. Ac praeterea, efficeret antequam esset causa efficiens actu ; ageret antequam haberet operationem ; esset prius seipso, reduplicative *ut causa agens :* quod est impossibile. Similiter namque implicat aliquid agere sine actu, sicut aliquid existere sine actu essendi.

QUARTO : **Non autem est possibile, quod in causis efficientibus, per se ordinatis in causando, procedatur in infinitum.** — Ratio est : « Quia in omnibus causis efficientibus ordinatis primum est causa medii, et medium est causa ultimi ; sive media sint plura sive unum tantum. » Unde ipsum *agere* omnium causarum efficientium, quae sunt causae efficientes

mediae, habet *rationem causati* respectu causae primae. Et quia, remota causa, removetur effectus, idcirco si non daretur primum in causis efficientibus, non daretur ipsum *agere* causarum efficientium secundarum ; et sic nec daretur *effectus ultimus*, qui ex actione ultimae causae efficientis fit et producitur.

QUINTO : **Observatio circa hanc secundam viam.** — Secunda enim via, quae sumitur ex ratione causae efficientis, etiam incipit a facto manifesto ac sensibili ; nimirum, ab ordine causarum efficientium qui in istis sensibilibus invenitur.

In via ista secunda consideratur *potentia activa*, qua ipsae res sensibiles sunt praeditae ad agendum et operandum. Et ut D. Thomas observat I. q. 46. a. 2. ad 7. via causarum ad demonstrandam Dei existentiam, non est via causarum univocarum, sed analogarum ; non est via causarum quae habent *gradum unum* in causis efficientibus, sed causarum quae, cum per se requirantur ad aliquem effectum, sunt subordinatae sub Prima Causa, a qua accipiunt *complementum* virtutis ad agendum.

Quapropter notare oportet discrimen inter primam et secundam viam. In prima enim via moventia secunda non movent nisi per hoc quod sunt mota a primo movente, sicut baculus non movet nisi per hoc quod est motus a manu ; at in secunda via causae secundae movent ex duobus : 1° ex *propria vi agendi ;* 2° ex *hoc quod sunt motae* ad agendum a Primo in causis efficientibus. Unde *potentia activa* causarum efficientium, quae sunt efficientes mediae, accipit complementum suae propriae virtutis per hoc quod causae efficientes mediae moventur et applicantur a Prima ad operandum. A Prima enim causa accipiunt omnes causae secundae complementum suae causalitatis.

Quanto agens est magis proximum et immediatum, tanto virtus eius est mediata ; et Primi Agentis virtus est immediatissima ; virtus enim Causae Primae est quasi medium, per quod virtus causae secundae suae propriae operationi coniungitur.

Atque ita effectus ultimus procedit a causa proxima, immediate immediatione suppositi ; et a Causa Prima, immediate immediatione virtutis [1].

III

Tertia via.

Primo : **Argumentum D. Thomae.** — I. q. 2. a. 3. : « Tertia via est sumpta ex possibili et necessario, quae talis est : Invenimus enim in rebus quaedam quae sunt possibilia esse et non esse, cum quaedam inveniantur generari et corrumpi, et per consequens possibilia esse et non esse. Impossibile est autem omnia, quae sunt talia, semper esse ; quia quod possibile est non esse, quandoque non est. Si igitur omnia sunt possibilia non esse, aliquando nihil fuit in rebus. Sed si hoc est verum, etiam nunc nihil esset ; quia quod non est, non incipit esse nisi per aliquid quod est. Si igitur nihil fuit ens, impossibile fuit quod aliquid inciperet esse ; et sic modo nihil esset : quod patet esse falsum. Non ergo omnia entia sunt possibilia, sed oportet aliquid esse necessarium in rebus. Omne autem necessarium vel habet causam suae necessitatis aliunde, vel non habet. Non est autem possibile, quod procedatur in infinitum in necessariis quae habent causam suae necessitatis, sicut nec in causis efficientibus, ut probatum est. Ergo necesse est ponere aliquid quod sit per se necessarium, non habens causam suae necessitatis aliunde, sed quod est causa necessitatis aliis : quod omnes dicunt *Deum.* »

Secundo : **Argumentum huius tertiae viae in forma.** —

[1] *De Pot.* q. 3. a. 7. — *II. C. Gent.* cap. 38. et *III.* cap. 70. — *I. Sent.* dist. 12. q. 1. a. 3. ad. 4. et dist. 37. q. 1. a. 1. ad. 4. — I. q. 105. a. 4. et 5. — I.-II. q. 109. a. 1.

Invenimus enim in rebus quaedam quae sunt possibilia esse et non esse, et ideo quae contingenter sunt. Ergo necesse est ponere aliquid quod sit per se necessarium, non habens causam suae necessitatis aliunde : quod omnes dicunt *Deum.*

Non omnia entia sunt possibilia seu contingentia, sed oportet aliquid esse necessarium in rebus. Sed in necessariis, quae habent causam suae necessitatis aliunde, non datur processus in infinitum. Ergo, cum certum sit quaedam incipere esse et quaedam esse desinere, necesse est ponere aliquid quod sit per se necessarium et non habens causam suae necessitatis aliunde, nempe *Deum.*

TERTIO : **Non omnia entia sunt possibilia seu contingentia, sed oportet aliquid esse necessarium in rebus.** — *Ratio* 1ª. — Possibilia entia illa sunt, quae incipiunt esse, et quae proinde aliquando non fuerunt. Sed si omnia entia essent talia, aliquando nihil fuit in rebus. Ergo etiam nunc nihil esset. Quod patet esse falsum. Oportet igitur aliquid esse necessarium in rerum natura.

Ratio 2ª. — *I. C. Gent.* cap. 15. : « Videmus in mundo quaedam quae sunt possibilia esse et non esse, sc. generabilia et corruptibilia. Omne autem quod est possibile esse, *causam habet;* quia, cum de se aequaliter se habeat ad duo, sc. esse et non esse, oportet, si ei approprietur *esse,* quod hoc sit ex aliqua causa. Sed in causis non est procedere in infinitum, ut supra cap. 13. probatum est per rationem Aristotelis. Ergo oportet ponere aliquid quod sit necesse esse. »

Ratio 3ª. — *II. C. Gent.* cap. 15. : « Omne quod est possibile esse et non esse, habet aliquam causam ; quia, in se consideratum, ad utrumlibet se habet ; et sic oportet esse aliquid aliud, quod ipsum ad *unum determinet.* Unde, cum in infinitum procedi non possit, oportet quod sit aliquod necessarium, quod sit causa omnium possibilium esse et non esse. »

QUARTO : **Sed in necessariis, quae habent causam suae necessitatis aliunde, non datur processus in infinitum.** — Ratio est : quia talis processus est processus causarum effi-

cientium, in quibus non est possibile ut in infinitum procedatur. Unde D. Thomas, *I. C. Gent.* cap. 15. : « Omne autem necessarium vel habet causam suae necessitatis aliunde, vel non, sed est per seipsum necessarium. Non est autem procedere in infinitum in necessariis quae habent causam suae necessitatis aliunde. Ergo oportet ponere aliquod primum necessarium, quod est per seipsum necessarium ; et hoc est Deus, cum sit prima causa, ut dictum est cap. 13. Igitur Deus aeternus est, cum omne necessarium per se sit aeternum. »

Ac rursus, *II. C. Gent.* cap. 15. : « Necessarium autem quoddam est habens causam suae necessitatis, in quo etiam in infinitum procedi non potest ; et sic est devenire ad aliquid quod est per se necesse esse. Hoc autem non potest esse nisi unum, ut in primo libro ostensum est (I. cap. 13. et 42.) ; et hoc est Deus. Oportet igitur omne aliud ab Ipso, reduci in Ipsum sicut in causam essendi. »

Quinto : **Observatio circa hanc tertiam viam.** — Etiam via tertia incipit a facto manifesto ac sensibili, quod invenitur in rebus corporalibus quae generantur et corrumpuntur. « Invenimus enim in rebus, ait D. Thomas, quaedam quae sunt possibilia esse et non esse ; cum quaedam inveniantur generari et corrumpi, et per consequens possibilia esse et non esse. »

In via hac consideratur *contingentia* rerum ; non quidem omnium rerum, quoniam res cunctas universi esse possibiles esse et non esse, et habere, tamquam commune attributum, *contingentiam* quoad actum existentiae, certo constare non potest, quousque non demonstretur omnia esse facta ex nihilo ab aliquo Uno, quod necessario existit ; sed *contingentia* aliquarum rerum, quae generantur et corrumpuntur, ex testimonio sensuum evidens est. Unde *contingens* hic significat rem quae incipit esse et quae esse desinit, et quae proinde aliquando non fuit. *Necessarium* autem significat rem quae semper fuit, et quae nec esse incipit nec esse desinet, sed erit semper, cum necessario sit. Atque ita ex aliquibus rebus, quae esse incipiunt, per logicum processum devenitur

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ad aliquam rem quae, cum semper fuerit, non habet causam sui *esse*.

Quapropter, si quae reperiantur entia quae semper esse potuissent, et quae perinde non semper fuisse sola fide tenetur et demonstrative probari non potest (de quo postea I. q. 46. a. 2.), huiusmodi entia, quamvis *necessaria* denominari valeant, tamen sicut habent causam sui *esse*, habent similiter causam suae necessitatis in essendo [1]. Idcirco, cum non sit possibile procedere in infinitum in necessariis quae habent causam suae necessitatis, sicut nec in causis efficientibus, devenire tandem opus est usque ad aliquid necessarium in essendo, quod non habeat causam suae necessitatis aliunde. Et hoc ens absolute necessarium omnes dicunt *Deum*. — Ceterum, ipsae res creatae dividuntur in corruptibiles et incorruptibiles, seu in *contingentes* et *necessarias*. Sed tunc, ut D. Thomas declarat *II. C. Gent.* cap. 55. : « Res dicuntur necessariae et contingentes secundum potentiam quae est in eis, et non secundum potentiam Dei, ut supra (cap. 30.) ostensum. » Quo in loco explicatur « qualiter in rebus creatis esse potest necessitas absoluta. »

IV

Quarta via.

Primo : **Argumentum D. Thomae.** — I. q. 2. a. 3. : « Quarta via sumitur ex gradibus qui in rebus inveniuntur. Invenitur enim in rebus aliquid magis et minus bonum, et verum, et nobile ; et sic de aliis huiusmodi. Sed magis et minus dicuntur de diversis, secundum quod appropinquant diversimode ad aliquid quod maxime est ; sicut magis calidum est, quod magis appropinquat maxime calido. Est igitur aliquid quod est verissimum, et optimum, et nobilissimum, et per consequens *maxime ens*. Nam quae sunt

[1] I. q. 44. a. 1. ad 2.

maximé vera, sunt maxime entia, ut dicitur *II. Metaph.* Quod autem dicitur maxime tale in aliquo genere, est causa omnium quae sunt illius generis ; sicut ignis, qui est maxime calidus, est causa omnium calidorum, ut in eodem libro dicitur. Ergo est aliquid, quod omnibus entibus est causa *esse*, et bonitatis, et cuiuslibet perfectionis ; et hoc dicimus *Deum.* »

Secundo : **Argumentum huius quartae viae in forma.** — Est aliquid in rebus, quod est verissimum, et optimum, et nobilissimum, et per consequens *maxime ens.* Quod autem dicitur maxime tale in aliquo genere, est causa omnium quae sunt illius generis. Ergo est aliquid, quod omnibus entibus est causa *esse*, et bonitatis, et cuiuslibet perfectionis, videlicet *Deus.*

Tertio : **Est aliquid in rebus, quod est verissimum, et optimum, et nobilissimum, et per consequens maxime ens.** — Quod D. Thomas ostendit sic :

Ratio 1ª. — « Invenitur enim in rebus aliquid magis et minus bonum, et verum, et nobile ; et sic de aliis huiusmodi. Sed magis et minus dicuntur de diversis secundum quod appropinquant diversimode ad aliquid quod maxime est ; sicut magis calidum est, quod magis appropinquat maxime calido. Est igitur aliquid quod est verissimum, et optimum, et nobilissimum, et per consequens *maxime ens.* »

Ratio 2ª. — *De spirit. creat.* a. 10. : « Omne quod convenit alicui per participationem, prius est in aliquo substantialiter ; sicut si ferrum est ignitum, oportet esse in rebus aliquid quod sit ignis secundum suam substantiam et naturam. Anima autem humana est intellectiva per participationem ; non enim secundum quamlibet sui partem intelligit, sed secundum supremam tantum. Oportet igitur esse aliquid superius anima, quod sit intellectus secundum totam suam naturam, a quo intellectualitas animae derivetur, et a quo eius intelligere dependeat. »

Quarto : **Quod autem dicitur maxime tale in aliquo**

genere, est causa omnium quae sunt illius generis. — Quod D. Thomas ostendit sic :

Ratio 1ª. — *II. C. Gent.* cap. 15. : « Quod alicui convenit ex sua natura et non ex aliqua causa, minoratum in eo et deficiens esse non potest. Si enim naturae aliquid essentiale subtrahitur vel additur, iam altera natura erit ; sicut et in numeris accidit, in quibus unitas addita vel subtracta speciem variat. Si autem, natura vel quidditate rei integra manente, aliquid minoratum inveniatur, iam patet quod illud non simpliciter dependet ex illa natura, sed ex aliqua alia causa, per cuius remotionem minoratur. Quod igitur alicui minus convenit quam aliis, non convenit ei ex sua natura tantum, sed ex alia causa. Illud igitur est causa omnium in aliquo genere, cui maxime convenit illius generis praedicatio ; unde etiam quod maxime calidum est, videmus esse causam caloris in omnibus calidis ; et quod maxime lucidum est, causam omnium lucidorum. Deus autem est maxime ens, ut ostensum (lib. 1. cap. 13.). Ipse igitur est causa omnium de quibus *ens* praedicatur. »

Ratio 2ª. — *Comp. Theol.* cap. 67. : « Omne quod habet aliquid per participationem, reducitur in id quod habet illud per essentiam, sicut in principium et causam ; sicut ferrum ignitum participat igneitatem ab eo quod est ignis per essentiam suam. Ostensum est autem supra, quod Deus est ipsum suum *esse* ; unde *esse* convenit ei per suam essentiam, omnibus autem aliis convenit per participationem ; non enim alicuius alterius essentia est suum *esse*, quia *esse* absolutum et per se subsistens non potest esse nisi unum, ut supra ostensum est. Igitur oportet Deum esse causam existendi omnibus quae sunt. »

Ratio 3ª. — *De angelorum natura*, cap. 7. : « Si quis ordinem rerum consideret, semper inveniet id, quod est maximum, causam esse eorum quae sunt post ipsum ; sicut ignis, qui est calidissimus, causa est caliditatis in ceteris elementatis corporibus. Primum autem principium, quod Deum dicimus, est *maxime ens*. Non enim est ire in infinitum in rerum ordine, sed ad aliquid summum devenire, quod melius est esse unum quam plura. Quod autem in universo melius est,

necesse est esse ; quia universum dependet ex essentia bonitatis eius. Necesse est igitur Primum Ens esse causam essendi omnibus. »

QUINTO : **Observatio circa hanc quartam viam.** — Quarta etiam via incipit a facto, quod manifeste constat, sc. a gradibus diversis perfectionis, qui in rebus inveniuntur. Manifestum enim est *vivens* nobilius esse *non vivente*, et *intelligens non intelligente ;* et sic de ceteris. Unde agitur de perfectionibus quae dicuntur simpliciter simplices, ut *intelligere, vivere, esse.*

Haec quarta via apparet quasi facilior intellectu. Unde D. Thomas in Opusc. 7. *Exposit. in Symb. Apostol.* cap. 3. scribit ad hoc propositum : « Et ut rationes subtiles dimittantur ad praesens, quodam rudi exemplo manifestatur propositum, quod sc. omnia sunt a Deo creata et facta. Constat enim quod, si aliquis intraret domum aliquam et in ipsius domus introitu sentiret calorem, postmodum vadens interius sentiret maiorem calorem et sic deinceps, crederet ignem esse interius, etiamsi ipsum ignem non videret qui causaret dictos calores ; sic quoque contingit consideranti res huius mundi. Nam ipse invenit res omnes secundum diversos gradus pulchritudinis et nobilitatis esse dispositas ; et quanto magis appropinquant Deo, tanto pulchriora et nobiliora invenit. Unde corpora coelestia pulchriora et nobiliora sunt quam corpora inferiora, et invisibilia visibilibus ; et ideo credendum est, quod omnia haec sunt ab uno Deo, qui dat suum *esse* singulis rebus et nobilitatem. *Sapient.* 13, 1 : Vani sunt autem omnes homines, in quibus non subest scientia Dei ; et de his quae videntur bona, non potuerunt intelligere Eum qui est ; neque operibus attendentes, agnoverunt quis esset artifex. Et infra, 5 : A magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter poterit Creator horum videri. Sic ergo pro certo debet nobis constare, quod omnia, quae sunt in mundo, a Deo sunt. »

Attamen haec quarta via perfecte intelligi non potest, nisi aliae quatuor perfecte capiantur ; quoniam per illam devenitur ad Deum, quatenus omnibus entibus est causa

essendi, et bonitatis, et cuiuslibet perfectionis ; causa, inquam, efficiens prima, et exemplaris suprema, et finalis ultima omnium rerum. Quapropter concludit plus quam est necessarium in hoc *articulo*, in quo sufficit concludere, quod datur in rerum natura aliquod primum ens. Unde conclusio huius quartae viae nonnisi in q. 44. complete demonstratur.

Ad perfectam ergo intelligentiam huius viae quartae requiritur, quod demonstretur etiam quod solus Deus est *ens per essentiam*, et cetera omnia sunt *entia per participationem*. Exinde namque verificabitur omni ex parte illud principium : *Quod est maxime tale in aliquo genere, est causa omnium quae sunt illius generis.* Etenim cum Deus sit *esse* secundum totam suam naturam, est maximum in omni genere bonitatis et nobilitatis et perfectionis ; ac perinde causa omnium, de quibus *ens* praedicatur.

Quarta itaque via desumitur ex ipsa rerum natura, atque per illam ascendendo oportet pervenire ad aliquid, cuius natura est *Esse Subsistens*, et a quo, tamquam a fonte totius *esse* et bonitatis, derivatur veritas et bonitas et pulchritudo universorum quae sunt. Sic breviter exprimitur a D. Thoma, *II. Sent.* dist. 1. q. 1. a. 1. : « Invenitur enim in omnibus rebus *natura entitatis*, in quibusdam magis nobilis, et in quibusdam minus ; ita tamen, quod ipsarum rerum *naturae* non sunt hoc ipsum *esse* quod habent , alias *esse* esset de intellectu cuiuslibet quidditatis ; quod falsum est, cum *quidditas* cuiuslibet rei possit intelligi etiam non intelligendo de ea *an sit*. Ergo oportet quod ab aliquo *esse* habeant, et oportet devenire ad aliquid cuius *natura* sit ipsum suum *esse* ; alias in infinitum procederetur ; et hoc est quod dat *esse* omnibus ; nec potest esse nisi unum, cum natura entitatis sit unius rationis in omnibus secundum analogiam. Unitas enim causati requirit unitatem in causa per se. Et haec est via Avicennae, *VIII. Metaphysicorum.* »

Principia, quibus haec via quarta innitur, sunt ista duo, quorum unum infert alterum veluti ipsius correlativum, nempe : 1^{um} *Quod dicitur maxime tale in aliquo genere, est causa omnium quae sunt illius generis.* 2^{um} *Quaecumque minus sunt aliis, non seipsis sunt ; sed ut sint, accipiunt ab eo qui*

maxime in illo genere est. Quae quidem principia veniunt postremo resolvenda in ista : 1^{um} *Quod per essentiam dicitur, est causa omnium quae per participationem dicuntur.* 2^{um} *Omne quod habet aliquid per participationem, reducitur in id quod habet illud per essentiam, sicut in principium et causam.*

Atque supradicta principia habent veritatem in ordine causae efficientis, et causae formalis seu exemplaris, et causae finalis. Veritas autem ex eo ostenditur, quod inferiora in aliquo genere perfectionis hanc perfectionem non habent a natura sua ; aliter non daretur magis et minus in huiusmodi perfectione. Quod alicui convenit minus quam aliis, non convenit ei ex sua natura tantum, sed ex alia causa. Et e contra, quod convenit alicui ex sua natura, et non ex aliqua causa, minoratum in eo et deficiens esse non potest.

V

Quinta via.

Primo : **Argumentum D. Thomae.** — I. q. 2. a. 3. : « Quinta via sumitur ex gubernatione rerum. Videmus enim quod aliqua, quae cognitione carent, sc. corpora naturalia, operantur propter finem. Quod apparet ex hoc, quod semper aut frequentius eodem modo operantur, ut consequantur hoc quod est optimum. Unde patet, quod non a casu, sed ex intentione perveniunt ad finem. Ea autem quae non habent cognitionem, non tendunt in finem nisi directa ab aliquo cognoscente et intelligente, sicut sagitta a sagittante. Ergo est aliquid intelligens, a quo omnes res naturales ordinantur ad finem ; et hoc dicimus *Deum.* »

Secundo : **Argumentum quintae viae in forma.** — Res naturales, quae cognitione carent, ut plantae et corpora naturalia atque omnia inanimata, operantur propter finem. Sed ea quae non habent cognitionem, non tendunt in finem

nisi directa ab aliquo cognoscente et intelligente. Ergo est aliquid intelligens, a quo omnes res naturales ordinantur ad finem, nimirum *Deus*.

TERTIO : **Res naturales, quae cognitione carent, uti omnia inanimata, operantur propter finem.** — Quod apparet : 1° quia semper operantur et moventur ordinate ; 2° quia suis motibus et operationibus tendunt in aliquod bonum sibi consequendum ; 3° quia omne agens agit propter aliquem effectum determinatum [1].

QUARTO : **Ea quae non habent cognitionem, non tendunt in finem nisi directa ab aliquo cognoscente et intelligente.** — Quod ita declaratur a D. Thoma, I-II. q. 1. a. 2. : « Considerandum est, quod aliquid sua actione vel motu tendit ad finem dupliciter : uno modo, sicut seipsum ad finem movens, ut homo ; alio modo, sicut ab alio motum ad finem, sicut sagitta tendit ad determinatum finem ex hoc quod movetur a sagittante, qui suam actionem dirigit in finem. Illa ergo quae rationem habent, seipsa movent ad finem, quia habent dominium suorum actuum per liberum arbitrium, quod est facultas voluntatis et rationis ; illa vero quae ratione carent, tendunt in finem propter naturalem inclinationem, quasi ab alio mota, non autem a seipsis, cum non cognoscant rationem finis ; et ideo nihil in finem ordinare possunt, sed solum in finem ab alio ordinantur. Nam tota irrationalis natura comparatur ad Deum sicut instrumentum ad agens principale, ut supra habitum est (I. q. 22. a. 2. ad 4. et q. 105. a. 1. ad 2.). Et ideo, proprium est naturae rationalis ut tendat in finem, quasi se agens vel ducens ad finem ; naturae vero irrationalis, quasi ab alio acta vel ducta ; sive in finem apprehensum, sicut bruta animalia ; sive in finem non apprehensum, sicut ea quae omnino cognitione carent. »

QUINTO : **Observatio circa hanc quintam viam.** — Etiam via quinta incipit a facto constanti et manifesto,

[1] *III. C. Gent.* cap. 2. et 3.

videlicet a modo operandi ordinato, quo semper aut frequentius operantur res naturales et *omnia ea quae omnino cognitione carent. Ordinem esse* in motibus et operationibus rerum naturalium per se patet ; ordinem autem esse *opus alicuius intelligentiae* etiam fere ex terminis liquet. Unde, cum non sit procedere in infinitum in intelligentiis ordinantibus ac gubernantibus res quae cognitione carent, sicut nec proceditur in infinitum in causis efficientibus, necesse est porro devenire ad *aliquid intelligens per se*, a quo omnes res naturales gubernantur et diriguntur in finem ; et hoc supremum intelligens, a quo universa ordinantur, dicimus *Deum*.

Haec via quinta ita etiam declaratur a D. Thoma, *II. C. Gent.* cap. 47. : « Id quod est per aliud, reducitur ad id quod est per se, tamquam in prius ; unde et secundum Philosophum (*VII. Phys.*) mota ab alio reducuntur in prima moventia seipsa... Inveniuntur autem in substantiis creatis quaedam quae non agunt seipsa ad operandum, sed aguntur vi naturae, sicut inanimata, plantae et animalia bruta ; non enim est in eis *agere* et *non agere*. Oportet ergo, quod fiat reductio ad alia prima quae seipsa agunt ad operandum. Prima autem in rebus creatis sunt substantiae intellectuales. Hae igitur substantiae se agunt ad operandum. »

Ipsae vero substantiae intellectuales, quae se agunt ad operandum, oportet quod reducantur in suis liberis actionibus ad unam primam substantiam, quae sit *intellectus secundum totam suam naturam, cuius intelligere sit fixum et quietum et semper in actu existens et totaliter perfectum intelligentia veritatis*, ut D. Thomas ostendit *De spirit. creat.* a. 10. Unde I. q. 2. a. 3. ad 2. : « Cum natura propter determinatum finem operetur ex directione alicuius superioris agentis, necesse est ea, quae a natura fiunt, etiam in Deum reducere sicut in primam causam. Similiter etiam quae ex proposito fiunt, oportet reducere in aliquam altiorem causam, quae non sit ratio et voluntas humana ; quia haec mutabilia sunt et defectibilia. Oportet autem omnia mobilia et deficere possibilia reducere in aliquod primum principium immobile et per se necessarium. » Et *III. C. Gent.* cap. 147. : « Sub Deo autem, qui est primus intellectus et volens, ordinantur

omnes intellectus et voluntates sicut instrumenta sub principali agente. »

Ac valde notandum, quod haec via quinta incipit ab operationibus ordinatis rerum naturalium quae cognitione carent, et finitur in operationibus ordinatis creaturae rationalis quae per intellectum et voluntatem operatur ad consequendum *id quod est optimum*. De rebus enim naturalibus quae cognitione carent, scribit D. Thomas, I. q. 2. a. 3. : « Non tendunt in finem nisi directa ab aliquo cognoscente et intelligente, *sicut sagitta a sagittante*. » De creatura vero rationali quae intelligit et cognoscit, scribit D. Thomas, I. q. 23. a. 1. : « Ad illud autem, ad quod non potest aliquid virtute suae naturae pervenire, oportet quod ab alio transmittatur, sicut sagitta a sagittante mittitur in signum. Unde, proprie loquendo, rationalis creatura, quae est capax vitae aeternae, perducitur in ipsam *quasi a Deo transmissa*. »

CAPUT SECUNDUM

Hoc quod est « Esse », est substantia vel natura Dei.

I

Summitas quinque viarum.

PRIMO : **Quinque praedicata seu attributa, sub quorum ratione primo cognoscimus Deum per creaturas.** — Ex dictis I. q. 2. a. 3. per viam quae sumitur ex parte motus, devenire oportet ad aliquod Primum Movens quod a nullo movetur : et hoc omnes intelligunt *Deum*.

Per viam quae est ex ratione causae efficientis, necesse est devenire ad aliquam Primam Causam efficientem : quam omnes *Deum* nominant.

Per viam sumptam ex possibili et necessario, devenitur ad aliquid quod est per se Necessarium in essendo, non habens causam suae necessitatis aliunde, sed quod est causa necessitatis aliis : quod omnes dicunt *Deum*.

Per viam quae sumitur ex gradibus qui in rebus inveniuntur, pervenitur ad aliquid quod est maxime Ens ; et hoc dicimus *Deum*.

Per viam denique quae sumitur ex ordine seu gubernatione rerum, pervenitur ad aliquid Intelligens, a quo omnes res naturales ordinantur ad finem : et hoc omnes vocant *Deum*.

SECUNDO : **Quinque illa praedicata sunt propria Dei.** — Omnia ergo illa praedicata sive attributa, videlicet *movens immobile, primum efficiens, necessarium non ex alio, maxime ens*, et *primum gubernans intelligendo*, secundum absolutam

suam significationem sunt propria solius Dei, et non competunt nisi soli Deo, et secundum veritatem sunt incommunicabilia alteri. Nam quamvis possit adinveniri aliquod movens immobile in determinato genere perfectionis, sed absolute immobile in omni ordine perfectionum non potest esse nisi *Unum*. Similiter etsi adinveniatur primum efficiens aut aliqua prima causa in quodam gradu rerum sive intra aliquam speciem naturae, absolute tamen efficiens primum non potest esse nisi *Unum* tantum. Ac pari ratione, dari quidem possunt plura necessaria, et plura maxime entia intra limitatas rerum species, et plures gubernantes per suam intelligentiam et voluntatem ; attamen necessarium non ex alio, et maxime Ens in ipsa linea transcendentalis entis, et primum intelligens ac volens, nequit esse nisi solummodo *Unum*. Consequenter, dum per quinque vias pervenitur necessario processu logico ad demonstrandum *quaedam praedicata inveniri in rerum natura*, quae secundum veritatem nonnisi de Deo et de solo Deo praedicari possunt, idcirco pervenitur necessario ac vera demonstratione ad concludendum quod Deus existit ; quoniam sub his quinque praedicatis revera *absconditur* Deus, qui solus est horum attributorum subiectum. Quod D. Thomas significare intendit, cum in fine uniuscuiusque viae pronuntiat : *hoc omnes intelligunt Deum ; hoc omnes Deum nominant ; hoc omnes dicimus Deum*.

Tertio : **Ex his quinque praedicatis procedit D. Thomas ad inquirendum quomodo Deus sit, vel potius quomodo non sit.** — Quinque autem viae, quibus Deum esse demonstrative probatur, oportet ut evolvantur adhuc. Nam in prima via non est determinatum *quid* et *quomodo sit* illud primum movens ; nec in secunda via, quae ducit ad primum efficiens, aliquid expresse concluditur de natura vel quidditate primae causae ; et pariter in reliquis aliis viis nihil determinate asseritur de primo necessario nec de primo ente, nec de primo intelligente, nisi *quia est*. Argumenta igitur illa solidissima oportet evolvere atque vias illas prolongare quousque immediate concludatur et directe perspicuum fiat, quod

primum movens immobile, primum efficiens, primum necessarium, primum ens, primum gubernans, est revera *illud ens* incorporeum, immateriale, simplex, perfectissimum, summe bonum, infinitum simpliciter, immutabile, aeternum, unum, omnisciens, omnipotens, omnia ordinans ac disponens, in seipso beatissimum, et cuncta creans et conservans et movens et gubernans, et quod et quale tenemus esse Deum factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Unde quinque viae prolongantur usque dum demonstrative ostendatur cuncta esse facta ex nihilo sui a prima causa efficiente, quam omnes dicimus Deum, rerum omnium Creatorem.

Sic Angelicus Doctor, I. q. 3. ex quinque supradictis praedicatis statim infert in rigore logico Deum esse incorporeum et immaterialem, atque in Deo identificari naturam et individuum sive essentiam et principia individuationis. Hactenus adhuc nihil reperitur quod sit ita proprium Dei, ut nullo modo aliis possit communicari; etenim esse quid superius cunctis rebus corporalibus et quid supra omnia materialia, et habere identitatem inter essentiam et principia individuationis, convenit quoque omnibus substantiis seu formis a materia separatis; nam ipsae formae per se individuantur, et sic in eis non differt natura et individuum [1].

Igitur opus est adhuc superius ascendere per illas quinque vias, ut adinveniatur unum praedicatum ita excellens, ita singulare, ita sublime, quod de solo Deo possit praedicari, et quod simul sit radix et ratio demonstrativa ceterorum quae de Deo praedicantur; et hoc est identitas essentiae et existentiae, substantiae et *esse;* ubi proinde constituenda est *summitas quinque viarum* quibus Deum esse probari potest.

Unde D. Thomas, *De Pot.* q. 5. a. 8. : « Substantiae vero separatae sunt perfectiores in actualitate quam etiam corpora coelestia; quia non sunt compositae ex materia et forma, sed sunt formae quaedam subsistentes, quae tamen deficiunt ab actualitate Dei, qui est suum *esse* : quod de aliis substantiis separatis non contingit. » Et I. q. 50. a. 2.

[1] I. q. 3. a. 1.-3.

ad 3. : « Licet in angelo non sit compositio formae et materiae, est tamen in eo actus et potentia. Quod quidem manifestum potest esse ex consideratione rerum materialium, in quibus invenitur duplex compositio. Prima quidem, formae et materiae, ex quibus constituitur natura aliqua. Natura autem sic composita non est suum *esse*, sed *esse* est actus eius. Unde ipsa *natura* comparatur ad suum *esse* sicut potentia ad actum. Subtracta ergo materia, et posito quod ipsa forma subsistat non in materia, adhuc remanet comparatio formae ad ipsum *esse* ut potentiae ad actum. Et talis compositio intelligenda est in angelis. Et hoc est, quod a quibusdam dicitur, quod angelus est compositus ex *quo est* et *quod est*, vel ex *esse* et *quod est*, ut Boëtius dicit. Nam *quod est*, est ipsa forma subsistens ; ipsum autem *esse* est quo substantia est, sicut cursus est quo currens currit. Sed in Deo non est aliud *esse* et *quod est*, ut supra ostensum est, q. 3. a. 4. Unde solus Deus est *Actus Purus*. »

Itaque summitas quinque viarum, quibus Deum esse probatur I. q. 2. a. 3. refulget q. 3. a. 4. ubi D. Thomas multipliciter ostendit, quod Deus non solum est sua *essentia*, sed etiam suum *esse*. Id ergo quod subsistit in Deo, est suum *esse;* et hoc quod est *esse*, est substantia vel natura Dei.

Identitas autem essentiae et existentiae in Deo multipliciter ostendi potest, nimirum :

1° *ex ratione Primi Moventis quod a nullo movetur ;*
2° *ex ratione Primae Causae efficientis ;*
3° *ex ratione Primi Necessarii ;*
4° *ex ratione Primi Entis ;*
5° *ex ratione Primi Intelligentis.*

II

De ratione Primi Moventis est identitas essentiae et esse.

PRIMO : **Argumenta D. Thomae.** — I. q. 3. a. 4. : « Quia *esse* est *actualitas* omnis formae vel naturae ; non enim bonitas vel humanitas significatur in actu nisi prout significamus eam esse. Oportet igitur, quod ipsum *esse* comparetur ad *essentiam*, quae est aliud ab ipso, sicut actus ad potentiam. Cum igitur in Deo nihil sit potentiale, ut ostensum est supra (q. 2. a. 3.) sequitur quod non sit aliud in eo essentia quam suum *esse*. Sua igitur essentia est suum *esse*. »

Comp. Theol. cap. 8. : « Oportet primum movens simplex esse. Nam in omni compositione oportet esse *duo*, quae ad invicem se habeant sicut potentia ad actum. In primo autem movente, si est omnino immobile, impossibile est esse potentiam cum actu ; nam unumquodque ex hoc, quod est in potentia, mobile est. Impossibile est igitur primum movens compositum esse. »

Comp. Theol. cap. 10. : « In quocumque enim aliud est essentia et aliud *esse* eius, oportet quod aliud sit *quod sit* et aliud *quo aliquid sit ;* nam per *esse* suum de quolibet dicitur quod *est ;* per essentiam vero suam de quolibet dicitur *quid sit*. Unde et definitio, significans essentiam, demonstrat *quid est res*. In Deo autem non est aliud *quod est*, et aliud *quo aliquid est*, cum non sit in eo compositio. Non est igitur ibi aliud eius essentia quam suum *esse*. »

I. C. Gent. cap. 22. : « *Esse* actum quendam nominat ; non enim dicitur esse aliquid ex hoc quod est in potentia, sed ex hoc quod est in actu. Omne autem, cui convenit aliquis actus, aliquid diversum ab eo existens, se habet ad ipsum ut potentia ad actum ; actus enim et potentia ad se invicem dicuntur. Si ergo divina essentia est aliud quam suum *esse*, sequitur quod *essentia* et *esse* sese habeant sicut potentia et actus. Ostensum est autem supra (cap. 16.) in Deo nihil esse de potentia, sed ipsum esse purum actum. Non igitur Dei essentia est aliud quam suum *esse*. »

Ibidem : « Omne illud, quod non potest esse nisi concurrentibus pluribus, est compositum ; sed nulla res, in qua est aliud *essentia* et aliud *esse*, potest esse nisi concurrentibus pluribus, sc. *essentia* et *esse*. Ergo omnis res, in qua est aliud essentia et aliud *esse*, est composita. Deus autem non est compositus, ut ostensum est (cap. 18.). Ipsum igitur *esse* Dei est sua essentia. »

Secundo : **Observationes circa suprascripta argumenta.** — Primum enim adnotandum venit, quid significet hoc quod dicimus *esse*. *Esse* nominat *actum*, sed *actum* omnium actuum et omnium perfectionum ; nam est *actualitas* omnis formae vel naturae. Unde ad omnia comparatur ut actus. Exinde sequitur, quod forma, essentia vel natura rei, si identificetur cum actu essendi, tunc ipsum *esse* rei est sua essentia, sua natura, sua forma ; ac perinde *esse* est subsistens, utpote unum et idem cum substantia rei existentis. Si vero in re existente est aliud essentia et aliud *esse*, tunc *esse* rei non est subsistens, sed actus formae subsistentis ; non est ipsa substantia, sed adhaeret substantiae ut complementum eius.

Inde etiam habetur, quod ex identitate *esse* et essentiae resultat, quod res existens est *quid simplex* et *actus purus*, excludens omnem prorsus potentialitatem ac quamcumque compositionem. E contra, ex hoc quod in re est aliud essentia et aliud *esse*, resultat realis compositio in ipsa linea entis ; et talis res non potest existere nisi concurrentibus pluribus, sc. *essentia* et *esse* ; et huiusmodi res existens est composita ex *essentia* quae comparatur ad *esse* ut potentia subiectiva, realis et entitativa, atque ex *esse* quod comparatur ad *essentiam* ut actus realis receptus in illa velut in sua propria subiectiva potentia, quam complet ac perficit in ratione entis.

Tertio : **Corollarium ex praedictis argumentis.** — Per primam quidem viam ostensum est Deum existere sub *ratione moventis immoti*, in quo nulla est potentialitas, nulla compositio, nihil quod se habeat ad alterum ut potentia ad actum ; quoniam primum movens quod a nullo movetur,

necesse est quod sit *Actus Purus*. De ratione autem *Actus Puri* est, quod in illo sit idem essentia et existentia.

Ergo de ratione omnium, quae moventur ac reducuntur de potentia in actum, est quod habeant realem compositionem *essentiae* et *esse*, et proinde sint composita in linea entis ex potentia et actu, et quod in eis aliud sit essentia et aliud *esse;* atque ideo, quod non possint esse nisi concurrentibus pluribus, sc. *essentia* et *esse*.

Essentia itaque omnium rerum quae reperiuntur *in via motus*, est realis potentia essendi ; et *esse* est actus huiusce entitativae potentiae. Et sicut ex identitate inter essentiam et *esse* consequitur necessario negatio cuiuslibet alterius compositionis, tam realis quam logica, sic, e converso, ubicumque aliqua realis compositio reperiatur, oportet ibi praesupponere compositionem realem inter substantiam et *esse*, quae sunt prima potentia et primus actus in ratione entis completi et subsistentis, in quo aliud est *quod est* et aliud *ipsum esse*. Ubi enim *esse* non differt ab essentia, nihil ibi fingi potest realiter ab essentia distingui ; eo ipso quod illud, cuius essentia est *esse*, est *Actus Purus*.

III

De ratione Primae Causae efficientis est identitas essentiae et esse.

Primo : **Argumenta D. Thomae.** — I. q. 3. a. 4. : « Quia quidquid est in aliquo, quod est praeter essentiam eius, oportet esse causatum : vel a principiis essentiae, sicut accidentia propria consequentia speciem, ut *risibile* consequitur hominem et causatur ex principiis essentialibus speciei ; vel ab aliquo exteriori, sicut *calor* in aqua causatur ab igne. Si igitur ipsum *esse* rei sit aliud ab eius essentia, necesse est quod *esse* illius rei vel sit causatum ab aliquo exteriori, vel a principiis essentialibus eiusdem rei. Impossi-

bile est autem, quod *esse* sit causatum tantum ex principiis essentialibus rei : quia nulla res sufficit ad hoc quod sit sibi causa essendi, si habeat *esse* causatum. Oportet ergo, quod illud, cuius *esse* est aliud ab essentia sua, habeat *esse* causatum ab alio. Hoc autem non potest dici de Deo ; quia Deum dicimus esse *Primam Causam efficientem*. Impossibile est ergo, quod in Deo sit aliud *esse* et aliud eius essentia. »

I. C. Gent. cap. 22. : « Si *esse* Dei non est sua essentia, (non autem pars eius esse potest, cum essentia divina sit simplex, ut cap. 18. ostensum est), oportet et quod huiusmodi *esse* sit aliquid praeter essentiam eius. Omne autem quod convenit alicui quod non est de essentia eius, convenit ei per aliquam causam. Ea enim, quae per se non sunt *unum*, si coniunguntur, oportet per aliquam causam uniri. *Esse* igitur convenit illi quidditati per aliquam causam. Aut igitur per aliquid quod est de essentia illius rei, sive per essentiam ipsam ; aut per aliquid aliud. Si primo modo, (essentia autem est secundum illud *esse*), sequitur, quod aliquid est sibi *causa essendi*. Hoc autem est impossibile, quia prius, secundum intellectum, est causam esse quam effectum. Si ergo aliquid sibi ipsi esset causa essendi, intelligeretur esse antequam haberet *esse* : quod est impossibile, nisi intelligatur quod aliquid sit sibi causa essendi secundum *esse* accidentale, quod *esse* est secundum quid ; hoc enim non est impossibile ; invenitur enim aliquod ens accidentale causatum ex principiis sui subiecti, ante quod esse intelligitur *esse substantiale* subiecti. Nunc autem non loquimur de esse accidentali, sed de substantiali. Si autem illi *esse* conveniat per aliquam aliam causam : omne autem quod acquirit *esse* ab alia causa, est causatum, et non est causa prima. Deus autem est prima causa non habens causam, ut supra (cap. 13.) demonstratum est. Igitur illa quidditas, quae acquirit *esse* aliunde, non est quidditas Dei. Necesse est igitur, quod Dei *esse* quidditas sua sit. »

Secundo : **Observationes circa supraposita argumenta.** — Quod ante omnia observare debemus, sunt haec duo veluti axiomata ad invicem correlativa, nimirum : 1^um^ *Illud*,

cuius esse est aliud ab essentia sua, habet esse causatum ab alio. 2um *In illo, cuius esse non habet causam, non est aliud esse et aliud eius essentia, sed necesse est ut illius esse quidditas sua sit.*

Ex quibus colligitur quod, sicut de ratione causae primae non habentis causam est identitas *esse* et essentiae, ita de ratione omnis entis causati est realis compositio essentiae et *esse*.

Quae quidem fundamentalia principia ad radicitus capiendum momentum quaestionis *de reali distinctione esse et essentiae* in omnibus praeter Unum, quod est Deus, ad litteram tradita legimus apud D. Thomam, I. q. 3. a. 7. ad 1. : « Est autem hoc de ratione causati, quod sit aliquo modo compositum ; quia ad minus *esse* eius est aliud quam *quod quid est*. » Et I. q. 7. a. 2. ad 1. : « Hoc est contra rationem facti, quod essentia rei sit ipsum *esse* eius ; quia *esse* subsistens non est esse creatum. »

Esse non est causatum tantum ex principiis essentialibus rei, sed principia essentialia rei constituunt veluti causam materialem seu potentiam subiectivam in qua *esse* recipitur. Unde D. Thomas, *II. Sent.* dist. 15. q. 3. a. 1. ad 5. : « *Esse* rei consequitur principia essentialia, sicut operatio virtutem. » Et *De Anima* a. 14. ad 4. : « *Esse* comparatur ad formam sicut per se consequens ipsam ; non autem sicut effectus ad virtutem agentis ut, puta, motus ad virtutem moventis. » Et I. q. 104. a. 1. ad 1. : « *Esse* per se consequitur formam creaturae, supposito tamen influxu Dei ; sicut lumen sequitur diaphanum aëris, supposito influxu solis. » *II. C. Gent.* cap 55. : « Substantia completa est proprium susceptivum ipsius *esse*. » Et I. q. 54. a. 1. : « *Esse* est actualitas substantiae vel essentiae, sicut actio est proprie actualitas virtutis. » Et *De Verit.* q. 10. a. 12. : « Hoc autem quod est *esse*, in nullius creaturae ratione perfecte includitur ; cuiuslibet enim creaturae *esse* est aliud ab eius quidditate ; unde non potest dici de aliqua creatura quod eam esse sit per se notum et secundum se. Sed in Deo *esse* suum includitur in eius quidditatis ratione, quia in Deo idem est *quid est* et *esse*. » Et I. q. 2. a. 1. : « Dico ergo, quod haec propositio : *Deus est*,

quantum in se est, per se nota est ; quia praedicatum est idem cum subiecto, ut infra (q. 3. a. 4.) patebit. »

TERTIO : **Corollarium ex supradictis argumentis.** — Per secundam autem viam ostensum est Deum existere sub *ratione causae primae efficientis non causatae ;* de cuius quidem ratione est habere existentiam identificatam cum ipsius essentia vel natura. Ergo de ratione omnium, quae causantur et efficiuntur, est habere existentiam realiter distinctam ab essentia. Omnia itaque quae habent causam efficientem sui *esse*, habent *esse* receptum in essentia, sicut actum in potentia reali et entitativa. Etenim, ut D. Thomas expresse declarat *De Pot.* q. 3. a. 1. ad 17. : « Deus, simul dans *esse*, producit *id* quod *esse* recipit. » Quaecumque igitur fiunt atque causantur, existere non valent nisi concurrentibus pluribus, sc. essentia et *esse*, substantia et *esse* quod est complementum substantiae existentis.

IV

De ratione Primi Necessarii est identitas essentiae et esse.

PRIMO : **Argumenta D. Thomae.** — *I. C. Gent.* cap. 22. : « Ostensum est enim supra (cap. 15.) aliquid esse quod per se necesse est esse : quod Deus est. Hoc igitur *esse*, quod necesse est, si inest alicui quidditati quae non est quod ipsum est, aut est dissonum illi quidditati seu repugnans, sicut *per se existere* quidditati albedinis ; aut ei consonum sive affine, sicut albedini *esse in alio*. Si primo modo, illi quidditati non conveniet *esse* quod est per se necesse esse, sicut nec albedini per se existere. Si autem secundo modo, oportet quod vel *esse* huiusmodi dependeat ab *essentia*, vel utrumque ab alia causa, vel *essentia* ab *esse*. Prima duo sunt contra rationem eius quod est per se necesse esse ; quia, si

ab alio dependet, iam non est necesse esse. Ex tertio vero sequitur, quod illa quidditas accidentaliter advenit ad rem quae per se necesse est esse ; quia omne quod sequitur ad *esse* rei, est ei accidentale ; et sic non erit eius quidditas. Deus igitur non habet essentiam quae non sit suum *esse*. Item : Unumquodque est per suum *esse*. Quod igitur non est suum *esse*, non est per se necesse esse. Deus autem est per se necesse esse. Ergo Deus est suum *esse*. »

Secundo : **Observationes circa supra allata argumenta.** — Ex his enim argumentis innotescit, quid sit Ens Necessarium in essendo ; illud videlicet ens, cuius *esse* : 1° non dependet ab alio ; 2° nec dependet ab essentia ; 3° sed est unum et idem cum ipsamet essentia, ita quod essentia Entis Necessarii sit *Esse*. Illud namque est per se necesse esse, quod necessario est ; illud autem necessario est, cuius *non esse* est contra essentiam eius, et cuius *esse* est ipsamet eius essentia vel natura.

De ratione igitur entis necessarii est, quod ex se et ex sua propria quidditate habeat *esse*, et quod suum *esse* non sit aliud quam propria ipsius substantia ; quapropter *esse* Entis Necessarii est per se stans : *Esse Subsistens*.

Unde haec interest differentia inter ens necessarium non habens causam suae necessitatis aliunde, et entia necessaria quae habent causam suae necessitatis in essendo, nempe : quod in primo necessario *esse* per se consequitur formam, quoniam forma Primi Necessarii nihil aliud est quam ipsum *esse* eius ; et in aliis quae necessaria seu incorruptibilia dicuntur, *esse* per se consequitur formam, eo quod forma est proprium susceptivum eius quod est *esse*. In primo necessario substantia non est proprium susceptivum ipsius *esse*, quia *esse* est ipsa substantia eius ; in aliis vero necessariis, quae substantiae intellectuales nominantur, *esse* est actus, et id quod tenet locum potentiae primae et subiecti, est ipsa earum substantia completa, simplex et incorruptibilis. Primum necessarium de necessitate et semper est ; quia essentia eius est *esse*. Alia vero necessaria sunt incorruptibilia et de necessitate sunt ; quia per nullam potentiam esse

desinere possunt, nisi per illam per quam simul cum *esse* acceperunt ipsam necessitatem essendi.

Necessitas ergo essendi in primo necessario non habet causam aliunde, sed formaliter constituitur per ipsam identitatem essentiae et *esse ;* implicat enim contradictionem quod non sit. Necessitas vero essendi in aliis necessariis habet causam ipsum necessarium primum, et formaliter constituitur per naturalem inseparabilitatem inter *esse* et *formam subsistentem* quae est proprium susceptivum eius quod est *esse.*

In Primo necessario substantia est *esse ;* in aliis vero necessariis substantia non est *esse,* sed est proprium susceptivum ipsius *esse ;* proprium autem susceptivum alicuius actus ita comparatur ut potentia ad actum illum, quod nullo modo est in potentia ad oppositum ; sicut ignis ita comparatur ad calorem ut potentia ad actum, quod nullo modo est in potentia ad frigus. Unde in substantiis completis simplicibus non est potentia ad *non esse,* ut D. Thomas profunde simul ac dilucide explicat *II. C. Gent.* cap. 55.

Tertio : **Corollarium ex adductis argumentis.** — Per tertiam enim viam ostensum est Deum existere sub *ratione Entis Necessarii* non habentis causam suae necessitatis aliunde. Si ergo de ratione Dei, eo ipso quod necessario existit, est habere existentiam realiter identificatam cum sua natura vel essentia, patet quod de ratione omnium entium contingentium est habere existentiam realiter distinctam ab essentia.

Quod est per se necesse esse, est suum *esse.* Ergo in ente quod non est per se necesse esse, aliud est *esse* et aliud essentia.

Si in Ente Necessario *esse* est sua substantia, inde colligitur quod nullius entis contingentis suum *esse* est sua substantia, sed adhaerens substantiae, ut actus potentiae, et ut complementum subiecto.

Realis itaque compositio essentiae et *esse* est de ratione entis contingentis et de ratione entis necessarii habentis aliunde causam suae necessitatis in essendo.

V

De ratione Primi Entis est identitas essentiae et esse.

PRIMO : **Argumenta D. Thomae.** — I. q. 3. a. 4. : « Quia, sicut illud quod habet ignem et non est ignis, est ignitum per participationem, ita illud quod habet *esse* et non est *esse*, est *ens per participationem*. Deus autem est sua essentia, ut ostensum est (a. praec.). Si igitur non sit suum *esse*, erit ens per participationem et non per essentiam. Non ergo erit Primum Ens : quod absurdum est dicere. Est igitur Deus suum *esse*, et non solum sua essentia. »

I. C. Gent. cap. 22. : « Omnis res est per hoc quod habet *esse;* nulla igitur res, cuius essentia non est suum *esse*, est per essentiam suam, sed participatione alicuius, sc. *ipsius esse*. Quod autem est per participationem alicuius, non potest esse Primum Ens ; quia id, quo aliquid participat ad hoc quod sit, est eo prius. Deus autem est Primum Ens, quo nihil est prius. Dei igitur essentia est suum *esse*. »

SECUNDO : **Observationes circa haec argumenta.** — Per haec siquidem argumenta, simul dum probatur quod de ratione Primi Entis est identitas essentiae et *esse*, declaratur quid significet *ens per participationem* et *ens per essentiam*, atque manifesta fit nota characteristica qua ab invicem discernuntur.

Ens igitur per participationem est illud quod habet *esse*, sed non est suum *esse;* unde in illo aliud est essentia vel substantia entis, et aliud *esse* quod est actus entis substantialis. Ens vero per essentiam est illud quod ita habet *esse*, ut in illo *esse* sit ipsamet essentia et substantia entis ; unde in tali ente non est aliud essentia et aliud *esse;* nec aliud id quod est et aliud id quo est, sed unum et idem ; et ideo per suam propriam essentiam est, nam de eius essentia est *esse*.

De ratio entis per essentiam est quod nihil inveniatur in

eo quod non sit *esse;* et quod de solo illo *esse* praedicetur essentialiter ; et quod *esse* illius sit *esse* subsistens, *esse* per se stans ; nam in ente per essentiam *esse* est ipsa substantia entis.

De ratione vero entis per participationem est quod in eo sit aliquid praeter *esse* quod participatur ; et quod *esse* non sit substantia eius, nec pars essentiae vel substantiae ; et quod *esse* sit actualitas substantiae, et adhaerens substantiae quasi subiecto sustentante ipsum.

Unde de ratione entis per essentiam est identitas substantiae et *esse ;* et de ratione entis per participationem est compositio ex substantia et ex eo quod adhaeret substantiae.

Quae quidem omnia in terminis tradit D. Thomas passim ubique in suis operibus, et iam manent supra [1] sufficienter explanata. *Quodl.* 2. a. 3. : « Quandocumque autem aliquid praedicatur de altero per participationem, oportet ibi aliquid esse praeter id quod participatur ; et ideo in qualibet creatura est aliud ipsa creatura quae habet *esse*, et ipsum *esse* eius. Et hoc est quod Boëtius dicit, *De Hebdom.* quod : *In omni eo quod est citra Primum, aliud est esse et quod est.* » Et *III. C. Gent.* cap. 66. : « Deus autem solus est ens per suam essentiam, omnia autem alia sunt entia per participationem ; nam in solo Deo *esse* est sua *essentia.* »

Tertio : **Corollarium ex omnibus supradictis.** — Per quartam quidem viam ostensum est Deum existere sub *ratione Primi Entis*, quod est maximum, non tantum in aliquo genere perfectionum, sed in omni ordine bonitatis et nobilitatis, in linea transcendentali essendi.

De ratione enim Entis Primi est ratio Entis per essentiam ; de ratione autem Entis per essentiam est quod in solo illo *esse* et *essentia* sint unum per identitatem, quia natura eius est ipsamet natura essendi vel *Esse Subsistens.*

Ergo de ratione omnis entis per participationem est quod ita habeat *esse*, ut natura eius non sit ipsum *esse* quod habet, sed participet *esse* iuxta capacitatem propriae essentiae.

[1] Lib. II. cap. 1. et 2.

Atque ita ens per participationem sit compositum ex duobus, nempe ex natura seu essentia participante *esse* et ex ipso esse participato. Unde *De Pot.* q. 7. a. 4. : « In qualibet autem creatura invenitur differentia habentis et habiti... In Deo autem nulla est differentia habentis et habiti, vel participantis et participati : imo ipse est sua natura et suum *esse.* »

VI

De ratione Primi Intelligentis est identitas essentiae et esse.

PRIMO : **Argumenta D. Thomae.** — *Compend. Theol.* cap. 10. : « Ostensum est, quod Deus est actus purus absque alicuius potentialitatis permixtione. Oportet igitur, quod eius essentia sit ultimus actus ; nam omnis actus, qui est circa ultimum, est in potentia ad ultimum actum. Ultimus autem actus est ipsum *esse.* Cum enim motus sit exitus de potentia in actum, oportet illud esse ultimum actum, in quod tendit omnis motus ; et cum motus naturalis in hoc tendat quod est naturaliter desideratum, oportet hoc esse ultimum actum quod omnia desiderant. Hoc autem est *esse.* Oportet igitur, quod *essentia divina*, quae est actus purus et ultimus, sit *ipsum esse.* »

De Pot. q. 7. a. 1. : « Quia oportet primum ens, quod Deus est, esse perfectissimum et, per consequens, optimum ; non enim rerum principia imperfecta sunt, ut Pythagoras et Leucippus aestimaverunt. Optimum autem est, in quo nihil est quod careat bonitate, sicut albissimum est in quo nihil nigredinis admiscetur. Hoc autem in nullo composito est possibile. Nam bonum, quod resultat ex compositione partium, per quod totum est bonum, non inest alicui partium. Unde partes non sunt bonae illa bonitate quae est totius propria. Oportet ergo id, quod est *Optimum*, esse simplicissimum, et omni compositione carere. » Et ad 3. : « Per unum

et idem Deus in ratione diversarum causarum se habet ; quia per hoc quod est actus primus, est agens, et est exemplar omnium formarum, et est bonitas pura et, per consequens, omnium finis. »

Secundo : **Observationes circa argumenta allata.** — Ex hactenus expositis facile colligi potest, quomodo *Primum Intelligens*, a quo omnes res naturales ordinantur in finem, in quinta via, est ipsummet *Primum Movens* quod a nullo movetur, in prima via ; et *Primum Efficiens* quod non habet causam efficientem, in secunda via ; et *Primum Necessarium*, quod in via tertia est causa necessitatis aliis ; et *Primum Ens*, quod in quarta via fulget in rerum omnium vertice tamquam quid verissimum et nobilissimum et optimum.

Deinde valde notandum, quod, in quinta via, res cunctae operantur ut pertingant ad consequendum id quod est *optimum*. Optimum autem est ultimus actus, quo omnia complentur et in quo omnia quiescunt. Ac proinde, ultimus actus est illud in quod tendit omnis motus, illud quod omnia desiderant. Hoc autem, concludit D. Thomas, est : *Esse*.

Esse igitur est essentia Primi Moventis, et Primi Efficientis, et Primi Necessarii, et Primi Entis.

Esse igitur est quod omnia desiderant ; in quod omnia, dum moventur, tendunt ; et in quo omnia, dum illud consequuntur, quiescunt.

Esse igitur est actus purus ; est actus omnium formarum ; est actus omnium actuum ; ac perinde actus primus et actus ultimus ; est bonitas pura ; et, per consequens, omnium finis.

Primum itaque Movens, cuius essentia est *esse*, omnia movet ad seipsum ; Primum Efficiens, cuius essentia est *esse*, omnibus est causa essendi ; Primum Necessarium, cuius essentia est *esse*, omnibus necessariis est causa suae necessitatis in essendo ; Primum Ens, cuius essentia est *esse*, omnibus communicat quandam participationem suae propriae naturae, quae est ipsa natura entitatis ; et Primum Intelligens, cuius essentia est *esse*, omnia ordinat in actum ultimum quod est *esse* quo cuncta nobilitantur ac perficiuntur ac consequuntur id quod est *Optimum*.

Et hoc est, quod D. Thomas declarat *III. C. Gent.* cap. 16-20. dum ex professo ostendit omnia ordinari in unum finem, qui est Deus, et quomodo omnia intendunt assimilari Deo qui « est magis finis uniuscuiusque rei quam aliquis finis proximus ; et sic est finis rerum, sicut aliquid ab unaquaque re suo modo obtinendum. »

Quod etiam tradit Angelicus Doctor, *De Verit.* q. 22. a. 1. et 2. ubi in perspicuo ponitur, quod omnia appetunt bonum ; omnia appetunt *esse;* omnia appetunt Deum, cuius natura est *esse.* Unde ibid. a. 1. ad 4. addit : « Cum dicitur : *Omnia appetunt bonum,* non oportet bonum determinari ad hoc vel illud, sed in communitate accipi ; quia unumquodque appetit bonum naturaliter sibi conveniens. Si tamen ad aliquod unum bonum determinetur, hoc unum erit *esse.* Nec hoc prohibetur per hoc quod omnia *esse* habent ; appetunt enim eius continuationem ; et quod habet *esse* in actu uno modo, habet *esse* in potentia alio modo ; sicut aër est potentiâ ignis ; et sic, quod non habet esse actu, appetit esse actu. » Et ad 7. : « Unde Philosophus dicit *I. Ethic.: Omnibus delectabile est esse.* » Et ad 12. : « Ex hoc enim ipso, quod aliquid appetit bonum, appetit simul pulchrum et pacem. » Et ad 13. : « Pulchrum et bonum est omnibus desiderabile et amicabile. » Et *II. C. Gent.* cap. 53. : « Assimilatio autem cuiuslibet substantiae creatae ad Deum est per ipsum *esse.* »

Tertio : **Corollarium ex omnibus supra declaratis.** — Per quintam denique viam ostensum est Deum existere *sub ratione Primi Intelligentis,* a quo omnes res ordinantur ad consequendum id quod est Optimum. Iam vero, si de ratione Primi Intelligentis, cuius est movere ac dirigere omnia in suum finem atque perfectionem, est esse immobile atque sua propria beatitudo, eo quod per essentiam habet omnes perfectiones sicut per essentiam suam habet *esse,* quod est actus omnium actuum et optimum omnium perfectionum : exinde necessario infertur, quod de ratione omnium aliorum, quae a Primo Intelligente moventur ac gubernantur, est esse mobilia, et habere potentiam ad suum finem consequendum, accipere ab illo complementum sui *esse,* sicut ab

illo accipiunt *esse;* et ideo habere beatitudinem suam per participationem, sicut per participationem habent *esse*.

Cum omnis autem perfectio sit vel *esse* vel complementum *primi esse*, et beatitudo sit omnium bonorum ac perfectionum, quae alicui rei competunt, stabilis securaque possesio : idcirco de ratione omnium, quae a Primo Intelligente in finem ordinantur, est habere *esse* realiter distinctum a sua propria substantia vel natura, et per diversos gradus huius, quod est *esse*, Deo assimilari, « qui est ipsum Esse Subsistens, cum omnia sunt quasi *esse* participantia... Quia ipsum divinum *esse* est ipsius Dei existentis substantia ; in aliis autem rebus hoc accidere non potest ; ostensum est enim l. II. cap. 53. quod nulla substantia creata est ipsum suum *esse*. Unde secundum quod res quaelibet bona est, non est earum aliqua suum *esse*, nulla earum est sua bonitas ; sed earum quaelibet bonitatis participatione *bona est*, sicut et ipsius *esse* participatione est ens. » (*III. C. Gent.* cap. 19-20.)

Quamobrem D. Thomas, I. q. 5. a. 1. ad 1. : « Sic ergo secundum primum *esse*, quod est substantiale, dicitur aliquid ens simpliciter et bonum secundum quid, id est, in quantum est ens. Secundum vero ultimum actum dicitur aliquid ens secundum quid, et bonum simpliciter... Secundum primum actum est aliquid ens simpliciter ; et secundum ultimum, bonum simpliciter ; et tamen secundum primum actum est quodammodo bonum ; et secundum ultimum actum est quodammodo ens. »

CAPUT TERTIUM

Ex identitate essentiae et esse in Deo assumit D. Thomas praecipua argumenta ad divinas perfectiones demonstrandas.

Dei siquidem attributa seu praedicata, per quae divinae perfectiones a nobis cognitae exprimuntur, ita a D. Thoma in *Summa Theologica* legimus per ordinem explicata, nimirum : 1° omnimodam simplicitatem ; 2° summam perfectionem ; 3° bonitatem per essentiam ; 4° infinitatem in essendo ; 5° immobilitatem atque aeternitatem in suo *esse ;* 6° maximam unitatem ; 7° incomprehensibilitatem et invisibilitatem ; 8° ineffabilitatem ; 9° summum cognitionis et summum gradum vitae ; 10° summum dominii et libertatis ; 11° summum potentiae et virtutis ; 12° summum gaudii et beatitudinis ; et tandem 13° esse fontem totius *esse* et causam totius entitatis et bonitatis et nobilitatis ac perfectionis omnibus quae sunt.

Omnia et singula supra indicata fundantur in quinque illis praedicatis, sub quorum ratione primo cognoscimus Deum ex rebus sensibilibus, et clauduntur, veluti in sua radice ac ratione demonstrativa, in termino quinque viarum quibus Deum esse probari potest. Cum enim mens nostra per has quinque vias ascendit, vix ipsarum viarum dum summitatem attingit, intellectu conspicit semper *unum* et *idem*, cuius *essentia* est *esse*. Substantia ergo vel natura primi moventis, primi efficientis, primi necessarii, primi entis, primi intelligentis atque volentis est : *Esse Subsistens*.

Ex hac quidem sublimi et altissima veritate semel demonstrative probata, mens nostra incipit, quasi iam descendendo, inferre, deducere ac colligere singula Dei attributa atque

infinitatem ipsius Dei in omni prorsus genere perfectionum, quae simpliciter simplices denominantur ; ac finalis terminus huius descensus logici, atque scientifici mentis nostrae processus tunc perficitur, cum demonstratione vere philosophica ostenditur omnia, quae sunt, fieri et causari ex nihilo ab *Uno Ente per essentiam*, quod est Deus.

I

Deus est omnino simplex. (I. q. 3.)

Simplicitas quidem est negatio compositionis ; compositio autem est unio partium, quibus unum totum constituitur. Iuxta indolem ergo seu conditiones partium, quae ad unum totum constituendum uniuntur, habentur diversae species compositionum. Compositio itaque potest esse : 1° quantitativarum partium ; 2° formae et materiae ; 3° naturae et suppositi ; 4° essentiae et *esse* ; 5° generis et differentiae ; 6° subiecti et accidentis.

Prima autem omnium et maxime fundamentalis est compositio essentiae et *esse* ; quoniam se habet ad omnes alios compositionum modos ut quoddam necessario praerequisitum. Est enim compositio in linea entis seu in ipso ordine essendi, sub quo reliqui alii perfectionum ordines includuntur. Unde compositio quae oritur ex reali distinctione essentiae et *esse*, tangit intima rerum elementa ; coalescit ex primis constitutivis entium ; constat ex primo actu et prima potentia in genere substantiae existentis ; atque exinde, veluti ex propria radice, enascitur quaecumque alia compositio actus et potentiae, perficientis et perfectibilis, participati et participantis, formae et subiecti, quae in rebus creatis reperiuntur. Nulla namque daretur in re subsistenti compositio actus et potentiae, nisi praesupponeretur compositio essentiae et *esse*, quae sunt prima potentia

et primus actus in linea entis. Quapropter omne ens creatum subsistens saltem componitur ex essentia et *esse*.

Unde D. Thomas, *I. Sent.* dist. 8. q. 5. a. 1. : « Omnis creatura habet *esse* finitum. Sed *esse* non receptum in aliquo est infinitum, imo absolutum. Ergo omnis creatura habet *esse* receptum in aliquo ; et ita oportet quod habeat *duo* ad minus, sc. *esse* et *id* quod *esse* recipit... Creatura quae habet *esse* completum in se, sicut homo et huiusmodi, talis creatura ita deficit a simplicitate divina, quod incidit in compositionem. Cum enim in solo Deo *esse* suum sit sua quidditas, oportet quod in qualibet creatura, vel in corporali vel in spirituali, inveniatur quidditas vel *natura* sua et *esse* suum quod est sibi acquisitum a Deo, cuius *essentia* est suum *esse*. Et ita componitur ex *esse* vel *quo est*, et *quod est*. »

Patet igitur quod, remota ab aliquo ente subsistenti compositione essentiae et *esse*, necessario removetur omnis prorsus quaecumque compositio actus et potentiae. Ipsum namque *esse subsistens*, ex una parte nihil recipere potest, quia est *esse;* et ex alia non recipitur in aliquo, quia est *subsistens;* et si reciperetur, iam non esset subsistens, sed inhaerens et receptum ; et consequenter resultaret realis compositio ex *esse* et substantia quae habet *esse*. Manifestum ergo est, quod ex identitate essentiae et *esse* resultat omnimoda et absoluta simplicitas : *Actus Purus* seu *Esse Subsistens*.

At videamus, quomodo D. Thomas ipse, ut quodcumque compositionis genus a Deo longe removeat, appellat identitatem *esse* et essentiae in Deo.

Primo : **Deus non est forma alicuius corporis.** — *I. C. Gent.* cap. 27. : « Divinum *esse* non potest esse alicuius quidditatis quae non sit ipsum *esse*, ut ostensum est cap. 22. Quod autem est ipsum *esse* divinum, non est aliud quam Deus. Impossibile est igitur Deum esse alicuius alterius formam. — Amplius : Forma corporis non est ipsum *esse*, sed essendi principium. Deus autem est ipsum *esse*. Non ergo est Deus forma corporis. »

SECUNDO : **In Deo est idem suppositum et natura.** — *Quodl.* 2. a. 4. : « Cuicumque potest aliquid accidere quod non sit de ratione suae naturae, in eo differt *res* et *quod quid est*, sive *suppositum* et *natura*. Nam in significatione naturae includitur solum id quod est de ratione speciei ; suppositum autem non solum habet haec quae ad rationem speciei pertinent, sed etiam alia quae ei accidunt. Et ideo suppositum signatur per totum ; natura autem sive quidditas, ut pars formalis. In solo autem Deo non invenitur aliquod accidens praeter eius essentiam ; quia suum *esse* est sua *essentia*, ut dictum est. Et ideo in Deo est omnino idem suppositum et natura. In angelo autem non est omnino idem, quia aliquid accidit ei praeter id quod est de ratione suae speciei ; quia et ipsum *esse* angeli est praeter eius essentiam seu naturam... Non solum in compositis ex materia et forma... sed etiam in substantiis spiritualibus quae non componuntur ex materia et forma... suppositum non est omnino idem quod ipsa natura... Licet ipsum *esse* non sit de ratione suppositi, quia tamen pertinet ad suppositum et non est de ratione naturae, manifestum est, quod suppositum et natura non sunt omnino idem in quibuscumque res non est suum *esse*. »

TERTIO : **In Deo non est compositio generis et differentiae.** — I. q. 3. a. 5. : *a*) « Quia, cum *esse* Dei sit eius *essentia*, ut ostensum est a. praec., si Deus esset in aliquo genere, oporteret quod genus eius esset *ens*. Nam genus significat essentiam rei, cum praedicetur in eo *quod quid est*. Ostendit autem Philosophus, *III. Metaph.* quod ens non potest esse genus alicuius. Omne enim genus habet differentias quae sunt extra essentiam generis. Nulla autem differentia potest inveniri quae esset extra ens ; quia *non ens* non potest esse differentia. Unde relinquitur, quod Deus non sit in genere. »

b) « Quia omnia quae sunt in genere uno, communicant in *quidditate* vel *essentia* generis, quod praedicatur de eis in eo *quod quid est* ; differunt autem secundum *esse*. Non enim idem est *esse* hominis et equi ; nec huius hominis et illius hominis. Et sic oportet quod, quaecumque sunt in genere, differant in eis *esse* et *quod quid est*, id est, *essentia*. In Deo

autem non differunt, ut ostensum est a. praec. Unde manifestum est, quod Deus non est in genere sicut species. » *I. C. Gent.* cap. 25. : « Quia *substantia* quae est genus, non est ipsum *esse.* »

QUARTO : **In Deo non est compositio subiecti et accidentis.** — I. q. 3. a. 6. : « Quia Deus est suum *esse.* Nam, ut Boëtius dicit lib. *De Hebdom.*, licet id quod est, aliquid aliud possit habere adiunctum, tamen ipsum *esse* nihil aliud adiunctum habere potest ; sicut quod est calidum, potest habere aliquid extraneum quam calidum, ut albedinem ; sed ipse calor nihil habet praeter calorem. »

Et *I. C. Gent.* cap. 22., postquam D. Thomas ostendit quod *in Deo idem est esse et essentia*, statim in subsequenti cap 23. incipit sic : « Ex hac etiam veritate de necessitate sequitur, quod Deo, super eius essentiam, nihil supervenire possit, neque aliquid ei accidentaliter inesse. Ipsum enim *esse* non potest participare aliquid quod non sit de essentia sua, quamvis *id quod est* possit aliquid aliud participare ; nihil enim est formalius aut simplicius quam *esse.* Divina autem substantia est ipsum *Esse.* Ergo nihil habet quod non sit de sua substantia. Nullum ergo accidens ei inesse potest. »

QUINTO : **Deus est omnino simplex.** — I. q. 3. a. 7. : « In omni composito est aliquid quod non est ipsum. Hoc autem etsi possit dici de habente formam, quod sc. habeat aliquid quod non est ipsum, puta, in albo est aliquid quod non pertinet ad rationem albi : tamen in ipsa forma nihil est alienum. Unde, cum Deus sit ipsa forma vel potius ipsum *esse*, nullo modo compositus esse potest. Et hanc rationem tangit Hilarius, *VII. De Trinit.* dicens : *Deus, qui virtus est, ex infirmis non continetur; neque qui lux est, ex obscuris coaptatur.* »

I. C. Gent. cap. 26. : « *Divinum* autem *esse* est absque additione, non solum cogitatione, sed etiam in rerum natura ; et non solum absque additione, sed etiam absque receptibilitate additionis. » Et *De Pot.* q. 7. a. 1. : « *Ens* autem *Primum*, quod Deus est, oportet esse *Actum Purum.* »

II

Deus est universaliter perfectus ; in Deo sunt perfectiones omnium rerum ; et nihil de perfectione essendi potest ei deesse (I. q. 4.).

I. q. 4. a. 2. : « Ex hoc, quod supra ostensum est (q. 3. a. 4.). Deus est ipsum *esse* per se subsistens ; ex quo oportet, quod totam perfectionem essendi in se contineat. Manifestum est enim quod, si aliquod calidum non habet totam perfectionem calidi, hoc ideo est, quia calor non participatur secundum perfectam rationem ; sed, si calor esset per se subsistens, non posset ei aliquid deesse de virtute caloris. Unde, cum Deus sit ipsum *esse* subsistens, nihil de perfectione essendi potest ei deesse. Omnium autem perfectiones pertinent ad perfectionem essendi. Secundum hoc enim aliqua perfecta sunt, quod aliquo modo *esse* habent. Unde sequitur, quod nullius rei perfectio Deo desit. »

I. C. Gent. cap. 28. : « Omnis enim nobilitas cuiuscumque rei est ibi secundum suum *esse ;* nulla enim nobilitas esset homini ex sua sapientia, nisi per eam *sapiens esset ;* et sic de aliis. Sic ergo, secundum modum quo res habet *esse*, est suus modus in nobilitate. Nam res, secundum quod suum *esse* contrahitur ad aliquem specialem modum nobilitatis, maiorem vel minorem, dicitur esse secundum hoc nobilior vel minus nobilis. Igitur, si aliquid est cui competit *tota virtus essendi*, ei nulla virtus nobilitatis deesse potest, quae alicui rei conveniat. Sed rei, quae est suum *esse*, competit esse secundum *totam essendi potestatem ;* sicut si esset aliqua albedo separata, nihil ei de virtute albedinis deesse posset. Nam alicui albo aliquid de virtute albedinis deesse potest, ex defectu recipientis albedinem, qui eam secundum modum suum recipit et fortasse non secundum totum posse albidinis. Deus igitur, qui est totum suum *esse* ut supra (cap. 21., 22. et 23.) probatum est, habet *esse* secundum totam virtutem ipsius *esse*. Non potest ergo carere aliqua nobilitate quae

alicui rei conveniat. Sicut autem omnis nobilitas et perfectio inest rei secundum quod est, ita omnis defectus inest ei secundum quod aliqualiter non est. Deus autem sicut habet *esse totaliter*, ita ab eo totaliter absistit *non esse;* quia per modum per quem habet aliquid *esse*, deficit a *non esse*. A Deo ergo omnis defectus absistit ; est igitur universaliter perfectus. Ista vero, quae tantum sunt, non sunt imperfecta propter imperfectionem ipsius *esse* absoluti, non enim ipsa habent *esse* secundum totum suum posse ; sed participant *esse* per quendam particularem modum et imperfectissimum. »

Observatio : Ad perfectam supradictorum intelligentiam, ex qua pendet ut intimius capiatur momentum huius profundissimae quaestionis *de Esse et Essentia*, habendae prae oculis sunt subsequentes D. Thomae adnotationes :

1ª *I. C. Gent.* cap. 28. : « Licet autem ea, quae *sunt* et *vivunt*, perfectiora sint quam ea quae tantum *sunt*, Deus tamen, qui non est aliud quam suum *esse*, est universaliter ens perfectum. Et dico universaliter perfectum, cui non deest alicuius generis nobilitas. »

2ª *De Verit.* q. 20. a. 2. ad 3. : « Secundum Dionysium, cap. 5. *De div. nom.*, aliter est in participationibus et in participantibus. Participationes enim quanto sunt simpliciores, tanto nobiliores, sicut esse quam vivere, et vivere quam intelligere, ut fiat comparatio inter esse et vivere, separato per intellectum *esse* a *vivere*. In participantibus autem quanto aliquid magis est compositum, non dico compositione materiali, sed per receptionem plurium participationum, tanto est nobilius, quia tanto in pluribus Deo assimilatur ; et huiusmodi assimilatio esse non potest nisi per aliqua a Deo accepta. Unde et anima, quae supra naturam suam habet habitus perficientes, nobilior est. »

3ª I. q. 4. a. 1. ad 3. : « Ipsum *esse* est perfectissimum omnium ; comparatur enim ad omnia ut actus ; nihil enim habet actualitatem nisi in quantum est ; unde ipsum *esse* est actualitas omnium rerum et etiam ipsarum formarum. Unde non comparatur ad alia sicut recipiens ad receptum, sed magis sicut receptum ad recipiens ; cum enim dico *esse*

hominis vel equi vel cuiuscumque alterius, ipsum *esse* consideratur ut formale et receptum, non autem ut illud cui competit *esse*. »

4ª I. q. 4. a. 2. ad 3. : « Licet igitur *ens* non includat in se *vivens*, quia non oportet quod illud, quod participat *esse*, participet ipsum secundum omnem modum essendi, tamen ipsum *esse* Dei includit in se vitam et sapientiam ; quia nulla de perfectionibus essendi potest deesse ei quod est ipsum *esse subsistens* [1]. »

5ª *De Ente et Essentia*, cap. 6. : « Nec oportet, si dicimus quod Deus est *esse* tantum, ut in errorem eorum incidamus, qui Deum dixerunt esse *illud esse universale* quo quaelibet res formaliter est... Similiter etiam, quamvis sit *esse* tantum, non oportet quod deficiant ei reliquae perfectiones vel nobilitates... sed habet eas modo excellentiori omnibus rebus ; quia in eo omnes unum sunt ;... et ita Deus in ipso *esse* suo omnes perfectiones habet. »

Corollarium. — Ex quibus omnibus habetur *ratio actus puri*, quae est *ratio summae simplicitatis* simul ac *summae perfectionis*. *Esse* enim *subsistens* est vivere subsistens, intelligere subsistens, velle subsistens, amare subsistens ; est ipsa vita, ipsa bonitas, ipsa sapientia, ipsa aeternitas, ipsa unitas, ipsa omnipotentia, ipsa beatitudo. *Esse* enim *subsistens* est ipsa natura essendi, in qua est tota essendi potestas, et est *esse* secundum totam virtutem ipsius *esse ;* ac perinde esse bonum per essentiam, esse infinitum, esse sapientem, esse liberum, esse necessarium, esse iustum, esse misericordem, esse sanctum, esse beatum, esse sine principio, sine fine, sine modo vel mensura, secundum totum suum posse, secundum totam perfectionem essendi, et esse totaliter, et fontem totius *esse*. Et nihil est nec esse potest quod istam naturam essendi aliquo modo non participet.

Natura autem essendi est *esse subsistens ;* ex quo derivantur per creationem omnia quae sunt, et sic sunt, quod tamen ipsarum rerum naturae non sunt hoc ipsum *esse*

[1] Vide etiam I.-II. q. 2. a. 5. ad. 2.

quod habent, sed participant *esse* secundum mensuram uniuscuiusque essentiae vel speciei. Essentiae enim rerum quae non sunt suum *esse*, sed *esse* participant, sunt sicut numeri ; et in numero, pondere et mensura comparantur ad *esse* sicut potentiae ad actum, ut declaratum est in lib. II. cap. 3.

III

Solus Deus est bonus per suam essentiam. (I. q. 6.)

Argumenta D. Thomae. — I. q. 6. a. 3. : « Unumquodque dicitur bonum secundum quod est perfectum. Perfectio autem alicuius rei triplex est : 1° Secundum quod in suo *esse* constituitur ; 2° prout ei aliqua accidentia superadduntur ad suam perfectam operationem necessaria ; 3° per hoc quod aliquid aliud attingit sicut finem... Haec autem triplex perfectio nulli creato competit secundum suam essentiam, sed soli Deo, cuius *essentia* est suum *esse*, et cui non adveniunt aliqua accidentia ; sed quae de aliis dicuntur accidentaliter, sibi conveniunt essentialiter : ut esse potentem, sapientem et alia huiusmodi, sicut ex dictis patet q. 3. a. 6. Ipse etiam ad nihil aliud ordinatur sicut ad finem, sed ipse est ultimus finis omnium rerum. Unde manifestum est, quod solus Deus habet omnimodam perfectionem secundum suam essentiam. Et ideo ipse solus est bonus per suam essentiam. »

I. C. Gent. cap. 38. : « Ex his autem haberi potest, quod Deus est ipsa sua bonitas. *Esse* enim *actu*, in unoquoque est bonum ipsius ; sed Deus non solum est ens actu, sed est ipsum suum *esse*, ut supra ostensum est cap. 22. Est igitur ipsa bonitas, non tantum bonus. »

« Item : *Id quod est* participare aliquid potest ; ipsum autem *esse*, nihil. Quod enim participat, potentia est ; *esse* autem, actus est. Sed Deus est ipsum *esse*, ut probatum est cap. 22. Non est igitur bonus participative, sed essentialiter. »

Et *De div. nom.* cap. 4. lect. 1. : « Ipsa divina essentia

est ipsa bonitas ; quod in aliis rebus non contingit. Deus enim est bonus per suam essentiam ; omnia vero alia per participationem. Unumquodque enim bonum est secundum quod est res actu ; Deo autem proprium est quod sit suum *Esse*. Unde ipse solus est sua bonitas. »

Observatio. — Ut melius vis ac robur argumentorum penetretur, recolenda est profunda doctrina a D. Thoma tradita I. q. 5. a. 1. ad 1. : « Licet bonum et ens sint idem secundum rem, quia tamen differunt secundum rationem, non eodem modo dicitur aliquid *ens simpliciter* et *bonum simpliciter*. Nam cum *ens* dicat aliquid proprie esse in actu, actus autem proprie ordinem habeat ad potentiam, secundum hoc simpliciter aliquid dicitur *ens*, secundum quod primo discernitur ab eo quod est in potentia tantum. Hoc autem est *esse substantiale* rei uniuscuiusque. Unde per suum *esse substantiale* dicitur unumquodque ens simpliciter ; per actus autem superadditos dicitur aliquid esse secundum quid, sicut *esse album* significat esse secundum quid ; non enim *esse album* aufert esse in potentia simpliciter, cum adveniat rei iam praeexistenti in actu. Sed *bonum* dicit *rationem perfecti*, quod est appetibile ; et per consequens dicit *rationem ultimi*. Unde id, quod est ultimo perfectum, dicitur bonum simpliciter. Quod autem non habet ultimam perfectionem quam debet habere, quamvis habeat aliquam perfectionem in quantum est actu, non tamen dicitur perfectum simpliciter, sed secundum quid. Sic ergo, secundum primum *esse*, quod est substantiale, dicitur aliquid ens simpliciter, et bonum secundum quid ; id est, in quantum est ens. Secundum vero ultimum actum dicitur aliquid ens secundum quid, et bonum simpliciter. Sic ergo, quod dicit Boëtius, lib. *De Hebdom.*, quod in rebus aliud est quod *sunt bona*, et aliud quod *sunt*, referendum est ad esse bonum simpliciter et ad esse simpliciter ; quia secundum primum actum est aliquid ens simpliciter ; et secundum ultimum, bonum simpliciter ; et tamen secundum primum actum est quodammodo bonum, et secundum ultimum actum est quodammodo ens. » Haec D. Thomas.

Corollaria. — 1^{um} Radix ergo prima et ultima ratio horum omnium est, quia in Deo *substantia* est *esse;* et in omnibus aliis, praeter Deum, *substantia* rei habens *esse* est tamquam potentia receptiva huius actus quod est *esse.*

2^{um} Exinde, solus Deus est ens per essentiam ; et omnia sunt entia per participationem. Solus Deus est bonus per essentiam ; et in Deo non est aliud *esse bonum,* et aliud *esse.* In omnibus aliis rebus aliud est quod *sunt bona;* et aliud, quod *sunt;* et sicut sunt entia per participationem, ita sunt quoque per participationem bona.

3^{um} Deus, cuius substantia est *esse,* per unum et eundem actum est ens simpliciter et bonus simpliciter ; omnia autem praeter Deum, in quibus aliud est substantia et aliud *esse,* sunt entia simpliciter per actum primum, quod est *esse,* sed non sunt bona nisi per alios actus superadditos, qui superveniunt ad actum substantiale.

4^{um} Deus per unum et eundem actum, qui est *esse,* et est, et est bonus, et est sapiens, et est intelligens, et est volens, et est sanctus, et est aeternus, et est beatus ; quia *esse* est actualitas omnium rerum et omnium formarum et omnium perfectionum et omnium actuum, est ipsa Dei essentia ; quia *esse,* quod est perfectissimum omnium, est ipsa Dei substantia vel natura ; et sic per unum solum actum, quod est Esse Subsistens, habet omnimodam perfectionem secundum suam essentiam.

5^{um} Omnia autem alia, in quibus aliud est essentia et aliud *esse,* sicut non sunt nisi quatenus participant *esse* quod est actus propriae essentiae, ita non possunt pervenire ad perfectionem, quam debent habere, nisi per multos actus superadditos, in quorum ultimo assequuntur rationem boni simpliciter et rationem perfecti et rationem ultimi finis seu beatitudinis. Unde in homine et in angelo aliud est essentia et aliud *esse ;* et deinde, aliud esse et aliud esse bonum, esse intelligens, esse sapiens, esse iustum, esse sanctum, esse simpliciter perfectum, et esse beatum.

6^{um} Quapropter Deo omnes actus omnesque perfectiones conveniunt essentialiter ; quia omnes perfectiones pertinent ad perfectionem essendi, et nulla perfectio essendi potest

deesse ei qui est ipsum Esse Subsistens et in quo ipsum Esse Subsistens est ipsamet substantia vel natura. In Deo omnes perfectiones sunt substantia Dei : omnia sunt Deus.

7^{um} Atque ita per unum et eundem actum, qui est sua substantia vel natura, Deus habet *esse* totaliter, et est universaliter perfectus, et est secundum totam essendi potestatem, Ac per hoc patet via plana ad inspiciendum in quo consistat *ratio formalis Infiniti.*

IV

Solus Deus est simpliciter infinitus ac perfectus secundum suam essentiam. (I. q. 7.)

Argumenta D. Thomae. — I. q. 7. a. 1. : « Infinitum, secundum quod se tenet ex parte formae non determinatae per materiam, habet rationem perfecti. Illud autem quod est maxime formale omnium, est ipsum *esse*, ut ex superioribus patet (q. 3. a. 4. et q. 4. a. 1. et 2.). Cum igitur *esse* divinum non sit *esse* receptum in aliquo, sed ipse sit suum *esse* subsistens, ut supra ostensum est (q. 3. a. 4), manifestum est, quod ipse Deus sit infinitus et perfectus. »

I. C. Gent. cap. 43. : « Omnis actus, alteri inhaerens, terminationem recipit ex eo in quo est ; quia, quod est in altero, est in eo per modum recipientis. Actus igitur in nullo existens, nullo terminatur ; puta, si albedo esset per se existens, perfectio albedinis in ea non terminaretur, quominus haberet quidquid de perfectione albedinis haberi potest. Deus autem est *actus* nullo modo in alio existens ; quia non est forma in materia, ut probatum est (cap. 21.) ; nec *esse* suum inhaeret alicui formae vel naturae, cum ipse sit suum *esse*, ut supra (cap. 22.) ostensum est. Relinquitur ergo ipsum esse infinitum. »

« Adhuc : In rebus invenitur aliquid quod est potentia tantum, ut materia prima ; aliquid quod est actus tantum, ut Deus, sicut supra ostensum est (cap. 16.) ; aliquid quod

est actus et potentia, sicut res ceterae. Sed potentia, cum ducatur ad actum, non potest actum excedere, sicut nec in unoquoque, ita nec simpliciter. Cum igitur materia prima sit infinita in sua potentialitate, relinquitur quod Deus, qui est actus purus, sit infinitus in sua actualitate. »

« Amplius : Ipsum *esse*, absolute consideratum, infinitum est. Nam ab infinitis et modis infinitis participari possibile est. Si igitur alicuius *esse* sit finitum, oportet quod limitetur *esse* illud per aliquid aliud, quod sit aliqualiter causa illius *esse* vel receptivum eius. Sed *esse* divini non potest esse aliqua causa, quia ipse est necesse esse per seipsum, nec *esse* eius est receptivum, cum ipse sit suum *esse*. Ergo *esse* suum est infinitum, et Ipse infinitus. »

Observatio Caietani. — Cardinalis Caietanus, *In* I. q. 13. a. 11. scribit haec, indigitans radicem ipsam infinitatis, quae se tenet ex parte formae, quaeque amplitudinem perfectionis sine termino manifestat. Declarans ergo nomen Dei proprium *Qui est*, ait : « Et scito, quod ly *Qui est*, ut appropriatum seu primum analogatum nomen est, unicum tantum conceptum formalem importat, ita quod non componitur ex duobus conceptibus, ut color albus, neque ut ens per se, neque ut *summum bonum*, neque ut *ens infinitum*. Et cum tanta simplicitate explicat pelagus infinitum substantiae. Imo, si recte ac perfecte concipiatur, explicat quasi causam, quare Deus sit ens infinitum ; non enim quia ens infinitum, ideo est *Qui est;* sed quia est *Qui est*, ideo esse infinitae perfectionis est. Unde non recte sensisse videtur Scotus in *I. Sent.* dist. 3. q. 1. dicens, quod simplicior et perfectior conceptus proprius Deo, nobis possibilis, sit conceptus huius nominis *ens infinitum*. Iam enim patet, quod conceptus ly *Qui est*, simplicior, perfectior ac prior est. »

Observatio Ioannis a Sancto Thoma. — Etiam Ioannes a Sancto Thoma adnotat, quomodo in identitate essentiae et *esse* latet ultimum quare Deum ostendimus esse infinitum simpliciter secundum essentiam. *Cursus Theol.* I. part. q. 7. disput. 7. a. 1. ita loquitur : « Existentia est formalissimus

actus omnium et terminus ultimus ; unde non est capax recipiendi aliam existentiam vel formam. Ergo, si est irrecipibilis, debet esse ex omni parte infinita ; quia neque in se recipitur, neque admittit aliam formam, quae recipiatur et limitetur. Sed in Deo datur existentia irrecepta... Ex dictis ferri potest iudicium de aliis rationibus, quibus probari solet infinitas divina ab aliis auctoribus ; et plures rationes ex illis affert D. Thomas, *I. C. Gent.* cap. 43. ; sed sunt rationes a posteriori. Istae autem, quas hucusque explicavimus, sunt quasi radicales et fundamentales, et ideo difficiliores ad penetrandum. »

Vis ac robur huius radicalis ac fundamentalis argumenti. — D. Thomas, *I. Sent.* dist. 43. q. 1. a. 1. : « Omnis enim forma in propria ratione, si abstracte consideretur, infinitatem habet ; sicut in albedine, abstracte intellecta, ratio albedinis non est finita ad aliquid ; sed tamen ratio coloris et ratio essendi determinatur in ea et contrahitur ad determinatam speciem. Et ideo, illud quod habet *esse* absolutum et nullo modo receptum in aliquo, imo ipsummet est suum *esse*, illud est infinitum simpliciter ; et ideo *essentia* eius infinita est, et *bonitas* eius et quidquid aliud de eo dicitur ; quia nihil eorum limitatur ad aliquid, sicut quod recipitur in aliquo limitatur ad capacitatem eius. Et ex hoc, quod essentia est infinita, sequitur quod potentia eius infinita sit ; et hoc expresse dicitur in libro *De causis* prop. 16. quod Ens Primum habet virtutem simpliciter infinitam, quia ipsummet est sua virtus. »

Esse namque est perfectio universalissima atque ultima omnium perfectionum actualitas. Unde quidquid illimitatum est secundum ipsam essendi rationem, eo ipso habet necessario omnem perfectionis plenitudinem, estque infinitum simpliciter in omni genere perfectionum. Iam vero, *esse subsistens*, praecise quia subsistens est et solutum ab omni comprincipio in quo sit receptum, nullum compatitur limitem in *ratione essendi ;* est enim ipsa pura essendi perfectio ; atque ita in ambitu suae propriae rationis claudit omnes perfectiones, simpliciter, absque termino, sine fine, sine limite. *Esse*

subsistens est igitur omnis perfectio subsistens : sapientia subsistens, bonitas subsistens, et sic de ceteris ; ac nihil de ratione alicuius perfectionis potest ei deesse, quia nihil ei deest de ratione essendi.

V

Deus est omnino immutabilis ; atque aeternitas vere et proprie in solo Deo est, ita quod ipse sit sua aeternitas. (I. q. 9. et q. 10.)

Argumenta D. Thomae quoad immutabilitatem. — Per viam motus, qua I. q. 2. a. 3. pervenitur ad aliquod primum movens quod a nullo movetur et quod dicimus *Deum*, concludit D. Thomas, I. q. 3. a. 4. quod in Deo essentia vel natura identificatur cum ipsomet actu existendi. « Quia *esse* (inquit) est actualitas omnis formae vel naturae ; non enim bonitas vel humanitas significatur in actu, nisi prout significamus eam esse. Oportet igitur, quod ipsum *esse* comparetur ad essentiam quae est aliud ab ipso, sicut actus ad potentiam. Cum igitur in Deo nihil sit potentiale, ut ostensum est (q. 2. a. 3.) sequitur, quod non sit aliud in eo essentia quam suum *esse*. Sua igitur essentia est suum *esse*. »

Atque deinde in q. 9. colligitur *Deum esse omnino immutabilem* ex tribus : 1° Quia Deus est actus purus absque permixtione alicuius potentiae. 2° Quia in Deo nulla est compositio, sed omnimoda simplicitas. 3° Quia Deus est infinite perfectus. Quae quidem omnia resolvuntur, veluti in radicem, in ipsam realem identitatem *esse* et essentiae. Nam quoniam in Deo substantia est *esse*, ideo Deus est omnino simplex, et actus purus, ac infinite perfectus. Idcirco Deus est omnino immutabilis ; et esse omnino immutabilem est solius Dei proprium, sicut solius Dei est proprium quod eius essentia sit suum *esse*.

Argumenta quoad aeternitatem. — Quoad vero aeterni-

tatem, quae nihil aliud est nisi ipsa omnimoda immutabilitas in essendo, sic D. Thomas educit illam ex identitate essentiae et *esse* in Deo :

a) I. q. 10. a. 2. : « Ratio aeternitatis consequitur immutabilitatem, sicut ratio temporis consequitur motum. Unde, cum Deus sit maxime immutabilis, sibi maxime competit esse aeternum. Nec solum est aeternus, sed est sua aeternitas ; cum tamen nulla alia res sit sua duratio, quia non est suum *esse*. Deus autem est suum *esse* uniforme. Unde, sicut est sua essentia, ita sua aeternitas. »

b) *I. Sent.* dist. 19. q. 2. a. 1. : « Esse autem in actu contingit dupliciter : Aut secundum hoc quod actus ille est incompletus et potentiae permixtus, ratione cuius ulterius in actum procedit ; et talis actus est motus ; est enim motus actus existentis in potentia secundum quod huiusmodi. Aut secundum quod actus non est permixtus potentiae nec additionem recipiens perfectionis ; et talis actus est *actus quietus* et *permanens*. Esse autem in tali actu contingit dupliciter : Vel ita quod ipsum *esse* actu, quod res habet, sit sibi acquisitum ab alio ; et tunc res habens tale *esse* est potentialis respectu huius actus, quem tamen perfectum accepit. Vel *esse* actu est rei ex seipsa, ita quod est de ratione quidditatis suae ; et tale *esse* est *esse* divinum, in quo non est aliqua potentialitas respectu huius actus. Sic igitur patet, quod est triplex actus : Quidam, cui non substernitur aliqua potentia, et tale est *esse* divinum et operatio eius ; et huic respondet loco mensurae *aeternitas*. Est alius actus, cui substat potentia quaedam ; sed tamen est actus completus, acquisitus in potentia illa ; et huic respondet *aevum*. Est autem alius, cui substernitur potentia, et admiscetur sibi potentia ad actum completum secundum successionem, additionem perfectionis recipiens ; et huic respondet *tempus*. »

c) Et a. 2. : « Sicut autem motus est actus ipsius mobilis, in quantum est mobile, ita *esse* est actus existentis, in quantum ens est. Unde, quacumque mensura mensuretur *esse* alicuius rei, ipsi rei existenti respondet *nunc* ipsius durationis, quasi mensura ; unde per *nunc* aevi mensuratur ipsum existens, cuius mensura est aevum, et per *nunc* aeter-

nitatis mensuratur illud ens, cuius *esse* mensurat aeternitas. Unde, sicut se habet quilibet actus ad id cuius est actus, ita se habet quaelibet duratio ad suum *nunc*. Actus autem ille qui mensuratur tempore, *differt* ab eo cuius est actus : et *secundum rem*, quia mobile non est motus ; et secundum rationem successionis, quia mobile non habet substantiam de numero successivorum, sed permanentium. Unde eodem modo *tempus* a *nunc* temporis differt dupliciter : sc. secundum *rem*, quia *nunc* non est tempus ; et secundum *successionis rationem*, quia tempus est successivum et non *nunc* temporis. Actus autem qui mensuratur aevo, sc. ipsum *esse* aeviterni, *differt* ab eo, cuius est actus, *re* quidem, sed non secundum rationem successionis, quia utrumque sine successione est. Et sic etiam intelligenda est differentia aevi ad *nunc* eius. *Esse* autem quod mensuratur aeternitate, est *idem re* cum eo cuius est actus, sed differt tantum ratione ; et ideo aeternitas et *nunc* aeternitatis non differunt re, sed ratione tantum, in quantum sc. ipsa aeternitas respicit ipsum *divinum esse*, et *nunc* aeternitatis *quidditatem* ipsius rei, quae secundum rem non est aliud quam suum *esse*, sed ratione tantum. »

d) *II. Sent.* dist. 2. q. 1. a. 1. : « Duratio respicit *esse in actu*... Differt autem aevum ab aeternitate, sicut et *esse* angeli ab *esse divino*, in duobus : Primo, quia *esse* divinum est per se stans, quia est id quod est ; in angelo autem est aliud *esse* et aliud *quod est*. Secundo, quia *esse* angeli est ab alio, sed non *esse divinum* ; unde patet quod, sicut *esse* angeli est quaedam participatio *esse* divini, ita etiam et aevum est quaedam participatio aeternitatis. »

e) *I. Sent.* dist. 8. q. 2. a. 1. : « Aeternitas dicitur quasi ens extra terminos. *Esse* autem aliquod potest dici terminatum tripliciter : vel *secundum durationem totam*, et hoc modo dicitur terminatum quod habet principium et finem ; vel *ratione partium durationis*, et hoc modo dicitur terminatum illud, cuius quaelibet pars accepta terminata est ad praecedens, praesens et sequens, sicut est accipere in motu ; vel *ratione supposiți*, in quo *esse* recipitur ; *esse* enim recipitur in aliquo secundum modum ipsius, et ideo terminatur, sicut et quaelibet alia forma quae de se communis est, et secun-

dum quod recipitur in aliquo, terminatur ad illud ; et hoc solum divinum *esse* non est terminatum ; quia non est receptum in aliquo, quod sit diversum ab eo. Dico ergo, quod ad excludendam primam terminationem, quae est principii et finis totius durationis, ponitur (in definitione aeternitatis) : *Interminabilis vitae ;* et per hoc dividitur aeternum ab his quae generantur et corrumpuntur. Ad excludendam autem secundam terminationem, sc. partium durationis, additur : *tota simul ;* per hoc enim excluditur successio partium, pro qua unaquaeque pars finita est et transit ; et per hoc dividitur aeternum a motu et tempore, etiamsi semper fuissent et futura essent, sicut quidam posuerunt. Ad excludendum tertiam terminationem, quae est ex parte recipientis, additur : *perfecta* (possesio) ; illud enim, in quo non est *esse* absolutum, sed terminatum per recipiens, non habet *esse* perfectum, sed illud solum, quod est suum *esse ;* et per hoc dividitur *esse* aeternum ab *esse* rerum immobilium creatarum, quae habent *esse* participatum, sicut spirituales creaturae. »

Observationes et corollaria. — 1. Ex identitate reali *esse* et essentiae in Deo declaratur propria ratio aeternitatis, sicut ex reali compositione essentiae et *esse* in omnibus praeter Deum declaratur ratio aevi et ratio temporis, quorum deinde ad invicem differentiae ex alio capite originem trahunt.

2. Inde quoque infertur, quod *esse* Dei est *esse subsistens, per se stans ; esse* vero creaturae, quantumvis perfectae, est *esse inhaerens* substantiae, cuius est actus, tamquam subiecto.

3. Deus est sua aeternitas, sicut est suum *esse ;* creatura vero, sicut non est suum *esse*, nec est sua duratio in essendo.

4. Etiamsi spirituales creaturae, quae sunt immobiles et necessariae in essendo, ab aeterno creatae fuissent, adhuc divideretur *esse* aeternum Dei ab *esse* aeterno rerum immobilium creatarum ; quia *esse* Dei est absolutum, per se stans, subsistens, ipsamet Dei substantia ; *esse* tamen creaturae terminatur per recipiens, atque est receptum in aliquo, quod est diversum ab eo.

5. Inde entia necessaria, etiamsi ab aeterno fuissent,

habent causam suae necessitatis in essendo ; Deus vero non habet causam suae necessitatis aliunde.

6. D. Thomas ad litteram tradit, quod in omni creatura *esse* differt ab *eo* quod est, secundum *rem, re, realiter* ; et quod suppositum, in quo *esse* recipitur, est diversum ab ipso actu essendi.

7. Identitas essentiae et *esse* in Deo est veluti radix et quasi ratio demonstrativa omnium divinarum perfectionum, summae videlicet simplicitatis, summae perfectionis, summae bonitatis, absolutae infinitatis, omnimodae immobilitatis, verae aeternitatis, ac maximae unitatis. Unde :

VI

Deus est unus et maxime unus. (q. 11.)

Argumenta D. Thomae. — I. q. 11. a. 3. : « Deum esse unum ex tribus demonstratur : 1° Quidem ex eius *simplicitate*. Manifestum est enim, quod illud, unde aliquid singulare est *hoc aliquid*, nullo modo est multis communicabile. Illud enim, unde Socrates est *homo*, multis communicari potest ; sed id, unde est *hic homo*, non potest communicari nisi uni tantum. Si ergo Socrates per id esset homo, per quod est *hic* homo, sicut non possunt esse plures Socrates, ita non possent esse plures homines. Hoc autem convenit Deo. Nam ipse Deus est sua natura, ut supra ostensum est (q. 3. a. 3. et 4.). Secundum igitur idem est *Deus* et *hic Deus*. Impossibile est igitur esse plures deos. »

« 2° *Ex infinitate eius perfectionis*. Ostensum est enim supra (q. 4. a. 2. et q. 7. a. 1) quod Deus comprehendit in se totam perfectionem essendi. Si ergo essent plures dii, oporteret eos differre. Aliquid ergo conveniret uni quod non conveniret alteri. Si autem hoc esset, perfectio alteri eorum deesset. Et sic ille, in quo esset privatio, non esset simpliciter perfectus. Impossibile est ergo esse plures deos. Unde et

antiqui philosophi, quasi ab ipsa coacti veritate, ponentes principium infinitum, posuerunt unum tantum principium. »

« 3° *Ab unitate mundi.* Omnia enim quae sunt, inveniuntur esse ordinata ad invicem, dum quaedam quibusdam deserviunt. Quae autem diversa sunt, in unum ordinem non convenirent nisi ab aliquo uno ordinarentur. Melius enim multa reducuntur in unum ordinem per unum quam per multa ; quia per se unius unum est causa ; et multa non sunt causa unius nisi per accidens, in quantum sc. sunt aliquo modo unum. Cum igitur illud, quod est primum, sit perfectissimum et per se, non per accidens, oportet quod primum reducens omnia in unum ordinem sit unum tantum. Et hoc est *Deus.* »

I. Sent. dist. 2. q. 1. a. 1. : « Eius, in quo non differt suum *esse* et sua *quidditas*, non potest participari quidditas sive essentia, nisi et *esse* participetur. Sed, quandocumque dividitur essentia alicuius per participationem, participatur essentia eadem secundum *rationem*, et non secundum idem *esse*. Ergo impossibile est eius, in quo non differt essentia et *esse*, essentialem participationem dividi vel multiplicari. Tale autem est Deus ; alias esset suum *esse* acquisitum ab aliquo. Ergo impossibile est, quod divinitas multiplicetur vel dividatur ; et ita erit unus tantum Deus. »

I. C. Gent. cap. 42. : « Duorum enim non est *unum esse*, si substantialiter distinguantur. Si autem est aliud et aliud *esse* in utroque, ergo neutrum erit sua quidditas et suum *esse*. Sed hoc oportet in Deo ponere, ut probatum est (cap. 22.). Ergo neutrum illorum duorum est hoc quod intelligimus nomine Dei. Sic igitur impossibile est ponere duos deos. »

« Item : *Esse abstractum* est unum tantum ; ut albedo, si esset abstracta, esset una tantum. Sed Deus est ipsum *esse* abstractum, cum sit suum *esse*, ut probatum est supra (cap. 22.). Impossibile est igitur esse nisi unum Deum. »

« Item : *Esse* proprium cuiuslibet rei est tantum unum. Sed Deus est *esse* suum, ut probatum est supra (cap. 22.). Impossibile igitur est esse nisi unum Deum. »

« Adhuc : Secundum hunc modum res habent *esse*, quo

possident *unitatem*. Unde unumquodque suae divisioni pro posse repugnat, ne per hoc in *non esse* tendat. Sed divina natura est potissime habens *esse*. Est igitur in ea *maxima unitas*. Nullo igitur modo in plura distinguitur. »

Observationes. — Ut inspicientibus notum quippe est, omnia ac singula argumenta pro unitate Dei militantia ex identitate *esse* et essentiae in Deo deducuntur vel ad illam veniunt postremo reducenda. Sic argumentum, sumptum *ex Dei simplicitate*, radicitus declaratur ex eo quod in Deo essentia vel substantia est *esse* eius : ut supra I. q. 3. a. 4.

Argumentum vero sumptum ex *infinita Dei perfectione*, etiam necessario consequitur identitatem *esse* et essentiae in Deo, qui ideo est infinitus simpliciter secundum essentiam, quia nulla de perfectionibus essendi potest deesse ei quod est ipsum *esse* subsistens : ut supra q. 4. a. 2. et q. 7. a. 1.

Argumentum autem sumptum ex *unitate mundi*, per illam quintam viam vadit, quae sumitur ex *gubernatione rerum;* per quam profecto devenire necesse est ad aliquid intelligens, a quo omnes res naturales ordinantur in finem ; et hoc dicimus *Deum*. De ratione autem primi intelligentis est identitas *esse* et essentiae : ut supra manet ostensum. I. q. 2. a. 3. et q. 3. a. 4.

Cetera alia argumenta ex hac ipsa identitate immediate eruuntur atque supra illam expresse fundantur. Nam ideo impossibile est esse nisi unum Deum, quia Deus est ipsum *esse* abstractum, subsistens, per se stans ; *esse* quod est ipsa Dei essentia et natura. Atque ex ipsa subsistentia divini *esse* exsurgit quod idem penitus sit per quod *Deus est* et per quod est *hic Deus;* et quoniam Deus est maxime ens, ideo maxime indivisum in se et maxime divisum ab aliis ; et idcirco maxime *unus* (q. 11. a. 4.).

Individuatio Dei ostenditur ex identitate ipsius esse et essentiae. — *a*) I. q. 7. a. 1. ad 3. : « Ex hoc ipso, quod *esse* Dei est per se subsistens, non receptum in aliquo, prout dicitur infinitum, distinguitur ab omnibus aliis, et alia removentur ab eo. Sicut si esset albedo subsistens ex hoc

ipso quod non esset in alio, differret ab omni albedine existente in subiecto. »

b) *Quodl.* 7. a. 1. ad 1. : « Aliquid dicitur determinatum dupliciter : Primo, ratione limitationis ; alio modo, ratione distinctionis. Essentia autem divina non est quid determinatum primo modo, sed secundo modo ; quia forma non limitatur nisi ex hoc quod in alio recipitur, cui materia commensuratur. In essentia autem divina non est aliquid in alio receptum, eo quod *esse* eius est ipsa divina natura subsistens, quod in nulla alia re contingit ; nam quaelibet res alia habet *esse* receptum, et sic limitatum ; et inde est, quod essentia divina ab omnibus distinguitur per hoc quod est in alio non recipi ; sicut si esset aliqua albedo existens non in subiecto, ex hoc ipso distingueretur a qualibet albedine in subiecto existente ; quamvis in ratione albedinis non esset recepta, et sic nec limitata. Patet ergo, quod essentia divina non est *quid generale in essendo*, cum sit ab omnibus aliis distincta, sed in *causando ;* quia id quod est per se, est causa eorum quae per se non sunt. Unde *esse per se subsistens* est causa *omnis esse* in alio *recepti ;* et ita essentia divina est intelligibile, quod potest determinare intellectum [1]. »

c) *De Ente et Essentia*, cap. 6. : « Hoc enim *esse*, quod Deus est, huius conditionis est, ut nulla sibi additio fieri possit ; unde per ipsam suam puritatem est *esse*, distinctum ab omni *esse*. Propter quod, in commento 9. proposit. libri *De causis* dicitur quod : *Individuatio primae causae, quae est esse tantum, est per puram bonitatem eius* [2]. »

[1] Vide infra Lib. 5. cap. 5.

[2] I. q. 3. a. 4. ad. 1. — *I. C. Gent.* cap. 26. — Vide *Comp. Theol.* cap. 14. — *De Causis*, lect. 21. et 22. — *III. Metaph.* lect. 10. et *IV. Metaph.* lect. 1.

VII

Deus est : 1° in summo cognitionis ; 2° in summo gradu vitae ; 3° in summo libertatis ; 4° in summo potentiae seu virtutis ; 5° in summo beatitudinis.

PRIMO : **Deus est in summo cognitionis.** — *a*) I. q. 14. a. 1. : « Immaterialitas alicuius rei est ratio quod sit cognoscitiva ; et secundum modum immaterialitatis est modus cognitionis... Unde, cum Deus sit in *summo immaterialitatis*, ut ex superioribus patet (q. 3. a. 4. ; q. 4. a. 2. ; q. 7. a. 1.), sequitur, quod ipse sit in *summo cognitionis*. » Et a. 2. ad 3. : « Deus autem est sicut actus purus, tam in ordine existentium quam in ordine intelligibilium. Et ideo per seipsum seipsum intelligit. » Et a. 4. : « Sicut enim *esse* sequitur formam, ita *intelligere* sequitur speciem intelligibilem. In Deo autem non est forma quae sit aliud quam suum *esse*, ut supra ostensum est (q. 3. a. 4.). Unde, cum ipsa sua essentia sit etiam species intelligibilis, ut dictum est (q. 3. a. 7.), ex necessitate sequitur quod ipsum eius *intelligere* sit eius essentia et eius *esse*. Et sic patet ex omnibus praemissis, quod in Deo intellectus, intelligens, et id quod intelligitur, et species intelligibilis, et ipsum intelligere, sunt omnino unum et idem. Unde patet, quod per hoc, quod Deus dicitur *intelligens*, nulla multiplicitas ponitur in eius substantia. »

b) *De Verit.* q. 2. a. 2. : « Secundum ordinem immaterialitatis in rebus, secundum hoc in eis natura cognitionis invenitur... Similiter est etiam ordo in cognoscibilibus... Quia igitur Deus est *in fine separationis a materia*, cum ab omni potentialitate sit penitus immunis, relinquitur quod ipse est maxime congoscitivus et maxime cognoscibilis. Unde eius natura secundum hoc quod habet *esse* realiter, secundum hoc competit ei et ratio cognoscibilitatis. Et quia secundum hoc etiam Deus est secundum quod natura sua est sibi, secundum hoc etiam cognoscit secundum quod natura sua est maxime cognoscitiva. Unde Avicenna dicit in *VIII.*

Metaph. cap. 6. et 7. quod ipse intellector et apprehensor sui est, eo quod sua quidditas, spoliata sc. a materia, est res quae est ipsemet. »

c) *I. C. Gent.* cap. 45. : « *Intelligere* comparatur ad *intellectum*, sicut *esse* ad *essentiam*. Sed *esse* divinum est eius essentia, ut supra (cap. 22.) probatum est. Ergo intelligere divinum est eius intellectus. Intellectus autem divinus est Dei essentia ; alias esset accidens Deo. Oportet igitur, quod intelligere divinum sit eius essentia. » Et cap. 47. : « Omne quod est in aliquo per modum intelligibilem, intelligitur ab eo. Essentia autem divina est in Deo per modum intelligibilem ; nam *esse naturale* Dei et *esse intelligibile* unum et idem sunt, cum *esse* suum sit suum *intelligere*. Deus igitur intelligit essentiam suam ; ergo seipsum, cum ipse sit sua essentia... Nobilissimum autem intelligibile Deus est. »

d) *Comp. Theol.* cap. 30. : « Eodem modo comparatur intellectus ad intelligere, sicut essentia ad *esse*. Sed Deus est intelligens per essentiam ; essentia autem sua est suum *esse*. Ergo eius intellectus est suum intelligere ; et sic per hoc quod est intelligens, nulla compositio in eo ponitur, cum in eo non sit aliud intellectus, intelligere, et species intelligibilis ; et haec non sunt aliud quam eius essentia. »

e) *De Malo*, q. 16. a. 8. : « Nam sicut in solo Deo non differt *forma* et ipsum *esse*, ita in solo Deo non differt *species intellecta* et ipsum *intelligere* quod est esse intelligentem. »

Secundo : **Deus est in summo gradu vitae.** — I. q. 18. a. 3. : « Vita maxime proprie in Deo est... Perfectior modus vivendi est eorum quae habent intellectum... Illud igitur, cuius sua natura est ipsum eius intelligere, et cui id, quod naturaliter habet, non determinatur ab alio, hoc est quod obtinet summum gradum vitae. Tale autem est Deus. Unde in Deo maxime est vita. Unde Philosophus, *XII. Metaph.*, ostenso quod Deus sit intelligens, concludit quod habeat vitam perfectissimam et sempiternam, quia intellectus eius est perfectissimus et semper in actu. »

I. C. Gent. cap. 97. : « Divinum *esse* omnem perfectionem essendi comprehendit, ut supra ostensum est (cap. 28.).

Vivere autem est quoddam esse perfectum ; unde viventia, in ordine entium, non-viventibus praeferuntur. Divinum ergo *esse* est vivere. Ipse ergo est vivens. »

TERTIO : **Deus est in summo gradu libertatis.** — I. q. 19. a. 1. : « Oportet in Deo esse voluntatem, cum sit in eo intellectus. Et sicut suum *intelligere* est suum *esse*, ita et suum *esse* est suum *velle*. » Et ad 3. : « Unde, cum voluntas Dei sit eius essentia, non movetur ab alio a se, sed a se tantum ; eo modo loquendi, quo intelligere et velle dicitur motus. Et secundum hoc Plato dixit, quod primum movens movet seipsum [1]. » Et a. 3. ad 5. : « Voluntas divina, quae ex se necessitatem habet, determinat seipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam. » Et a. 4. ad 2. : « Quia essentia Dei est eius intelligere et velle, ex hoc ipso quod per essentiam suam agit, sequitur quod agat per modum intellectus et voluntatis. » Et a. 5. ad 1. : « Voluntas Dei rationabilis est ; non quod aliquid sit Deo causa volendi, sed in quantum vult unum esse propter aliud. » A. 6. : « Cum igitur voluntas Dei sit universalis causa omnium rerum, impossibile est quod divina voluntas suum effectum non consequatur. » A. 7. : « Ostensum est supra (q. 9. a. 1. et q. 14. a. 5.) quod tam substantia Dei quam eius scientia est omnino immutabilis. Unde oportet voluntatem eius omnino esse immutabilem. » A. 8. ad 2. : « Ex hoc ipso, quod nihil voluntati divinae resistit, sequitur quod non solum fiant ea quae Deus vult fieri, sed quod fiant contingenter vel necessario, quae sic fieri vult. »

I. C. Gent. cap. 88. : « Homo per hoc quod habet liberum arbitrium, dicitur suorum actuum dominus. Hoc autem maxime competit primo agenti, cuius actus ab alio non dependet. Ipse igitur Deus liberum arbitrium habet. Hoc etiam ex ipsa nominis ratione haberi potest. Nam liberum est *quod sui causa est*, ut patet per Philosophum, *I. Metaph.* Hoc autem nulli magis competit quam primae causae, quae Deus est [2].

[1] Vide q. 18. a. 3. ad 1.
[2] Vide cap. 72. n. 7.

QUARTO : **Deus est in summo potentiae seu virtutis.** — I. q. 25. a. 1. : « Ostensum est autem supra (q. 2. a. 3. ; q. 3. a. 4. ; q. 4. a. 2. ; q. 7. a. 1.) quod Deus est *actus purus*, et simpliciter et universaliter perfectus... Unde maxime ei competit esse principium activum... Relinquitur ergo, quod in Deo maxime sit potentia activa. » A. 3. : « *Esse* autem *divinum*, super quod ratio divinae potentiae fundatur, est *esse* infinitum, non limitatum ad aliquod genus entis, sed praehabens in se totius *esse* perfectionem. Unde, quidquid habet vel potest habere rationem entis, continetur sub possibilibus absolutis, respectu quorum Deus dicitur *Omnipotens*. »

II. C. Gent. cap. 8. : « Potentia activa ad perfectionem rei pertinet. Omnis autem divina perfectio in ipso suo *esse* continetur, ut ostensum est (I. cap. 28.). Divina igitur potentia non est aliud ab ipso *esse* eius. Deus autem est suum *esse*, ut ostensum est (I. cap. 22.). Est igitur sua potentia. » Praeterea : « Omne quod est per aliud, reducitur ad id quod est per se, sicut ad primum. Alia vero agentia reducuntur in Deum sicut in primum agens. Est igitur agens per se. Quod autem per se agit, per suam essentiam agit ; id autem, quo quis agit, est eius activa potentia. Ipsa igitur Dei essentia est eius activa potentia. »

De Pot. q. 1. a. 1. : « Deo autem convenit esse actum purum et primum ; unde ipsi convenit maxime agere et suam similitudinem in alia diffundere ; et ideo ei maxime convenit potentia activa ; nam potentia activa dicitur secundum quod est principium actionis. » Et a. 2. : « Ipse autem divinus actus non finitur ex aliquo agente, quia non est ab alio, sed est a seipso ; neque finitur ex alio recipiente, quia cum nihil potentiae passivae ei admisceatur, ipse est actus purus non receptus in aliquo ; est enim Deus ipsum *esse* suum in nullo receptum. Unde patet, quod Deus est infinitus ; quod sic videri potest : *Esse* enim hominis terminatum est ad hominis speciem, quia est receptum in natura speciei humanae ; et simile est de *esse* equi vel cuiuscumque creaturae. *Esse* autem Dei, cum non sit in aliquo receptum, sed sit *esse purum*, non limitatur ad aliquem modum perfec-

tionis essendi, sed totum *esse* in se habet ; et sic, sicut *esse* in universali acceptum ad infinita se potest extendere, ita divinum *esse* infinitum est. Et ex hoc patet, quod virtus, vel potentia sua activa, est infinita. »

QUINTO : **Deus est in summo gaudii et beatitudinis.** — I. q. 26. a. 1. : « Beatitudo maxime Deo competit. Nihil enim aliud sub nomine beatitudinis intelligitur nisi bonum perfectum intellectualis naturae, cuius est suam sufficientiam cognoscere in bono quod habet ; et cui competit ut ei contingat aliquid, vel bene vel male ; et sit suarum operationum domina. Utrumque autem istorum excellentissime Deo convenit, sc. perfectum esse et intelligentem. Unde beatitudo maxime convenit Deo. » Et a. 4. : « Beatitudo est perfectio quaedam. Divina autem perfectio complectitur omnem perfectionem, ut supra ostensum est (q. 4. a. 2.). Ergo divina beatitudo complectitur omnem beatitudinem. »

I. C. Gent. cap. 101. : « Ipsum Dei intelligere est sua substantia. Ipse igitur est sua beatitudo... Deus autem ostensus est supra summum bonum esse. Beatitudo etiam summum bonum ostendetur esse, ex hoc quod est ultimus finis. Ergo beatitudo et Deus sunt idem. Est igitur Deus sua beatitudo. » Et cap. 102. : « Cum delectatio ex amore causetur, ubi est maior amor, ibi est maior delectatio in consecutione amati... Plus igitur delectatur Deus in sua beatitudine, quae est ipsemet, quam alii beati in beatitudine quae non est quod ipsi sunt... In aliis intelligentibus *intelligere ipsum* non est *subsistens*, sed *actus subsistentis ;* nec ipsum Deum, qui est summum intelligibile, aliquis ita perfecte potest intelligere sicut ipse perfectus est... Incomparabiliter igitur Deus super omnia beatus est. »

SEXTO : **Observationes et corollaria.** — Si attente consideretur processus D. Thomae in evolvendo ac dilucidando divinas perfectiones, clare inspicietur, quod ex modo essendi manifestatur modus operandi in Deo. Primo namque infertur statim Deum esse in *summo cognitionis*, quoniam Deus est in *summo immaterialitatis ;* summum autem immaterialitatis,

ex qua oritur ratio cognoscibilitatis, ex ipsa identitate essentiae et *esse*, in qua consistit *summum entitatis*, deducitur. Quapropter, quia Deus est secundum totam essendi potestatem, intelligit secundum totam intelligendi virtutem, et vivit secundum totam vivendi nobilitatem, et vult secundum totam amplitudinem efficaciae et libertatis, et operatur secundum supremum dominium et omnipotentiam, et gaudet secundum perfectissimam beatitudinem.

Et quoniam in Deo essentia est *esse*, idcirco velle et intelligere et agere est ipsa Dei substantia et ipsum divinum *esse*. Et sicut *esse* in Deo non est actus subsistentis, sed subsistens, ita intelligere non est actus intelligentis, nec velle actus volentis, nec vivere actus viventis, nec agere actus operantis, nec gaudere actus gaudentis, sed ipse Deus intelligens, et volens, et vivens, et agens, et gaudens.

Unde beatitudo et Deus sunt idem ; vita et Deus sunt idem ; amor, gaudium, actio et Deus sunt idem ; et Deus est sua actio, suum intelligere, et suum velle, et suum gaudium, et sua vita, et sua beatitudo.

Ac, sicut Deus est ipsum *esse*, et suum intelligere, et suum vivere, et suum velle, et suum agere, propter hoc sic agit quod non habet principium actionis ; et sic vult quod non habet volendi principium ; et sic vivit quod non habet principium vivendi ; et sic intelligit quod non habet principium intelligendi ; nam ita quoque est, quod non habet principium essendi.

Et sicut est Primum Ens, ita est et Primum Intelligens, et Primum Volens, et Primum Vivens, et Primum Agens, cuncta disponens, et portans omnia verbo virtutis suae omnipotentis ; et cuius amor est infundens et creans bonitatem in rebus ; et cuius beatitudo complectitur omnem beatitudinem, sicut eiusdem perfectio complectitur omnem perfectionem.

Et quoniam est ens per essentiam, ita similiter intelligens per essentiam, et volens per essentiam, et vivens per essentiam, et agens per essentiam, et amans per essentiam, et beatus per essentiam.

Et quia ex identitate essentiae et *esse* est universaliter

perfectus in essendo, ita quoque est universaliter perfectus in intelligendo, in volendo, in vivendo, in operando.

Esse Dei est eius substantia ; ideoque Dei intelligere est eius substantia ; Dei velle est eius substantia ; Dei vivere est eius substantia ; Dei agere est eius substantia ; Dei beatitudo est eius substantia ; et omnia in Deo sunt Dei substantia, sunt ipse Deus.

Soli Deo competit, quod sit ipsum *esse ;* soli igitur Deo competit, quod sit ipsum intelligere, ipsum vivere, ipsum velle, ipsum amare, ipsum gaudere : ipsa vita, sapientia, omnipotentia, sanctitas et beatitudo.

Atque exinde etiam sequitur, quod ultima hominis gloria et beatitudo non consistit nisi in solo Deo. Unde I-II. q. 2. a. 8. : « Nihil potest quietare voluntatem hominis nisi bonum universale ; quod non invenitur in aliquo creato, sed solum in Deo, quia omnis creatura habet bonitatem participatam. Unde solus Deus voluntatem hominis implere potest, secundum quod dicitur Ps. 102, 5 : *Qui replet in bonis desiderium tuum.* In solo igitur Deo beatitudo hominis consistit. » Et ibid. q. 3. a. 7. : « Quidquid ergo habet veritatem participatam, contemplatum non facit intellectum perfectum ultima perfectione. Cum autem eadem sit dispositio rerum in *esse* sicut in *veritate,* ut dicitur *II. Metaph.,* quaecumque sunt entia per participationem, sunt vera per participationem. Angeli autem habent *esse* participatum ; quia solius Dei suum *esse* est sua *essentia,* ut ostensum est (I. q. 3. a. 4.). Unde relinquitur, quod solus Deus sit veritas per essentiam, et quod eius contemplatio faciat perfecte beatum [1]. »

[1] Cf. *III. C. Gent.* cap. 49. et cap. 61.

CAPUT QUARTUM

Ex identitate essentiae et esse in Deo procedit D. Thomas ad veritatem creationis demonstrative probandam.

I

Argumenta D. Thomae.

I. q. 44. a. 1. : « Necesse est dicere omne ens, quod quocumque modo est, a Deo esse. Si enim aliquid invenitur in aliquo per participationem, necesse est quod causetur in ipso ab eo cui essentialiter convenit ; sicut ferrum fit ignitum ab igne. Ostensum est autem supra (q. 3. a. 4.) cum de divina simplicitate ageretur, quod Deus est ipsum *esse* per se subsistens. Et iterum ostensum est (q. 11. a. 3. et 4.), quod *esse* subsistens non potest esse nisi unum ; sicut si albedo esset subsistens, non posset esse nisi una, cum albedines multiplicentur secundum recipientia. Relinquitur ergo, quod omnia alia a Deo non sint suum *esse*, sed participent *esse*. Necesse est igitur omnia quae diversificantur secundum diversam participationem essendi, ut sint perfectius vel minus perfecte, causentur ab uno primo ente, quod perfectissime est. Unde et Plato (*Parmenides*) dixit, quod necesse est ante omnem multitudinem ponere unitatem. Et Aristoteles, *II. Metaph.* dicit quod id, quod est maxime ens et maxime verum, est causa omnis entis et omnis veri ; sicut id, quod est maxime calidum, est causa omnis caliditatis. »

I. q. 61. a. 1. : « Necesse est dicere et angelos et omne id, quod praeter Deum est, a Deo factum esse. Solus enim Deus est suum *esse;* in omnibus autem aliis differt *essentia* rei et

esse eius, ut ex superioribus patet (q. 3. a. 4.). Et ex hoc manifestum est, quod solus Deus est ens per suam essentiam ; omnia vero alia sunt entia per participationem. Omne autem quod est per participationem, causatur ab eo quod est per essentiam ; sicut omne ignitum causatur ab igne. Unde necesse est angelos a Deo creatos esse. »

II. C. Gent. cap. 15. : « Quod per essentiam dicitur, est causa omnium quae per participationem dicuntur ; sicut ignis est causa omnium ignitorum in quantum huiusmodi. Deus autem est *ens per essentiam suam*, quia est ipsum *esse ;* omne autem aliud est *ens per participationem*, quia ens, quod sit suum *esse*, non potest esse nisi unum, ut l. I. cap. 22. et 42. ostensum est. Deus igitur est causa essendi omnibus aliis. »

Comp. Theol. cap. 67. : « Omne quod habet aliquid per participationem, reducitur in id quod habet illud per essentiam, sicut in principium et causam ; sicut ferrum ignitum participat igneitatem ab eo quod est ignis per essentiam. Ostensum est autem supra (cap. 10.), quod Deus est ipsum suum *esse ;* unde *esse* convenit ei per suam essentiam, omnibus autem aliis convenit per participationem ; non enim alicuius alterius *essentia* est suum *esse*, quia *esse* absolutum et per se subsistens non potest esse nisi *unum*, ut supra ostensum est (cap. 14.). Igitur oportet Deum esse causam existendi omnibus quae sunt. »

De Pot. q. 3. a. 5. : « Illud quod est per alterum, reducitur, sicut in causam, ad illud quod est per se. Unde, si esset unus calor per se existens, oporteret ipsum esse causam omnium calidorum quae per modum participationis calorem habent. Est autem ponere *aliquod ens*, quod est ipsum suum *esse ;* quod ex hoc probatur, quia oportet esse aliquod primum ens, quod sit *actus purus*, in quo nulla sit compositio. Unde oportet, quod ab uno illo ente omnia alia sint, quaecumque non sunt suum *esse*, sed habent *esse* per modum participationis. »

II

Argumentorum explicatio.

PRIMO : **Supraposita argumenta ad unum reducuntur.** — Omnia quidem constituuntur ex iisdem praemissis, ex quibus rigore logico ac legitima consequentia infertur : a) *Omne ens, quod quocumque modo est, a Deo esse.* b) *Omne id, quod praeter Deum est, a Deo factum esse.* c) *Deum esse causam essendi omnibus aliis.* d) *Deum esse causam existendi omnibus.* e) *Quaecumque habent esse per modum participationis, esse creata ab Uno Ente per essentiam.*

Praemissae autem, ex quibus necessario deducitur omnia facta esse secundum totam suam entitatem, ac perinde creata ex nihilo sui, a Deo, ita se habent :

1° *Solus Deus est ens per suam essentiam; omnia vero alia sunt entia per participationem.*

2° *Omnia entia per participationem causantur ab ente per essentiam.*

Quod autem solus Deus sit ens per suam essentiam, manifestum est ex hoc, quod solus Deus est suum *esse*. Quod vero omnia alia praeter Deum sint entia per participationem, manifestum ex hoc, quod in omnibus aliis differt essentia rei et *esse* eius. Unde veritas huius praemissae, tota quanta est, fundatur in his duobus, nimirum : 1° *In Deo non est aliud essentia et aliud esse.* 2° *Ens, in quo non est aliud essentia et aliud esse, est unum tantummodo.* Quorum primum ex professo manet ostensum, cum ageretur de *simplicitate Dei* [1]; et alterum etiam ex professo ostensum fuit, cum ageretur de *unitate Dei* [2].

Restat denique demonstranda alia praemissa, videlicet : *Omnia entia per participationem causantur ab uno Ente per essentiam.* Quod demonstrandum venit ex attributis entis per essentiam atque ex attributis entium per participationem.

[1] I. q. 3. a. 4.
[2] I. q. 11. a. 2.

SECUNDO : **Attributa entis per essentiam.** — Ens per essentiam, cuius ratio formalis constituitur per hoc, quod *esse* est eius substantia vel natura, ac proinde per identitatem essentiae et *esse* eius, habet subsequentia attributa, quae ex ipsamet essentiae et *esse* eius identitate enascuntur, nempe : 1. esse omnino simplex seu actum purum ; 2. esse universaliter perfectum ; 3. esse bonum per essentiam ; 4. esse infinitum simpliciter secundum essentiam ; 5. esse omnino immutabile seu necessarium in essendo ; 6. esse unum solum.

TERTIO : **Attributa entium per participationem.** — Entia vero per participationem, quorum ratio formalis constituitur per hoc, quod *esse* non est ipsa substantia, sed actus eius, ac proinde per realem compositionem substantiae et *esse*, habet subsequentia attributa, quae ex ipsamet substantiae et *esse* compositione oriuntur, videlicet : 1. esse composita ex potentia et actu ; 2. esse constituta intra determinatum gradum perfectionis ; 3. esse finita seu limitata in sua entitate et bonitate ; 4. esse possibilia vel contingentia ; 5. esse mutabilia ; 6. esse plura.

Ex quibus omnibus aperte liquet, quod de ratione entium per participationem est quod, ut sint, indigent causari ab ente per essentiam ; et de ratione entis per essentiam est, quod sit causa existendi omnibus aliis quae sunt.

III

Processus quo D. Thomas pervenit ad demonstrationem Creationis.

PRIMO : **Initium processus sunt quinque viae, quibus Deum esse demonstrative probatur.** — Solida simul atque pulcherrima arte usus est D. Thomas ad veritatem creationis firmiter stabiliendam, processu vere philosophico probandam

ac miro claritatis splendore ostendendam. Nullus quippe datur hic circulus vitiosus, nullus saltus ; sed in tota logici processus serie mirificus ordo, validum argumentorum robur, idearumque latitudo ac profunditas. Hic vel maxime comprobatur illud, quod tantopere laudat Leo XIII. in Enc. *Aeterni Patris*, nempe quod « philosophicas conclusiones Angelicus Doctor speculatus est in rerum rationibus et principiis, quae quam latissime patent, et infinitarum fere veritatum semina suo veluti gremio concludunt, a posterioribus magistris opportuno tempore et uberrimo cum fructu aperienda. »

Incipit enim D. Thomas, I. q. 2. a. 3. ascendere per illas quinque vias, quibus Deum esse probari potest, assurgendo ex his rebus sensibilibus et corporalibus et ex quibusdam factis quae certa sunt et sensu constant, et perveniendo usque ad aliquod primum movens quod a nullo movetur ; usque ad aliquam primam causam efficientem quae non habet causam ; usque ad aliquid per se necessarium ; usque ad aliquid quod est primum ens ; et usque ad aliquod primum intelligens, a quo res naturales gubernantur. Et hoc omnes intelligunt et nominant : **Deum**.

Secundo : **Angulare fundamentum totius processus est identitas esse et essentiae in Deo atque ipsius unitas.** — Statim D. Thomas, I. q. 3. a. 4. ulterius progrediens ex ipsismet quinque praedicatis, sub quorum ratione *invisibilia Dei, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur*, ostendit in Deo identificari essentiam et *esse*, naturam et existentiam ; quoniam de ratione Primi Motoris, et Primae Causae Efficientis, et Primi Necessarii, et Primi Entis, et Primi Intelligentis est, quod *esse* sit substantia vel natura eius. Unde D. Thomas, I. q. 3. a. 4. concludit : « Impossibile est ergo, quod in Deo sit aliud *esse* et aliud eius essentia. » Et *I. C. Gent.* cap. 22. : « Necesse est igitur, quod Dei *esse* quidditas sua sit. Non igitur Dei essentia est aliud quam suum *esse*... Ipsum igitur *esse* Dei est sua essentia... Dei igitur essentia est suum *esse*... In Deo idem est *esse* et essentia. »

Deinde, ultra progrediens, Angelicus Doctor ex hac ipsa identitate *esse* et essentiae in Deo, ex qua elucescunt divinae perfectiones atque divinarum perfectionum infinitas, infert, quod Deus est unus, et unus solum, et maxime unus, eo ipso quia est maxime ens. *Esse* namque absolutum, *esse subsistens*, non potest esse nisi unum [1].

Atque ita uniuntur omnes quinque viae, quae nihil aliud sunt nisi diversi aspectus unius viae ; via una, via Primi Motoris secundum rationem causae efficientis et causae exemplaris et causae finalis. Et sicut de ratione Primi Motoris, et Primae Causae, et Primi Necessarii, et Primi Entis et Primi Intelligentis est *identitas essentiae et esse*, ita quoque est *maxima unitas*. Exinde :

Tertio : **Terminus totius processus est vera ac philosophica demonstratio creationis omnium rerum.** — D. Thomas, I. q. 44. concludit, ex eo quod Deus est ens per essentiam, esse subsistens et unum, Deum proinde esse primam causam efficientem et supremam causam exemplarem et ultimam causam finalem omnium rerum. Quapropter in q. 45. a. 2. respondet dicendum, quod : *Non solum non est impossibile a Deo aliquid creari ex nihilo, sed necesse est ponere a Deo omnia creata esse.*

Ab illo ergo primo movente, quod a nullo movetur, moventur omnia ; et ab illa prima causa efficiente, quae non habet causam, causantur omnia ; et ab illo per se necessario, quod non habet causam necessitatis aliunde, efficiuntur omnia, tam necessaria quam contingentia ; et ab illo primo ente, quod refulget in vertice rerum tamquam quid verissimum et optimum et nobilissimum, accipiunt omnia alia entia totam suam entitatem ; et ab illo primo intelligente, a quo omnes res naturales ordinantur in finem, ordinantur in finem etiam omnes intellectus et omnes voluntates, ita quod necesse est dicere, quod mundus ab uno gubernetur, et impossibile est quod aliquod entium subtrahatur gubernationi divinae. Et sic per unum et idem Deus in ratione diversarum causa-

[1] I. q. 11. a. et 4.

rum se habet ; quia per hoc quod est actus primus, est Agens et est Exemplar omnium formarum, et est bonitas pura, et per consequens omnium finis.

Deus est ipsum *esse* subsistens et unum ; est igitur Deus causa efficiens, exemplaris et finalis omnium rerum ; et materia prima est etiam ab ipso. Cum ergo per unum et idem Deus in ratione diversarum causarum se habeat, inde sequitur, quod Primum principium et ultimus Finis omnium rerum est Unum secundum rem.

En totus processus vere philosophicus ad veritatem creationis demonstrative probandam :

a) I. q. 2. a. 3. concluditur : *existere* **Ens, cui nihil est causa essendi.**

b) I. q. 3. a. 4. concluditur : *Entis, cui nihil est causa essendi,* **essentiam et esse identificari.**

c) I. q. 11. a. 3. et 4. concluditur : *Ens, cuius essentia et esse identificantur,* **non esse nisi Unum solum.**

d) I. q. 44. concluditur : *Ens, cui nihil est causa essendi, et cuius essentia est esse subsistens et Unum,* **esse omnibus entibus causam essendi secundum totam ipsorum entitatem.**

Unde I. q. 44. completur perfecte demonstratio existentiae Dei, dum ostenditur Deum esse Creatorem coeli et terrae ac Factorem visibilium omnium et invisibilium ; simulque apparet iam in perspicuo positus terminus illius quartae viae quae sumitur ex gradibus qui in rebus inveniuntur, nempe : « **Ergo est aliquid quod omnibus entibus est causa esse et bonitatis et cuiuslibet perfectionis : et hoc dicimus Deum** [1]. »

[1] I. q. 2. a. 3. *Via quarta.*

CAPUT QUINTUM

Identitas essentiae et existentiae in Deo claudit rationem demonstrativam omnium divinorum attributorum.

I

Esse Subsistens est ratio propria Divinitatis.

PRIMO : **Identitas esse et essentiae in Deo constituit illud in quo, tamquam in sua radice ac demonstrativa ratione, continentur reliqua quae Deo attribuuntur.** — Ante omnia, hoc quod *esse* sit substantia vel natura Dei, eruitur ex ipsa ratione Primi Motoris et Primae Causae et Primi Necessarii et Primi Entis et Primi Intelligentis [1].

Deinde, ex eo quod substantia vel natura Dei est ipsum *Esse Subsistens*, demonstrative probatur quod Deus est : 1° omnino simplex ; 2° universaliter perfectus ; 3° bonus per essentiam ; 4° infinitus simpliciter in omni entitate ac bonitate et perfectione ; 5° omnino immutabilis et aeternus ; 6° maxime unus ; 7° summe intelligens et primum volens et liberum per essentiam, et omnipotens ; 8° ipsa vita et ipsa beatitudo ; 9° primum efficiens et supremum exemplar et ultimus finis omnium rerum, visibilium et invisibilium [2],

SECUNDO : **Esse subsistens.** — *Esse* itaque *subsistens.* quod est *esse* identificatum cum ipsamet substantia cuius est actus, continet rationem omnimodae simplicitatis et omnimodae perfectionis ; rationem essentialis bonitatis et

[1] I. q. 2. a. 3. ; q. 3. a. 4.
[2] I. qq. 4., 6., 7., 8., 9., 10., 11., 14., 18., 19., 44. et 45.

absolutae immobilitatis et maximae unitatis ; rationem summae cognitionis, summae libertatis et summi dominii et summae efficaciae ; rationem ipsius aeternae beatitudinis, quae est interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio ; et rationem ipsius infinitatis, quae, quasi modus sine modo, omnes ac singulas Dei perfectiones necessario concomitatur. Unde Deus est infinitae bonitatis, infinitae sapientiae, infinitae virtutis vel activitatis, infinitae sanctitatis, infinitae perfectionis et pulchritudinis.

Esse Subsistens continet quoque rationem quare in Deo omnes perfectiones sunt subsistentes ; sunt ipsa substantia Dei ; sunt ipse Deus. Atque ita Dei velle et Dei intelligere et Dei agere sunt Dei substantia ; nam et Esse est Dei substantia vel natura. Exinde etiam in Deo idem est *esse*, et *esse sapiens*, et *esse bonus*, et *esse sanctus*, et *esse omnipotens*, et *esse beatus*, et sic de aliis ; quia nulla de perfectione essendi potest deesse ei qui est ipsum Esse Subsistens, et quia omnes prorsus perfectiones clauduntur in uno simplicissimo actu, quod est *Esse Subsistens*, et quod est perfectissimum omnium perfectionum.

Esse Subsistens, cum claudat in se simul et summum simplicitatis et summum perfectionis, exprimit etiam ipsam rationem formalem *Actus Puri*, quae est ratio *Entis per essentiam*.

Tertio : **Ratio Entis per essentiam.** — Ratio vero Entis per essentiam est ratio veri per essentiam et boni per essentiam et perfecti ac pulchri per essentiam ; et intelligentis, volentis, et agentis per essentiam ; et ratio infinitatis omnium perfectionum per essentiam ; et ratio unitatis et aeternitatis et beatitudinis per essentiam. Quapropter in Concilio Rhemensi an. 1148 ab Eugenio III. celebrato : « Credimus et confitemur simplicem naturam Divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari quin Divinitas sit Deus, et Deus Divinitas. Sicubi vero dicitur : Dominum sapientia sapientem, magnitudine magnum, divinitate Deum esse, et alia huiusmodi : credimus nonnisi ea sapientia, quae est ipse Deus, sapientem esse ; nonnisi ea

magnitudine, quae est ipse Deus, magnum esse ; nonnisi ea aeternitate, quae est ipse Deus, aeternum esse ; nonnisi ea unitate unum, quae est ipse ; nonnisi ea divinitate Deum, quae est ipse ; id est, seipso sapientem, magnum, aeternum, Unum Deum. »

Ratio denique entis per essentiam est ratio *Primi Entis* quod, cum sit maxime Ens, omnibus entibus est causa existendi et bonitatis et cuiuslibet perfectionis. Unde D. Thomas, *Quodl.* 7. a. 1. ad 1. : « *Esse per se subsistens est causa omnis esse in alio recepti.* »

Ratio entis per essentiam est ratio *Summi Unius*, a quo omnia participant unitatem sicut participant entitatem. Unde D. Thomas, *I. Sent.* dist. 2. q. 1. a. 2. : « Quod autem est causa alicuius, habet illud excellentius et nobilius. Unde oportet, quod omnes nobilitates omnium creaturarum inveniantur in Deo nobilissimo modo et sine aliqua imperfectione ; et ideo, quae in creaturis sunt diversa, in Deo propter summam simplicitatem sunt *Unum*. Sic ergo dicendum est, quod in Deo est sapientia, bonitas et huiusmodi, quorum quodlibet est ipsa divina essentia, et ita omnia sunt unum re. » Et ad 1. : « Pluralitas attributorum in nullo praeiudicat summae unitati ; quia ea quae in aliis sunt ut plura, in eo sunt unum, et remanet pluralitas tantum secundum rationem, quae non opponitur summae unitati in re, sed necessario ipsam consequitur, si simul adsit perfectio. » Et *Quodl.* 9. a. 6. ad 5. : « In *summo uno* nulla diversitas esse potest, cum in eo sit idem *esse* et *quod est;* unde hoc sufficit ad eius pluralitatem removendam. »

Ratio Entis per essentiam est ratio *Summi Boni*, de quo D. Thomas, I. q. 6. a. 4. : « Hoc absolute verum est, quod est aliquid primum, quod per suam essentiam est ens et bonum, quod dicimus Deum. A primo igitur per suam essentiam ente et bono, unumquodque potest dici bonum et ens, in quantum participat ipsum per modum cuiusdam assimilationis, licet remote et deficienter. Sic ergo unumquodque dicitur bonum bonitate divina, sicut primo principio exemplari, effectivo et finali totius bonitatis. »

II

Ex hoc, quod Essentia Dei est ipsum Esse Subsistens, excedit proportionem omnis intellectus creati.

PRIMO : **Dei proprius modus essendi.** — I. q. 12. a. 4. : « Impossibile est, quod aliquis intellectus creatus per sua naturalia essentiam Dei videat. Cognitio enim contingit secundum quod cognitum est in cognoscente. Cognitum autem est in cognoscente secundum modum cognoscentis. Unde cuiuslibet cognoscentis cognitio est secundum modum suae naturae. Si igitur modus essendi alicuius rei cognitae excedat modum naturae cognoscentis, oportet quod cognitio illius rei sit supra naturam illius cognoscentis.

Est autem *multiplex modus essendi*. Quaedam enim sunt, quorum natura non habet *esse* nisi in hac materia individuali ; et huiusmodi sunt omnia corporalia. Quaedam vero sunt, quorum naturae sunt per se subsistentes, non in materia aliqua ; quae tamen non sunt suum *esse*, sed sunt *esse* habentes. Et huiusmodi sunt substantiae incorporeae, quas angelos dicimus. Solius autem Dei proprius modus essendi est, ut sit suum *esse subsistens*.

Ea igitur, quae non habent *esse* nisi in materia individuali, cognoscere est nobis connaturale, eo quod anima nostra, per quam cognoscimus, est forma alicuius materiae. Quae tamen habet duas virtutes cognoscitivas : Unam, quae est actus alicuius corporei organi ; et huic connaturale est cognoscere res secundum quod sunt in materia individuali ; unde sensus non cognoscit nisi singularia. Alia vero virtus cognoscitiva eius est intellectus, qui non est actus alicuius organi corporalis. Unde per intellectum connaturale est nobis cognoscere naturas, quae quidem non habent *esse* nisi in materia individuali ; non tamen secundum quod sunt in materia individuali, sed secundum quod abstrahuntur ab ea per considerationem intellectus. Unde secundum intellectum possumus cognoscere huiusmodi res in univer-

sali ; quod est supra facultatem sensus. Intellectui autem angelico connaturale est cognoscere naturas non in materia existentes ; quod est supra naturalem facultatem intellectus animae humanae secundum statum praesentis vitae, quo corpori unitur.

Relinquitur ergo, quod cognoscere ipsum *esse subsistens* sit connaturale soli intellectui divino, et quod sit supra facultatem naturalem cuiuslibet intellectus creati ; quia nulla creatura est suum *esse*, sed habet *esse* participatum. Non igitur potest intellectus creatus Deum per essentiam videre nisi in quantum Deus per suam gratiam se intellectui creato coniungit, ut *intelligibile* ab ipso. »

Secundo : **Deus lucem habitans inaccessibilem.** — In *I. Tim.* cap. 6. lect. 3. S. Thomas declarans illa verba Apostoli, *Qui solus* (*Deus*) *habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*, ait : « Lux in sensibilibus est principium videndi ; unde illud, quo aliquid cognoscitur quocumque modo, dicitur lux. Unumquodque autem cognoscitur per suam formam et secundum quod est actu ; unde quantum habet de forma et actu, tantum habet de luce. Res ergo, quae sunt actus quidem, sed non purus, lucentia sunt, sed non lux. Sed divina essentia, quae est actus purus, est ipsa lux... Et secundum hoc nullus intellectus creatus per propria naturalia attingit ad cognoscendum *id quod est Deus*. Et ratio huius est, quia nulla potentia potest in aliquid altius suo obiecto, sicut visus ad altius colore. Proprium autem obiectum intellectus est *quod quid est;* unde quod superat *quod quid est*, excedit proportionem omnis intellectus. In Deo autem non est aliud *esse* et *quidditas* eius. »

Et *Coloss.* cap. 1. lect. 4. : « Notandum est, quod Deus dicitur *invisibilis*, quia excedit capacitatem visionis cuiuscumque intellectus creati, ita quod nullus intellectus creatus naturali cognitione potest pertingere ad eius essentiam. Job. 36, 26 : *Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram. I. Tim.* 6, 16 : *Lucem habitat inaccessibilem.* Videtur ergo a beatis ex gratia, non ex natura. Ratio huius assignatur a

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Dionysio, quia omnis cognitio terminatur ad *existens*, id est, ad aliquam naturam participantem *esse;* Deus autem est ipsum *esse*, non participans, sed participatum ; ergo est incognitus. Huius ergo Dei invisibilis Filius est imago..... Natura autem Dei est ipsum *esse* et *intelligere.* »

Tertio : **Deus est summe intelligens ac summe intelligibilis.** — Ex quibus habetur, quomodo Deus est in summo cognitionis, eo quod sit summum intelligibile simul atque summum intelligens. Est autem simul in summo intelligibilis et in summo intelligentiae, eo quod sit in summo immaterialitatis. Est autem in summo immaterialitatis, quia solius Dei proprius modus essendi est, ut sit suum *esse* subsistens. Adinvenitur enim proportio inter modum essendi et modum cognoscendi ; et inter modum essendi alicuius rei cognitae et modum essendi rei cognoscentis. In modo essendi tres distinguuntur fundamentales gradus, in quorum primo habetur *materia*, *forma* et *esse;* in quorum secundo, ascendendo, habetur *forma* et *esse;* in quorum supremo non habetur nisi *esse* tantum.

In *primo* namque gradu tria est considerare, quorum nullum est aliud, sc. : *individuum*, *natura speciei*, et *esse.* Etenim *hic homo* non est sua humanitas ; quia humanitas consistit tantum in speciei principiis ; sed *hic homo* supra principia speciei addit principia individuantia, secundum quod natura speciei in hac materia recipitur et individuatur. Similiter etiam nec humanitas est ipsum *esse* hominis.

In *secundo* autem gradu duo tantum est considerare ; quia in substantiis seu formis separatis a materia, natura speciei non recipitur in aliqua materia individuante, sed est ipsa natura per se subsistens ; unde non est in eis aliud *habens quidditatem* et aliud *quidditas* ipsa ; sed tamen aliud est in eis *esse* et *quidditas.*

In *supremo* denique gradu sive in rerum omnium vertice non est considerare nisi unum, quid verissimum, nobilissimum et optimum ; nam Deus est ipsum suum *esse subsistens.*

Inde intellectui humano connaturale est cognoscere res habentes formas in materia, quae sunt naturae non habentes

esse nisi in materia individuali, sed tamen secundum quod abstrahuntur ab ea per considerationem intellectus. Intellectui vero angelico connaturale est cognoscere naturas non in materia existentes, sed tamen non habentes *esse* nisi in aliqua forma receptum. Et sicut cognoscendo quidditates materiales, homo non cognoscit substantias separatas, ita nec angelus, cognoscendo formam separatam a materia sive substantiam immaterialem, non potest cognoscere divinam essentiam, quae est substantia separata et a materia et a forma ; quia in Deo substantia est ipsum *esse* separatum subsistens.

Et ideo cognoscere ipsum Esse Subsistens est connaturale soli intellectui divino ; et in Deo intelligere et *esse* sunt unum et idem, ipsa nempe natura et substantia Dei.

III

Esse est nomen proprium Dei.

Primo : **Quia in solo Deo esse et essentia sunt idem.** — Haec est ratio prima et fundamentalis, qua D. Thomas [1] ostendit hoc nomen *Qui est* constituere maxime proprium nomen Dei. Unumquodque enim proprie denominatur a sua forma. *Esse* autem non est essentia alicuius creaturae, nec forma nec pars alicuius essentiae creatae ; quia hoc quod est *esse*, solius Dei est ipsa substantia vel natura. Unde, cum *esse* Dei sit ipsa eius essentia, et hoc nulli alii conveniat, manifestum est quod inter alia nomina, *esse* propter sui significationem maxime proprie nominat Deum, cuius forma est ipsum *esse* subsistens. Quapropter, postquam Angelicus Doctor, *I. C. Gent.* cap. 22. ostendit, quod in Deo idem est *esse* et essentia, et *II. C. Gent.* cap. 52. quod in substantiis intellectualibus differt *esse* et *quod est*, utrumque claudit

[1] I. q. 13. a. 11. — *De Pot.* q. 10. a. 1. ad 9.

capitulum hac vere aurea sententia : « Hanc autem sublimem veritatem Moyses a Domino est edoctus, qui, cum quaereret a Domino dicens : *Si dixerint ad me filii Israel : Quod est nomen eius; quid dicam eis?* Dominus respondit : **Ego sum qui sum.** *Sic dices filiis Israël :* **Qui est,** *misit me ad vos;* ostendens suum proprium nomen esse : **Qui est...** Hinc est, quod proprium nomen Dei ponitur esse : **Qui est ;** quia eius solius proprium est, quod sua substantia non sit aliud quam suum *esse.* » Et *I. Sent.* dist. 8. q. 1. a. 1. : « Cum autem ita sit, quod in qualibet re creata essentia sua differat a suo *esse,* res illa proprie denominatur a quidditate sua, et non ab actu essendi, sicut homo ab humanitate. In Deo autem ipsum *esse* suum est sua quidditas ; et ideo nomen, quod sumitur ab *esse,* proprie nominat ipsum, et est proprium nomen eius ; sicut proprium nomen hominis, quod sumitur a quidditate sua. »

Secundo : **Quia esse exprimit actum omnium perfectionum.** — Atque ista est ratio secunda, qua D. Thomas et S. Ioannes Damascenus [1] concludunt nomen **Qui est** esse maxime proprium nomen Dei, videlicet, propter eius universalitatem in significando. Quolibet enim alio nomine determinatur aliquis modus substantiae rei ; sed hoc nomen *Qui est,* nullum modum essendi determinat, sed se habet indeterminate ad omnes. Et ideo, totum in seipso comprehendens habet ipsum *esse* velut quoddam pelagus substantiae infinitum. Unde ipse D. Thomas, *I. Sent.* dist. 8. q. 1. a. 1. : « *Esse,* inter omnes alias divinae bonitatis participationes, sicut *vivere* et *intelligere* et huiusmodi, primum est et quasi principium aliorum, praehabens in se omnia praedicta, secundum quendam modum unita ; et ita etiam Deus est principium divinum, et omnia sunt unum in eo. »

Tertio : **Quia esse subsistens claudit in sua significatione omnes perfectiones possibiles.** — Omnes namque perfectiones pertinent ad perfectionem essendi ; et nulla per-

[1] I. q. 13. a. 11. — *De Pot.* q. 10. a. 1. ad. 9.

fectio essendi potest deesse ei qui est ipsum *esse* subsistens ; atque, ut supra dictum est, in subsistentia actus essendi stat veluti radix ac fundamentum omnium attributorum, quae de Deo cum veritate praedicantur. Quod iam Sancti Patres et antiqui Doctores, dum explicarent hoc nomen **Qui est,** saepe saepius testati sunt.

a) *Esse subsistens significat quod Deus a seipso habet ut sit.* — Quare S. Hieronymus [1] : « Quomodo nomen commune substantiae vindicat Deus ? Quia cetera ut sint, Dei sumpsere beneficio ; Deus vero, qui semper est, nec habet aliunde principium, et ipse sui origo est suaeque causa substantiae, non potest intelligi aliunde habere quod subsistit. Una est Dei et sola natura, quae vere est. Id enim quod subsistit, non habet aliunde, sed suum est. Cetera quae creata sunt, etiamsi videntur esse, non sunt, quia aliquando non fuerunt ; et potest rursum non esse, quod non fuit. Deus solus qui aeternus est, hoc est qui exordium non habet, essentiae nomen vere tenet ; idcirco ad Moysem de rubo loquitur, Exod. 3. : *Ego sum qui sum.*

b) *Esse subsistens significat omnimodam simplicitatem et perfectionem et immutabilitatem.* — Inde S. Leo Magnus [2] : « Non autem, quicquid inter creaturas eminet, Deus est ; nec si quid magnum est atque admirabile, hoc est quod ille, *qui facit mirabilia magna solus* (Ps. 135, 4). Nemo hominum veritas, nemo sapientia, nemo iustitia est ; sed multi participes sunt veritatis et sapientiae atque iustitiae. Solus autem Deus nullius participationis indigus est, de quo quicquid digne utcumque sentitur, non qualitas est, sed essentia. Incommutabili enim nihil accedit, nihil deperit ; quia *esse* illi, quod est sempiternum, semper est proprium. Unde in se manens innovat omnia, et nihil accipit quod ipse non dederit. »

c) *Esse subsistens significat aeternitatem.* — Quoniam signi-

[1] *Comment.* in Epist. ad Ephes. cap. 3. — Et Epist. XV. (édit. Migne) ad Damasum Papam.

[2] Epist. ad Turribium Asturicensem episcopum, *De Priscilliani-starum erroribus.*

ficat esse in praesenti. Et hoc maxime proprie de Deo dicitur, cuius *esse* non novit praeteritum vel futurum. Inde S. Ambrosius [1] : « Vere Dei solius est *esse*, qui semper est. » Et S. Augustinus [2] : « Dominus dicit : *Ante Abraham ego sum* (Ioan. 8, 58). Ante Abraham dicimus ? Coelum et terra, antequam esset homo, facta sunt. Ante ista fuit Dominus, imo et est. Optime enim non ait : *Ante Abraham ego fui ;* sed : *Ante Abraham ego sum.* Quod enim dicitur quia fuit, non est ; et quod dicitur quia erit, nondum est ; ille non novit nisi *esse.* Secundum quod Deus *esse* novit ; *fuisse* et *futurum esse* non novit... Ab aeterno Patre genitus, ex aeternitate genitus, in aeternitate genitus ; nullo initio, nullo termino, nullo spatio latitudinis ; quia est quod est ; quia ipse est *Qui est.* Hoc nomen suum dixit Moysi : *Dices eis :* **Qui est,** *misit me ad vos* (Exod. 3, 14). »

d) Esse subsistens significat naturam essendi, cui nulla natura est contraria. — Quoniam omnis natura est ens ; et omne quod est, participat naturam essendi. Unde S. Augustinus [3] : « Ex quo iam spiritualibus animis patere confido, nullam naturam Deo esse posse contrariam. Si enim *Ille est,* et de solo Deo proprie dici potest hoc verbum : nihil ergo habet Deus contrarium. Si enim quaereretur a nobis quid sit *albo* contrarium, responderemus : *nigrum.* Si quaereretur quid sit *calido* contrarium, responderemus : *frigidum.* Si quaereretur quid sit *veloci* contrarium, responderemus : *tardum ;* et quaecumque similia. Cum autem quaeritur quid sit contrarium *Ei quod est,* recte respondetur : *quod non est.* »

e) Esse subsistens significat maximam unitatem. — Unde S. Bernardus [4] : « Meus Deus ipse catholice est. Tam non habet hoc et illud, quam non haec et illa. Est qui est, non quae est. Purus, simplex, integer, perfectus, constans sibi ; nihil de temporibus, nihil de locis, nihil de rebus trahens in se, nihil ex se deponens in eis ; non habens quod ad numerum

[1] *De fide,* lib. 5. cap. 2.
[2] *Tract.* 2. in I. Epist. Joan. cap. 2.
[3] Lib. *De fide et symbolo,* cap. 4.
[4] *De Consideratione,* lib. 5. cap. 7.

dividat, non quae colligat ad unùm. Unum quippe est, sed non unitum... Non est compositus Deus, merum simplex est. Et ut liquido noveris, quid simplex dicam : idem quod unum. Tam simplex Deus, quam unus est. Est autem unus, et quomodo aliud nihil. Si dici possit, *Unissimus* est... Nihil in se nisi se habet Deus. Compara huic Uni omne quod unum dici potest, et unum non erit. »

f) Esse Subsistens significat omnia quae in Deo sunt et quae sunt ipse Deus. — S. Bernardus [1] : « Quis est ? Non sane occurrit melius, quam **Qui est** (Exod. 3, 14). Hoc ipse de se voluit responderi, hoc docuit, dicente Moyse ad populum, ipso quidem iniungente : **Qui est,** *misit me ad vos.* Merito quidem. Nihil competentius aeternitati, quae Deus est. Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quicquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est : **Est.** Nempe hoc est ei *esse,* quod *haec omnia esse.* Si et centum talia addas, non recessisti ab *esse.* Si ea dixeris, nihil addidisti ; si non dixeris, nihil minuisti. Si iam vidisti hoc tam singulare, tam summum *esse :* nonne in comparatione huius, quicquid hoc non est, iudicas potius non esse quam esse ? Quid item Deus ? Sine quo nihil est. Tam nihil esse sine ipso, quam nec ipse sine se potest. Ipse sibi, ipse omnibus est. Ac per hoc quodammodo ipse solus est, qui suum ipsius est, et omnium esse. » Et S. Augustinus [2] : « *Ego sum qui sum :* quae mens potest capere ? quisnam sufficit sonus ? quae suppetit eloquentia ? quae vires intelligendi ? quae facultas proferendi ? quid enim non est eorum quae fecisti ? Numquid coelum non est ? numquid terra non est ? numquid non sunt ea quae in terra et in coelo sunt ? numquid homo ipse, cui loqueris, non est ? numquid angelus, quem mittis, non est ? Si omnia sunt, ea quae aperte facta sunt : quod est quod Tibi proprium quiddam tenuisti *ipsum esse,* quasi alia non sint ? Res enim quaelibet, prorsus qualicumque excellentia, si mutabilis est, non vere est ; non enim est ibi verum *esse,* ubi est *non esse.* Quidquid mutatur et est quod

[1] *De Considerat.* lib. 5. cap. 6.
[2] *Tract. 38. in Ioan.*

non erat, video ibi quandam vitam in eo quod est, et mortem in eo quod non est. Discute rerum mutationes, invenies : *fuit* et *erit*. Cogita Deum, invenies : *Est*, ubi *fuit* et *erit* esse non possit. O Veritas, quae vere est ! »

g) Esse subsistens significat summum quod de Deo potest praedicari. — Caietanus [1] : « Cum Deus gloriosus sit suum *esse*, ipse nihil est aliud quam *Ipsum Esse* secundum rem separatum a naturis praedicamentalibus a sua puritate *subsistens*. » Et rursus [2] : « Nihil potest cogitari eminentius ipso *Esse* per essentiam. » — Atque S. Augustinus [3] : « *Ego sum qui sum* (Exod. 3, 14). Cum enim Deus summa essentia sit, hoc est, *summe sit*, et ideo incommutabilis sit, rebus quas ex nihilo creavit, *esse* dedit, sed non *summe esse*, sicut ipse est ; et alii dedit *esse* amplius, aliis minus ; atque ita naturas essentiarum gradibus ordinavit. Sicut enim ab eo quod est *sapere*, vocatur *sapientia*, sic ab eo quod est *esse*, vocatur *essentia*... Ac per hoc ei naturae, quae *summe est*, qua faciente, sunt quaecumque sunt, contraria natura non est, nisi quae *non est*. Ei quippe *quod est*, *non esse* contrarium est. Et propterea Deo, id est, summae essentiae et auctori omnium qualiumcumque essentiarum, essentia nulla contraria est. » Rursus [4] : « Sicut enim ab eo quod est *sapere*, dicta est *sapientia*, et ab eo quod est *scire*, dicta est *scientia* : ita ab eo quod est *esse*, dicta est *essentia*. Et quis *magis est*, quam ille qui dixit famulo suo Moysi : **Ego sum qui sum ;** et *dices filiis Israel :* **Qui est,** *misit me ad vos*. Sed aliae, quae dicuntur essentiae sive substantiae, capiunt accidentia, quibus in eis fiat vel magna vel quantacumque mutatio ; Deo autem aliquid huiusmodi accidere non potest... Quia hoc est ibi *esse*, quod *magnum esse*, quod *bonum esse*, quod *sapientem esse*. » Ac denique [5] : « Cum ergo sunt et illa quae fecit, venitur tamen ad illius comparationem ; tamquam solus sit, dixit : *Ego sum*

[1] *Comment.* in opusc. *De Ente et Essentia*. cap. 6.
[2] *Comment.* in I. q. 44. a. 1.
[3] *De Civitate Dei*, lib. 12. cap. 2.
[4] *De Trinit.*, lib. 5. cap. 2. et lib. 8. *Prooemium*.
[5] In Psalm. 134. Enaration.

qui sum. Et dices filiis Israel : *Qui est,* misit me ad vos. Non dixit : *Dominus Deus ille omnipotens, misericors, iustus:* quae si diceret, utique vera diceret ; sed, sublatis de medio omnibus quibus appellari possit et dici Deus, ipsum *Esse* se vocari respondet ; et tamquam hoc esset Dei nomen, hoc dices eis (inquit) : **Qui est**, *misit me.* Ita enim ille est, ut in eius comparatione quae facta sunt, non sint illi comparanda ; quoniam ab illo sunt. Illi enim comparata, non sunt ; quia verum esse, incommutabile esse est : quod ille solus est. » Unde ipse S. Augustinus, hanc adeo sublimem demiratus veritatem, exclamat [1] : « O Summe, optime, omnipotentissime, misericordissime, iustissime, secretissime, praesentissime, pulcherrime et fortissime, stabilis et incomprehensibilis ; invisibilis, omnia videns ; immutabilis, omnia mutans ; nunquam novus, innovans omnia ; semper agens, semper quietus ; colligens, et non egens ; omnia portans sine onere ; omnia implens sine inclusione ; omnia creans, protegens, nutriens et proficiens ; quaerens, cum nihil desit tibi... Qui omnia de nihilo creasti, quae sola voluntate tua fecisti... Qui vere es quod es, et non mutaris ; cui maxime convenit illud quod Graeci dicunt ὤν, Latini, *Ens:* quod semper idem ipse es, et anni tui non deficient. — Haec et alia multa docuit me Sancta Mater Ecclesia, cuius factus sum membrum per gratiam tuam. »

[1] *Meditationes,* cap. 29.

LIBER QUARTUS

DE ENTE PER PARTICIPATIONEM QUOD EST CREATURA

PROLOGUS

Ens nominaliter et per modum participii. — Ens dupliciter sumi potest : Uno modo, secundum quod importat *rem*, cui competit *esse;* et sic significat essentiam seu naturam rei, et dividitur per decem genera ; non tamen univoce, quia non eadem ratione competit omnibus *esse;* sed substantiae quidem per se, aliis autem aliter. Et hoc modo ens sumitur *nominaliter*. Alio modo accipitur ens secundum quod importat *esse*, quod competit rei et *quo* res ipsa *est;* et sic significat existentiam rei ; et participatur, licet analogice, ab omnibus naturis vel essentiis quae per decem rerum genera dividuntur. Atque in hac acceptione ens sumitur per modum *participii*. Unde D. Thomas, *X. Metaph.* lect. 1. : « Esse autem in hoc tempore vel in illo, est accidentale praedicatum. Sed *ens*, quod dividitur per decem praedicamenta, significat ipsas naturas decem generum secundum quod sunt actu vel potentia. »

Quomodo ens ita sumptum dicatur de rebus. — Si ergo *nominaliter* sumatur, ens constituit praedicatum essentiale omnium rerum ; etenim significat ipsam essentiam, cui competit *esse* et quae est potentia subiectiva ipsius actus existendi. Nihil quippe est magis intimum ac essentiale rei quam ipsamet eiusdem essentia. Quo profecto sensu tradit D. Tho-

mas, *De Verit.* q. 1. a. 1. : « Quaelibet natura essentialiter est ens. » Et ibid. q. 10. a. 11. ad 10. : « Ens, quod est primum per communitatem, cum sit idem per essentiam rei cuilibet, nullius proportionem excedit. » Ac rursus, *II. C. Gent.* cap. 52. : « Substantia uniuscuiusque est ens per se. » — Si vero ens sumatur per *modum participii*, nonnisi de Deo essentialiter praedicatur ; quia hoc quod est *esse*, est solius Dei substantia ; et soli Deo, cuius essentia et *esse* sunt idem, convenit necessario atque immutabiliter actu existere. Unde in hoc sensu docet D. Thomas, *III. G. Cent.* cap. 65. : « *Esse* non est natura vel essentia alicuius rei creatae, sed solius Dei, ut ostensum est lib. 1. cap. 21. et 22. » Et ibid. cap. 20. : « Ipsum divinum *esse* est ipsius Dei existentis substantia ; in aliis autem rebus hoc accidere non potest ; ostensum est enim lib. 2. cap. 52. et 53. quod nulla substantia creata est suum *esse*. »

Compositio ex substantia et esse est compositio participantis et participati in ipsa linea entis. — Ita D. Thomas, *Quodl.* 2. a. 3. : « *Ens* praedicatur de solo Deo *essentialiter*, eo quod *esse* divinum est *esse subsistens et absolutum;* de qualibet autem creatura praedicatur per *participationem;* nulla enim creatura est suum *esse*, sed *habens esse*. Sic et Deus dicitur bonus essentialiter, quia est ipsa bonitas ; creatura autem dicitur bona per participationem, quia habet bonitatem. Unumquodque enim, in quantum est, bonum est, secundum illud Augustini, *I. De doctrina christiana*, quod in quantum sumus, boni sumus. Quandocumque aliquid praedicatur de altero per participationem, oportet ibi *aliquid* esse praeter *id* quod participatur ; et ideo in qualibet creatura est aliud *ipsa creatura* quae habet *esse*, et ipsum *esse* eius. Et hoc est, quod Boëtius dicit in libro *De Hebdomad.* quod : *In omni eo, quod est citra Primum, aliud est esse et quod est.* » Inde sequitur, quod in Primo, ex eo quod idem est essentia et *esse*, idem quoque est *esse*, et esse bonum, sapientem, et sic de aliis perfectionibus ; dum, e contra, in omnibus, ex eo quod aliud essentia et *esse*, aliud quoque est *esse*, et esse bonum, iustum et huiusmodi. Ad rem Caietanus, In I. q. 12. a. 2. : « Ex hoc, quod natura aliqua non est *suum esse*, habet quod non sit

omne suum esse; et per oppositum, ex hoc quod natura aliqua est *ipsum esse*, habet quod sit *omne suum esse.* »

Via quarta ad probandam existentiam Dei fundatur supra compositionem participantium esse et ipsius esse participati. — Est quidem *via quarta*, ex quibus Deum esse demonstrative probari potest, via causarum formalium. Causae autem formales sunt ipsaemet *formae* rerum, quae fiunt ac perducuntur ad *esse;* sive sint formae in materia subsistentes, sive formae subsistentes absque materiae consortio. Formae vero, per quas res fiunt proprium susceptivum ipsius *esse*, sunt sicut numeri et de se non suscipiunt magis et minus ; quia, si quid adderetur aut minueretur, iam non esset eadem forma ; sicut ablata vel superaddita aliqua unitate, iam non manet idem numerus. Unde formae rerum, quae sunt propria susceptiva *esse*, numerant ac mensurant per suam capacitatem potentiae subiectivae ipsum *esse* quod recipiunt ac participant. Ideoque secundum gradum nobilitatis in formis, est gradus altior in modo participandi *esse*. Inde per hanc *viam participantium* et *participationum* minime est perveniendum ad species rerum naturalium separatas ac per se subsistentes, sicut ad *per se hominem* et *per se equum* et *per se leonem;* nec ad formas substantiales a materia separatas, quae clauduntur intra limites determinati generis et speciei, quia licet sint formae irreceptae in materia, habent tamen rationem *potentiae receptivae* ipsius *esse;* nam sic progrediendo per hanc viam quartam erravit Plato, et extra viam vagantur plures philosophi Platonis errorem plus minusve redolentes. Sed oportet, dum per quartam viam gradientes iter facimus, recte procedere ac transcendere non solum materiam et conditiones materiales, verum omnia quoque genera et species, cunctasque substantiales formas quae in praedicamento collocantur. Necesse est denique tandem pervenire ad *per se ens*, et ad *per se bonum*, et ad *per se unum*. In hoc enim Plato non erravit ; hoc siquidem absolute verum est, tametsi Plato hanc sublimem veritatem, quasi a longe interque nebulas prospiciens, clare videre non valuit, nec assecutus fuit obtinere.

Ascensus per viam quartam perducit ad Deum sicut ad Primum exemplare simul ac effectivum et finale omnium entium. — Quod manifeste patet : 1° Ex termino viae, quem D. Thomas, I. q. 2. a. 3. indicat dicens : « Ergo est aliquid, quod omnibus entibus est causa *esse* et bonitatis et cuiuslibet perfectionis ; et hoc dicimus *Deum*. » 2° Ex ampliori huiusce viae declaratione, facta deinde ab ipso Angelico Doctore, I. q. 6. a. 4. ubi ulterius progrediens sic concludit : « Hoc absolute verum est, quod aliquid est primum, quod per suam essentiam est *ens* et *bonum*, quod dicimus Deum, ut ex superioribus patet [1]. Huic etiam sententiae concordat Aristoteles. A primo igitur per suam essentiam ente et bono, unumquodque potest dici *bonum* et *ens*, in quantum participat ipsum per modum cuiusdam assimilationis, licet remote et deficienter, ut ex superioribus patet [2]. Sic ergo unumquodque dicitur *bonum* bonitate divina, sicut primo principio exemplari, effectivo et finali totius bonitatis. Nihilominus tamen unumquodque dicitur *bonum* similitudine divinae bonitatis *sibi inhaerente*, quae est *formaliter* sua bonitas. Et sic est bonitas una omnium, et etiam multae bonitates. »

Compositio itaque substantiae et esse in rebus creatis constituit gradus fundamentales qui in rebus inveniuntur, ex quibus quarta via sumitur. — Omnia enim sunt entia, et vera, et bona divino *esse* et divina veritate et divina bonitate, sicut primo principio exemplari et effectivo et finali totius veritatis et totius bonitatis. Nihilominus tamen unumquodque est ens, verum et bonum *similitudine* divini *esse* sibi *inhaerente*, quae est formaliter sua entitas, sua perfectio et sua bonitas. Et sic est bonitas una omnium, et multae bonitates ; ac pariter, veritas una omnium, et multae veritates ; similique modo, *esse unum* omnium, et tamen multa ac diversa entia. Quoniam Unum solum est bonum et ens per suam essentiam ; et multa sunt diversimode entia

[1] I. q. 2. a. 3. ; q. 3. a. 4. ; q. 4. a. 1. et 2.
[2] I. q. 4. a. 3.

et bona per participationem. Omnia autem quae sic participant divinum *esse* et divinam bonitatem, producuntur ex nihilo sui secundum totam suam entitatem et bonitatem a Deo qui, dum dat *esse* et *bonitatem*, producit simul *id* quod *bonitatem* et *esse* recipit. Atque ita a Deo sunt omnia, sicut a primo efficiente et supremo exemplari ac ultimo fine rerum omnium, quatenus sunt entia, vera et bona[1].

Resolutio ergo facta in omnibus quae sub Primo Ente sunt, in haec duo, nempe id quod est et esse, declarat a radice viam quartam ad Dei existentiam demonstrandam. — Haec igitur est compositio fundamentalis omnium compositionum, videlicet compositio *entis* quod significat *essentiam* cui competit *esse*, et *entis* quod significat *esse* quod est actus essentiae ; ex qua reali compositione resultat non quidem res tertia, sed res completa in linea entis, nimirum *existens*. Unde ratio huiusmodi entis est ratio composita ; at non composita solum secundum quod intelligitur, verum etiam in ipsa re, ita quod sit differentia habentis et habiti, vel participantis et participati, essentiae et existentiae, substantiae et *esse*, *quod est* et *quo est*. Atque huiusmodi realis compositio necessario praerequiritur ad diversos gradus participandi *esse* constituendos : gradus diversos essendi, gradus diversos vivendi, gradus porro diversos intelligendi. — Secundum gradus quidem intelligendi, incipitur ab homine, cuius rationalis anima est in *infimo immaterialitatis ;* et sic ascendendo per formas subsistentes sine materia, secundum quod plus elongantur a coarctatione potentiae passivae et habent plus de actu, pervenitur usque ad Eum qui est in fine separationis a materia, in *summo immaterialitatis :* Deum sc. cuius substantia est *intelligere*. — Secundum vero gradus vivendi, incipitur a plantis, in quibus est *ultima resonantia* vitae ; et sic ascendendo per omnes vitae gradus, in animalibus, in homine, in angelis, pervenitur ad Eum in quo est summa

[1] I. q. 2. a. 1. et 3. ; q. 3. a. 4. et 8. ; q. 4. a. 3. ; q. 6. a. 3. ; q. 44. a. 1.-4.

perfectio vitae, imo *Ipsa Vita*, ipsamet sua vivendi operatio. — Secundum gradus denique essendi, incipitur ab *ultimis entium* quae sunt *prope nihil;* et sic ascenditur versus *Summum* per innumeros gradus in participatione *esse*, usque ad Eum in quo nulla datur differentia participantis et participati, sed cuius essentia est *Ipsum Esse Subsistens*, in supremo rerum vertice fulgens atque habitans lucem inaccessibilem.

CAPUT PRIMUM

Per easdem vias, quibus Deum esse probari potest, necessario pervenitur ad realem compositionem substantiae et esse in omnibus praeter unum, quod est Deus.

I

Prima via.

PRIMO : **Argumentum primae viae.** — D. Thomas, I. q. 2. a. 3. : « Prima autem et manifestior via est, quae sumitur ex parte motus. Certum est enim et sensu constat aliqua moveri in hoc mundo. Omne autem quod movetur, ab alio movetur ; nihil enim movetur nisi secundum quod est in potentia ad illud ad quod movetur. Movet autem aliquid secundum quod est actu ; movere enim nihil est aliud quam educere aliquid de potentia in actum. De potentia autem non potest aliquid reduci in actum nisi per aliquod ens in actu ; sicut calidum in actu, ut ignis, facit lignum, quod est calidum in potentia, esse actu calidum, et per hoc movet et alterat ipsum. Non autem est possibile, ut idem sit simul in actu et potentia secundum idem, sed solum secundum diversa. Quod enim est calidum in actu, non potest simul esse calidum in potentia, sed est simul frigidum in potentia. Impossibile est ergo quod, secundum idem et eodem modo, aliquid sit movens et motum. Omne ergo quod movetur, oportet ab alio moveri. Si ergo id, a quo movetur, moveatur, oportet et ipsum ab alio moveri, et illud ab alio. Hic autem non est procedere in infinitum, quia sic non esset aliquod primum movens, et per consequens nec aliquod aliud movens ; quia moventia secunda non movent nisi per hoc quod sunt mota a primo movente, sicut

baculus non movet nisi per hoc quod est motus a manu. Ergo necesse est devenire ad aliquod primum movens quod a nullo movetur : et hoc omnes intelligunt *Deum.* ».

SECUNDO : **Duplex cognitio Dei per naturalem rationem.** — De prima sic D. Thomas, *III. C. Gent.* cap. 38. : « Est enim quaedam communis et confusa Dei cognitio, quae quasi omnibus hominibus adest ; sive hoc sit per hoc quod Deum esse sit per se notum, sicut alia demonstrationis principia, sicut quibusdam videtur, ut est dictum (lib. 1. cap. 10.) ; sive (quod magis verum videtur) quia naturali ratione statim homo in aliqualem Dei cognitionem pervenire potest ; videntes enim homines res naturales secundum ordinem certum currere, cum ordinatio absque ordinatore non sit, percipiunt, ut in pluribus, aliquem esse ordinatorem rerum quas videmus. *Quis* autem vel *qualis* vel si *unus* tantum est ordinator naturae, nondum statim ex hac communi consideratione habetur ; sicut, cum videmus hominem moveri et alia opera agere, percipimus in eo quandam causam harum operationum, quae aliis rebus non inest, et hanc causam *animam* nominamus, nondum tamen scientes *quid* sit anima, si est corpus vel qualiter operationes praedictas efficiat. »

De altera vero sic, ibid. cap. 39. : « Est quaedam alia Dei cognitio, *altior* quam praemissa, quae de Deo per demonstrationem habetur, per quam magis ad propriam ipsius congitionem acceditur, cum per demonstrationem removeantur ab eo multa, per quorum remotionem ab aliis discretus intelligitur ; ostendit demonstratio Deum esse immobilem, aeternum, incorporeum, omnino simplicem, unum, et alia huiusmodi quae de Deo ostendimus lib. 1. cap. 13. et sequentibus. Ad propriam autem alicuius rei cognitionem pervenitur non solum per affirmationes, sed etiam per negationes ; sicut enim proprium hominis est esse animal rationale, ita proprium eius est non esse inanimatum neque irrationale ; sed hoc interest inter utrumque cognitionis propriae modum, quod, per affirmationes propria cognitione de re habita, scitur *quid est* res et *quomodo* ab aliis separatur ; per negationes autem, habita propria cognitione de re, scitur

quod est ab aliis discreta, tamen *quid sit* remanet ignotum. Talis autem est propria cognitio, quae de Deo habetur per demonstrationes. »

TERTIO : **Prima quae de Deo a nobis per demonstrationem habentur.** — In hac ergo altiori ac propria cognitione, quae de Deo per demonstrationes habetur, prima atque ceterorum omnium fundamenta sunt quinque conclusiones, quae constituunt immediatos quinque viarum terminos, nimirum : esse in rerum natura *aliquod movens*, quod a nullo movetur ; *aliquod efficiens*, quod a nullo efficitur ; *aliquod necessarium*, non habens aliunde causam suae necessitatis ; *aliquod primum*, quod est *maximum in essendo ;* et *aliquod primum gubernans* intelligendo. Ad haec concludenda afferuntur illae quinque rationes ; atque vere et demonstrative haec quinque praedicata seu attributa concludunt, sub quorum ratione Deum primo ex creaturis cognoscimus. Ad rem optime Caietanus, In I. q. 2. a. 3. : « Circa has rationes in communi, advertendum est diligenter, quod possunt afferri ad duo. Primo, ad concludendum illud ens incorporeum, immateriale, aeternum, summum, immutabile, primum, perfectissimum, etc., quod et quale Deum tenemus esse. Et sic istae rationes habent plurimum disputationis... Alio modo, afferri possunt ad concludendum quaedam praedicata inveniri in rerum natura, quae secundum veritatem sunt propria Dei : non curando *quomodo* vel *qualiter* sint, etc. Et ad hoc intentum hic afferuntur ; et sunt nihil fere difficultatis habentes secundum philosophiam. Et ut melius intelligatur quod dicimus, singillatim explanando dicitur quod *primae viae*, ex parte motus, sat est quod inferatur : *ergo datur primum movens immobile*, non curando utrum illud sit anima coeli aut mundi ; hoc enim quaeretur in sequenti quaestione. *Secundae* quoque *viae*, ex parte efficientis, sat est quod ducat ad *primum efficiens*, non curando an illud sit corpus vel incorporeum ; hoc enim quaeretur in sequenti quaestione. *Tertiae* vero *viae*, ex parte necessarii, sat est quod ducat ad *primum necessarium*, non curando an sit unum vel plura ; hoc enim quaeretur in quaestione 11. *Quartae* quoque *viae*,

ex gradibus rerum, sat est ducere ad maxime ens, verum, bonum, nobile, a quo sunt omnium participationes. Et similiter *quintae viae*, ex gubernatione, sat est ducere ad primum gubernantem per intellectum, quicumque sit ille. Omnia enim haec praedicata, sc. movens immobile, primum efficiens, necessarium non ex alio, maxime ens, et primum gubernans intelligendo, sunt secundum veritatem propria Deo ; et ideo, concludendo haec inveniri in rerum natura, concluditur directe, quasi per accidens, quod *Deus est;* id est, *Deus, non ut Deus, sed ut habens talem conditionem, est ;* et consequenter ipsum substractum, sc. : *Deus, ut Deus, est.* »

Quarto : **Clavis ad quinque vias singillatim explanandas.** — Omnes namque rationes simul sumptae probant quidem efficacissime, quod in rerum natura reperiuntur perfectiones, proprietates et attributa, quae nonnisi Deo competere possunt ; probant *Deum, ut Deum esse*, virtualiter et implicite, dum explicite et formaliter concludunt quinque praedicata seu attributa, sub quorum cognitione Deum primo per demonstrationem mente attingimus. At operae adhuc pretium est illas quinque vias singillatim explanare, ut ostendatur immediate et explicite Deum esse illud ens perfectissimum, quo perfectius quid excogitari nequit. Ex motibus enim et sensibilibus effectibus ascendere oportet ad considerandam rationem effectus et causae, etiam trans physica et sensibilia ; ex dependentia in motu, ad dependentiam in *esse* et origine ; ex motore coeli, et ab eo separato, ad primum factorem rerum. Proprie demonstrare *Deum esse*, totum hoc negotium Metaphysicae est. — Metaphysica autem, quae etiam Philosophia Prima denominatur, pertractat de omnibus sub ratione entis ; ens, in quantum ens, est subiectum Metaphysicae ; et solummodo Metaphysica pervenit ad attingendum Deum non *ut subiectum suum*, sed *ut primum principium* sui subiecti ; ac perinde *ut fontem* ex quo omne *esse* derivatur. Argumenta ad concludendum quaedam praedicata inveniri in rerum universitate, quaeque secundum veritatem nonnisi solius Dei propria sunt, evolvuntur ab ipso Angelico

Doctore per totum tractatum de *Deo Uno*, protrahendo quinque illas vias, in quarum ultimo termino apparet iam in perspicuo positum quomodo vel qualiter praefata quinque praedicata conveniunt Deo et soli et unico Deo. In initio illarum viarum cognoscitur quidem *Deum esse;* in fine vero iam perspicitur illud ens incorporeum, immateriale, aeternum, summum, omnino immutabile, primum, perfectissimum, quod et quale Deum tenemus esse. Ac clavis ad has quinque vias aperiendas et undequaque scientifice declarandas traditur a D. Thoma statim in q. 3. dum in a. 4. respondet dicendum, quod : *Deus non solum est sua essentia, sed etiam suum esse.*

Quinto : **Quomodo D. Thomas explanat viam motus.** — Prima autem et manifestior via, quae sumitur ex parte motus, est per quam ostenditur *Deum esse immobilem.* Etenim, per viam motus argumentando « necesse est devenire ad aliquod primum movens quod a nullo movetur ; et hoc omnes intelligunt *Deum.* » Inde, ultra progrediens, D. Thomas concludit primum movens, quod a nullo movetur, nihil habere potentiale, sed esse *actum purum* in linea entis. Ita enim I. q. 3. a. 4. : « Quia *esse* est actualitas omnis formae vel naturae ; non enim bonitas vel humanitas significatur in actu, nisi prout significamus eam esse. Oportet igitur, quod ipsum *esse* comparetur ad *essentiam*, quae est aliud ab ipso, sicut *actus* ad *potentiam.* Cum igitur in Deo nihil sit potentiale, ut ostensum est supra (q. 2. a. 3.) sequitur, quod non sit aliud in eo essentia quam suum *esse.* Sua igitur essentia est suum *esse.* »

Et rursus, *II. C. Gent.* cap. 52. : « Cum omne agens agat in quantum est actu, primo agenti, quod est perfectissimum, competit esse in actu perfectissimo modo. Tanto autem aliquid est perfectius in actu, quanto talis actus est in via generationis posterior ; actus enim est tempore potentia posterior in uno et eodem quod de potentia ad actum procedit. Perfectius est quoque in actu quod est *ipse actus* quam quod est *habens* actum ; hoc enim propter illud actus est. His ergo positis, constat ex supra (l. I. cap. 13. et l. 2.

cap. 21.) ostensis, quod Deus solus est primum agens. Sibi ergo soli competit esse in actu perfectissimo modo, ut sc. sit ipse actus perfectissimus. Hoc autem est *esse*, ad quod generatio et omnis motus terminatur ; omnis enim forma et actus est in potentia antequam *esse* acquirat. Soli igitur Deo competit quod sit ipsum *esse*, sicut soli competit quod sit primum agens. »

Ex quibus habetur : 1° Movens, quod a nullo movetur, est primum agens. 2° Utrique competit esse in actu perfectissimo modo. 3° Modus perfectissimus essendi in actu claudit duo, nempe quod res sit ipse actus, et quod sit actus perfectissimus. 4° Actus perfectissimus est *esse* ; quia *esse* est actualitas omnis formae vel naturae, et *esse* est ad quod omnis motus terminatur. 5° Soli Deo, quod est primum agens et primum movens immobile, competit quod sit ipsum *esse*, et solius Dei essentia est *esse*.

Sexto : **Ergo per primam viam, quae sumitur ex parte motus, necesse est pervenire ad realem compositionem substantiae et esse in omnibus praeter unum, quod est Deus.** — Nam : 1° Omnia quae clauduntur intra viam motus, sunt sub primo movente et sub primo agente, et non competit eis esse in actu perfectissimo modo. Quapropter habent actum, sed non sunt ipse actus quem habent ; habent *esse*, sed ipsarum rerum naturae non sunt ipsum *esse* quod habent. Unde omnia quae sub primo movente sunt, componuntur ex essentia et *esse*, ex substantia et *esse* quod est actus substantiae existentis.

2° Quia via quae sumitur ex parte motus, est via habentis et habiti, participantis et participati, recipientis et recepti, exeuntis in actum et actus qui in subiecto motus acquiritur ; atque huiusmodi via, formata ex actu reali et subiectiva potentia, quae etiam realis est in rebus creatis, licet incipiat a motu locali, prolonganda venit ad realem usque essentiae et *esse* compositionem in ipsismet spiritualibus substantiis, quarum essentia seu natura est simplex et partium componentium expers. Deus etenim est primum movens immobile absolute, in omni ordine actuum, in omni genere perfectionum,

in linea essendi ; quia est actus purus ; quia in Deo [1] nulla est differentia habentis et habiti, vel participantis et participati ; imo ipse est sua natura et suum *esse : esse subsistens*. Ergo omnia, quae sunt sub primo movente et sub primo agente, sic sunt, ut, quantumvis perfecta, constare debent actu et potentia saltem in linea essendi, in ordine primi actus realis et primae realis potentiae.

Septimo : **Primus actus et prima potentia in genere substantiae est ipsa substantia rei et esse eius.** — Cum autem via ex parte motus longius et latius protrahitur ultra motum localem, qui inter omnia genera motuum magis apparet, continuanda est per motus accidentales rerum sensibilium usque ad mutationem de *non esse* ad *esse* in generationibus et corruptionibus substantiarum corporalium ; et a materia prima quae, cum sit subiectum omnium motuum substantialium corporum, iacet *prope nihil*, prologanda venit per motus substantiarum spiritualium in operationibus intellectus et voluntatis usque angelos, qui eminent *prope Deum*. Per totam longitudinem viae reperitur *actus* et *potentia : id* quod per motum acquiritur, et *id* quod ad aliquid acquirendum ab alio movetur. Actus realis et potentia realis : duo proinde realiter distincta. Haec duo inveniuntur in motu locali ; haec in accidentali mutatione substantiae corporeae ; haec in transmutatione substantiali rerum generabilium ac corruptibilium ; haec denique in transitu de potentia ad actum in intelligentia et libero arbitrio tam hominis quam angeli. — Nunc vero opus est ascendere superius, per viam motus, ad primam usque radicem omnium mutationum rerum, tam visibilium quam invisibilium. Oportet enim stabilire actum realem et potentiam realem in ipso ordine essendi, sub quo omnes realitatum ordines comprehenduntur. Nam, sicut fundamentum rationale absolutae et omnimodae immutabilitatis in Deo stat in omnimoda et absoluta identitate essentiae et *esse*, ita radix prima et ratio superior mutabilitatis in omnibus, praeter Deum, constituenda est

[1] *De Pot.* q. 7. a. 4.

per realem essentiae et *esse* compositionem. Inter *actum existendi* et *nihil entitativum* rei mere possibilis in seipsa mediat *potentia subiectiva* rei, quae exprimit et involvit positivam entitatem, sc. : *essentiam substantialem* ipsius rei quae existit ; *potentiam* rei, huius actus, quod est *esse, receptivam ; id* quod recipit *esse.*

Atque hic, in extremo *viae*, quae sumitur ex parte motus, cessat motus in ipsa prima potentia reali, in qua recipitur primus realis actus, videlicet *esse* [1]. Utique, res existens acquirit a Deo *esse*, quod creatura ex vi suae propriae essentiae non habet ; verumtamen, in hac *novi esse* acquisitione *subiectum*, recipiens *esse*, proprie non mutatur nec movetur, quia non potest accipi aliquid ibidem aliter habens nunc et prius, nisi secundum intellectum tantum. Hic producitur tota substantia rei ; fit simul et potentia receptiva actus, et actus qui recipitur in potentia. Non est constitutio rei compositae ex principiis praeexistentibus ; sed compositum ex potentia et actu in *esse* producitur. Quod D. Thomas sic apertis verbis tradit, *De Pot.* q. 3. a. 1. ad 17. : *Deus, simul dans esse, producit id quod esse recipit.*

Quod iterum declaratur ab Angelico Doctore, *De nat. angel.* cap. 6. ita scribente : « Ipsum igitur *esse* per se subsistens est unum tantum. Impossibile est igitur quod, praeter ipsum, sit aliquid subsistens quod sit *esse* tantum ; omne autem quod est, *esse* habet. Est igitur in quocumque, praeter primum, et ipsum *esse* tamquam *actus*, et *substantia* rei, habens *esse*, tamquam rei *potentia*, receptiva huius actus quod est *esse.* »

Ac rursus, *Quodl.* 3. a. 20. : « Omnis enim substantia creata est composita ex potentia et actu. Manifestum est enim, quod solus Deus est suum *esse*, quasi essentialiter existens, in quantum sc. suum *esse* est eius *substantia ;* quod de nullo alio dici potest ; *esse* enim *subsistens* non potest esse nisi unum, sicut nec albedo subsistens non potest esse nisi una. Oportet ergo, quod quaelibet alia res sit ens per participationem, ita quod aliud sit in eo *substantia* partici-

[1] I. q. 45. a. 2. ad 2.

pans *esse*, et aliud ipsum *esse* participatum. Omne autem participans se habet ad participatum sicut potentia ad actum ; unde substantia cuiuslibet rei creatae se habet ad suum *esse* sicut potentia ad actum. Sic ergo omnis substantia creata est composita ex potentia et actu ; id est, ex *quod est* et *esse*, ut Boëtius dicit in lib. *De Hebd.;* sicut album componitur ex eo quod est album et albedine... Potentia et actus sunt *prima principia* substantiae ; materia autem et forma sunt prima principia in genere substantiae mobilis ; unde non oportet omnem compositionem in genere substantiae esse ex materia et forma ; sed hoc solum necesse est in substantiis mobilibus. »

II

Secunda via.

Primo : **Argumentum secundae viae.** — « Secunda via, ait D. Thomas, est ex ratione causae efficientis. Invenimus enim in istis sensibilibus esse ordinem causarum efficientium ; nec tamen invenitur, nec est possibile, quod aliquid sit causa efficiens suiipsius ; quia esset prius seipso, quod est impossibile. Non autem est possibile, quod in causis efficientibus procedatur in infinitum ; quia in omnibus causis efficientibus ordinatis primum est causa medii, et medium est causa ultimi, sive media sint plura sive unum tantum. Remota autem causa removetur effectus. Ergo, si non fuerit primum in causis efficientibus, non erit ultimum nec medium. Sed, si procedatur in infinitum in causis efficientibus, non erit prima causa efficiens ; et sic non erit nec effectus ultimus nec causae efficientes mediae : quod patet esse falsum. Ergo est necesse ponere aliquam causam efficientem primam, quam omnes *Deum* nominant (I. q. 2. a. 3.). »

Secundo : **Quomodo D. Thomas explanat viam quae sumitur ex ratione causae efficientis.** — Argumentum secun-

dae viae concludit necessitatem ponendi in rerum universitate aliquam primam causam efficientem, quae non habet causam sui *esse*. Ex hac necessaria conclusione ultra procedens Angelicus Doctor pervenit ad concludendum quod : « Deus non solum est sua essentia, sed etiam suum *esse*. » Quod ita declaratur I. q. 3. a. 4. : « Quia, quidquid est in aliquo, quod est praeter essentiam eius, oportet esse causatum : vel a principiis essentiae, sicut accidentia propria consequentia speciem, ut risibile consequitur hominem et causatur ex principiis essentialibus speciei ; vel ab aliquo exteriori, sicut calor in aqua causatur ab igne. Si igitur ipsum *esse* rei sit aliud ab eius essentia, necesse est quod *esse* illius rei vel sit causatum ab aliquo exteriori, vel a principiis essentialibus eiusdem rei. Impossibile est autem, quod *esse* sit causatum tantum ex principiis essentialibus (eiusdem) rei ; quia nulla res sufficit ad hoc quod sit sibi *causa essendi*, si habeat *esse* causatum. Oportet ergo quod illud, cuius *esse* est aliud ab essentia sua, habeat *esse* causatum ab alio. Hoc autem non potest dici de Deo, quia Deum dicimus esse primam causam efficientem. Impossibile est ergo, quod in Deo sit aliud *esse* et aliud eius *essentia*. »

Tertio : **Ergo in omnibus, quae reperiuntur in secunda via, differt essentia rei et esse eius.** — Etenim oppositorum opposita est ratio. Si oportet ergo, quod illud, cuius *esse* est aliud ab essentia sua, habeat *esse* causatum ab alio, oportet quoque quod illud, cuius *esse* est causatum ab alio, habeat *esse* aliud ab essentia sua ; quemadmodum illud, cuius *esse* identificatur cum sua essentia, nequit habere *esse* ab alio causatum. Causa efficiens prima necessario debet habere *esse* non causatum ; ac de ratione *esse non causati* est, quod identificetur re cum ipsa natura, quae existit absque eo quod habeat causam. Ergo, si impossibile est quod in Deo sit aliud *esse* et aliud eius essentia, alioquin Deus non esset causa efficiens absolute prima : inferre oportet in omnibus reliquis causis efficientibus realem compositionem *esse* et *essentiae;* aliter non essent causae efficientes secundae ; et antequam perveniretur usque ad ipsum Deum per viam

causarum efficientium, esset adinveniendum id ipsum quod est proprium causae non causatae, nempe : *identitas essentiae et esse.*

QUARTO : **Ratio causati et effecti non competit enti in quantum est ens, sed enti composito ex eo quod est et esse.** — *II. C. Gent.* cap. 52. : « Si sit aliquod *esse* per se subsistens, nihil competit ei nisi quod est entis in quantum est ens ; quod enim dicitur de aliquo, non in quantum huiusmodi, non convenit ei nisi per accidens, ratione subiecti ; unde, si separatim a subiecto ponatur, nullo modo ei competit. *Esse autem ab alio causatum* non competit *enti in quantum est ens ;* alias omne ens esset ab alio causatum, et sic oporteret procedere in infinitum : quod est impossibile, ut supra (l. 1. cap. 13.) ostensum est. Illud igitur *esse*, quod est ens subsistens, oportet quod sit non causatum ; nullum igitur ens causatum est suum *esse.* »

QUINTO : **Per totam igitur viam ex ratione causae efficientis adinvenire oportet ista duo, nimirum : id quod est et esse.** — *Esse* enim, quatenus *esse*, non potest esse causatum, sed ratione subiecti in quo recipitur. Quod enim causatur et fit, non est *esse* solum nec solum subiectum, sed compositum ex utroque. *Esse*, cui ex propria sua et sola entitate competit subsistere, est *esse* subsistens, de cuius ratione est quod non sit causatum ; et ideo *esse* est substantia primae causae efficientis. Quae autem sub prima causa efficiente sunt, omnia habent rationem effectus ; et sicut implicat effectum esse non factum, ita implicat effectum habere *esse* identificatum realiter cum sua natura vel essentia. Sicut sub Deo qui est actus purus, omnia constant actu et potentia, ita sub Deo qui est primum efficiens, omnia componuntur ex essentia et *esse*, ex *esse* et subiecto quod est. Unde D. Thomas, I. q. 3. a. 7. ad 1. : « Est autem hoc de ratione causati, quod sit aliquo modo compositum ; quia ad minus *esse* eius est aliud quam *quod quid est.* » Et ibid. q. 7. a. 2. ad 1. : « Hoc est contra rationem facti, quod *essentia* rei sit ipsum *esse* eius ; quia *esse subsistens* non est *esse creatum.* »

III

Tertia via.

PRIMO : **Argumentum tertiae viae.** — « Tertia via, inquit D. Thomas, est sumpta ex possibili et necessario, quae talis est : Invenimus in rebus quaedam quae sunt possibilia esse et non esse, cum quaedam inveniantur generari et corrumpi, et per consequens possibilia esse et non esse. Impossibile est autem omnia quae sunt talia, semper esse ; quia quod possibile est non esse, quandoque non est. Si igitur omnia sunt possibilia non esse, aliquando nihil fuit in rebus. Sed, si hoc est verum, etiam nunc nihil esset ; quia quod non est, non incipit esse nisi per aliquid quod est. Si igitur nihil fuit ens, impossibile fuit quod aliquid inciperet esse ; et sic modo nihil esset : quod patet esse falsum. Non ergo omnia entia sunt possibilia, sed oportet aliquid esse necessarium in rebus. Omne autem necessarium vel habet causam suae necessitatis aliunde, vel non habet. Non est autem possibile, quod procedatur in infinitum in necessariis quae habent causam suae necessitatis, sicut nec in causis efficientibus, ut probatum est. Ergo necesse est ponere aliquid, quod sit per se necessarium, non habens causam suae necessitatis aliunde, sed quod est causa necessitatis aliis : quod omnes dicunt *Deum.* » (I. q. 2. a. 3.)

SECUNDO : **Tertia via praesupponit realem compositionem essentiae et esse in omnibus quae sunt sub necessario per se.** — Sicut enim via secunda, quae est ex ratione causae efficientis, nihil aliud est nisi quaedam pars determinata et specialis primae viae quae sumitur ex parte motus, ita via tertia, quae est sumpta ex possibili et necessario, ad demonstrandam Dei existentiam, est quaedam pars determinata ipsius viae secundae, quae exsurgit constructa supra ordinem

causarum et effectuum. Primum namque efficiens est primum movens immobile secundum rationem causae efficientis ; et necessarium per se, non habens causam suae necessitatis aliunde, est prima causa efficiens aliorum omnium quae habent causam suae necessitatis in essendo. Per totam igitur tertiam viam, quousque perveniatur ad necessarium per se, non reperiuntur nisi contingentia aut necessaria habentia causam suae necessitatis in essendo, sicut habent similiter causam sui *esse*. Cum ergo huiusmodi necessaria entia habeant rationem *causati* et rationem *facti*, consequenter per totam viam tertiam, sicut per totam viam secundam cuius est pars, adinvenire oportet duo haec, nimirum : *quod est* et *esse*, seu *esse* et *subiectum essendi*.

TERTIO : **De ratione necessarii per se est identitas esse et essentiae.** — Quoniam, cum non habeat causam suae necessitatis aliunde, ab extrinseco, ipsa necessitas existendi constituit suam ipsam naturam vel essentiam. Actu enim esse est essentiale praedicatum Dei. Deus namque sic est, ut *non esse* nequeat. Ita se habet ad Deum exercitium existendi, ut esse animal rationale ad naturam hominis ; ideoque, sicut contradictoria affirmantur, cum affirmatur natura hominis sine animalitate vel rationalitate vel absque utraque, ita contradictionem involvit affirmare Dei essentiam praeciso existentiae exercitio. In Deo posse existere, et existere, realiter identificantur ; quoniam in Deo nihil est potentiale ; quoniam ipsum *esse* non comparatur ad *essentiam* eius ut actus ad potentiam ; quoniam non est aliud in Deo essentia quam suum *esse* ; quoniam semper existere et totaliter existere et interminabiliter existere cum tota simul et perfecta possesione sui *esse* est ipsamet Dei essentia. Itaque esse actum purum, et esse primam causam efficientem non causatam, et esse ens necessarium et omnino immutabile, et esse suam ipsam aeternitatem seu propriam durationem in existendo : omnia haec divina attributa fundantur, tamquam in sua prima ratione, in hoc, quod Deus est suum *esse*, et *esse* est ipsa Dei substantia vel natura. Unde D. Thomas, *I. C. Gent.* cap. 22. ex hoc quod Deus per se necesse est esse, infert quod

in Deo idem est *esse* et essentia, sic : « Unumquodque est per suum *esse*. Quod igitur non est suum *esse*, non est per se necesse esse. Deus autem est per se necesse esse. Ergo Deus est suum *esse*. »

QUARTO : **De ratione vero contingentis et necessarii habentis causam suae necessitatis in essendo, est realis compositio esse et essentiae.** — Aliter eodem modo conveniret rebus creatis *actu existere* et habere talem vel talem essentiam ; quoniam si existentia realiter identificaretur cum ipsarum essentia, talis essentia constitueretur formaliter et entitative in suis praedicatis essentialibus per *ipsum actum* existentiae. Eodem tunc modo competeret homini, v. g. Petro, et habere existentiam et habere animam rationalem, *esse* et *esse hominem*. Cum autem ex parte praedicatorum essentialium convenientia sit necessaria, immutabilis et abstrahens a tempore, inde sequeretur actum existentiae convenire ei et necessario et immutabiliter et supra omne tempus. Pariter, sicut connexio animalitatis et rationabilitatis cum homine excludit contingentiam et possibilitatem ad contrarium, ita enim conveniunt praedicata subiecto, ut non convenire nequeant : simili modo, si *esse* vel actus existendi esset unum et idem cum praedicatis quidditativis, excluderet possibilitatem ad oppositum ; et homo, exempli causa Petrus, sic existeret, ut non-existere nequiret. In quibuscumque ergo rebus natura et existentia non differunt, existere convertitur cum natura, et natura cum suo proprio existendi actu ; ac proinde, cum existentia non comparetur ad naturam ut actus ad potentiam, posse existere et actum existentiae habere identificarentur. Ac consequenter res, quarum essentia est ipsemet actus essendi, non haberent causam suae necessitatis quoad existendum aliunde quam a sua propria natura. Cum igitur *esse* non sit de essentia rei creatae, in re creata *essentia* et *esse* per se non sunt unum, et indigent ab aliqua causa uniri, si in aliquo composito coniungantur. Ita D. Thomas, *I. C. Gent.* cap. 22. : « Omne autem quod convenit alicui quod non est de essentia eius, convenit ei per aliquam causam. Ea enim quae per se non

sunt unum, si coniunguntur, oportet per aliquam causam uniri. *Esse* igitur convenit illi *quidditati* per aliquam causam. »

QUINTO : **Ex eo quod substantia et esse diversimode conveniunt rebus creatis, infert D. Thomas, quod in omnibus, etiam in substantiis intellectualibus, differt esse et quod est.** — *II. C. Gent.* cap. 52. inter alia argumenta ad hoc ostendendum, affert istud : « Substantia uniuscuiusque est ens per se et non per aliud ; unde esse lucidum actu non est de substantia aëris, quia est ei per aliud. Sed cuilibet rei creatae suum *esse* est ei per aliud ; alias non esset creatum. Nullius igitur substantiae creatae suum *esse* est sua *substantia*. » Quod magis declaratur ibid. cap. 15. per haec quasi axiomatica verba : « Omne enim quod alicui convenit non secundum quod ipsum est, per aliquam causam convenit ei, sicut album homini ; nam quod causam non habet, primum et immediatum est ; unde necesse est, quod sit per se et secundum quod ipsum. » Ex quibus omnibus :

1. In ente necessario per se, *esse* et *quod est* identificantur ; quia *esse* convenit per se et secundum quod ipsum, et cum non habeat causam suae necessitatis aliunde, « *ipsa necessitas essendi est essentia eius.* » (*I. C. Gent.* cap. 42.) In ente autem necessario habente causam suae necessitatis aliunde, differt *esse* et *quod est;* quia *esse* convenit ei per aliud, et non secundum quod ipsum est, sed per aliquam causam, sicut album homini.

2. In ente necessario per se, *esse* est substantia eius ; *esse* est primum et immediatum ei, quia causam non habet ; quia « *eius quod est necesse esse, sua quidditas est suum esse.* » (Ibid.). In ente autem habente causam suae necessitatis in essendo, *esse* non est primum et immediatum ei ; *esse* non est de substantia eius, sicut esse lucidum actu non est de substantia aëris.

3. In ente necessario per se, *esse* est idem re cum eo cuius est actus ; in ente vero habente causam suae necessitatis in essendo, *esse* differt ab eo cuius est actus, secundum rem. Quod ita declarat Angelicus Doctor, *I. Sent.* dist. 19

q. 2. a. 2. : « Sicut autem motus est actus ipsius mobilis in quantum mobile est, ita *esse* est actus existentis in quantum *ens* est. Unde, quacumque mensura mensuretur *esse* alicuius rei, ipsi rei existenti respondet *nunc* ipsius durationis, quasi mensura ; unde per *nunc* aevi mensuratur ipsum existens cuius mensura est aevum ; et per *nunc* aeternitatis mensuratur illud ens cuius *esse* mensurat aeternitas. Unde, sicut se habet quilibet actus ad id cuius est actus, ita se habet quaelibet duratio ad suum *nunc*. Actus autem ille qui mensuratur tempore, differt ab eo cuius est actus, et *secundum rem*, quia mobile non est motus; et secundum *rationem successionis*, quia mobile non habet substantiam de numero successivorum, sed permanentium... Actus autem qui mensuratur aevo, sc. ipsum *esse* aeviterni, differt ab eo, cuius est actus, *re* quidem, sed non secundum *rationem successionis*, quia utrumque sine successione est... *Esse* autem quod mensuratur aeternitate, est *idem re* cum eo cuius est actus, sed differt tantum *ratione;* et ideo aeternitas et *nunc* aeternitatis non differunt re, sed ratione tantum ; in quantum sc. ipsa aeternitas respicit ipsum *divinum esse*, et *nunc* aeternitatis *quidditatem* ipsius rei, quae secundum rem non est aliud quam suum *esse*, sed ratione tantum. »

4. Terminus ergo finalis huius viae, sumptae ex possibili et necessario, reperitur in omnimoda immutabilitate et aeternitate Dei, in qua etiam perficitur via sumpta ex parte motus. Cum vero aeternitas et immutabilitas absoluta Dei fundetur in identitate essentiae et *esse* Dei, ut D. Thomas docet I. q. 9. et 10., inde per totam longitudinem huius tertiae viae oportet invenire *duo*, quorum unum non est alterum ; duo elementa realiter distincta, ex quibus componuntur et constant omnia entia creata, nimirum : *essentia* et *esse*.

IV

Quarta via.

PRIMO : **Argumentum quartae viae.** — « Quarta via, addit D. Thomas, sumitur ex gradibus qui in rebus inveniuntur. Invenitur enim in rebus aliquid magis et minus bonum, et verum, et nobile ; et sic de aliis huiusmodi. Sed magis et minus dicuntur de diversis, secundum quod appropinquant diversimode ad aliquid quod maxime est ; sicut magis calidum est quod magis appropinquat maxime calido. Est igitur aliquid, quod est verissimum, et optimum, et nobilissimum, et per consequens *maxime ens*. Nam quae sunt maxime vera, sunt maxime entia, ut dicitur *II. Metaph.* Quod autem dicitur maxime tale in aliquo genere, est causa omnium quae sunt illius generis ; sicut ignis qui est maxime calidus, est causa omnium calidorum, ut in eodem lib. dicitur. Ergo est aliquid, quod omnibus entibus est causa *esse*, et bonitatis, et cuiuslibet perfectionis : et hoc dicimus *Deum*. »

SECUNDO : **Latitudo huius quartae viae.** — Quarta enim via mox apparet esse via causarum formalium rerum omnium, per quas ascenditur usque ad causam formalem separatam a rebus omnibus, quae est *causa exemplaris* omnium quae facta sunt, sc. Deum, de quo Boëtius :

> ..... *Tu cuncta superno*
> *Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus Ipse,*
> *Mundum mente gerens, similique imagine formans,*
> *Perfectasque iubens perfectum absolvere partes* [1].

Verumtamen principia, quibus via quarta exstructa est, adeo magna gaudent amplitudine, ut militent etiam ac vincant in omni genere causarum, exemplaris videlicet atque efficientis simul ac finalis.

[1] *III. De Consol. Phil.* metr. 9.

TERTIO : **Longitudo quartae viae.** — Valde quoque est notandum quod, dum in prima via non devenitur nisi ad aliquod Primum Movens quod a nullo movetur ; et in via secunda, usque ad aliquam causam efficientem Primam, quae non habet causam ; et in via tertia, usque ad aliquid per se Necessarium, quod non habet causam necessitatis aliunde, sed quod est causa necessitatis aliis : hic, in via quarta, non solum pervenitur usque ad aliquid quod est *maxime ens*, sed proceditur ultra usque hanc universalissimam conclusionem : « *Ergo est aliquid, quod omnibus entibus est causa esse, et bonitatis, et cuiuslibet perfectionis : et hoc dicimus Deum.* »

Huiusmodi conclusio claudit in sua ipsamet amplitudine conclusiones quinque viarum simul ; et tunc apparebit plene demonstrata atque in perspicuo posita, cum infra, I. q. 44. : *De processione creaturarum a Deo et de omnium entium Prima causa*, D. Thomas respondet dicendum : *Omne ens, quod quocumque modo est, a Deo esse, tamquam a causa prima efficiente, et suprema exemplari, et ultima finali omnium rerum.* Tunc perfecta erit omni ex parte demonstratio pro existentia Dei.

QUARTO : **Praedicti diversae perfectionis gradus, per quos via quarta sternitur, nec concipi valent absque reali compositione essentiae et esse in rebus quae sunt magis et minus verae et bonae et nobiles.**

Ratio 1ª. — *Quia esse, in quantum est esse, non potest esse diversum.* — *I. C. Gent.* cap. 26. : « Res ad invicem non distinguuntur secundum quod *esse* habent, quia in hoc omnia conveniunt. Si ergo res differunt ad invicem, oportet quod vel ipsum *esse* specificetur per aliquas differentias additas, ita quod rebus diversis sit *diversum esse* secundum speciem ; vel quod res differant per hoc, quod ipsum *esse* diversis naturis secundum speciem convenit. Sed primum horum est impossibile ; quia *enti* non potest fieri aliqua additio secundum modum quo differentia additur generi, ut dictum est cap. 25. Relinquitur ergo, quod res propter hoc differant, quod habent diversas naturas quibus acquiritur *esse* diversimode. »

Ratio 2ª. — *Quia esse subsistens non potest esse nisi unum tantum.* — *II. C. Gent.* cap. 52. : « Si enim *esse* est subsistens, nihil praeter ipsum *esse* ei adiungitur... Si igitur non sit nisi *esse* in aliqua substantia, non remanebit aliquis modus in quo possit ei uniri illud quod est praeter *esse*. *Esse* autem, in quantum *esse*, non potest esse diversum ; potest autem diversificari per aliquid quod est praeter *esse*, sicut *esse* lapidis est aliud ab *esse* hominis. Illud igitur quod est subsistens, non potest esse nisi unum tantum. Ostensum est autem (l. 1. cap. 22.) quod Deus est suum *esse* subsistens. Nihil igitur aliud praeter ipsum potest esse suum *esse*. Oportet igitur in omni substantia, quae est praeter ipsum, aliud esse ipsam *substantiam* et aliud eius *esse*. »

Ratio 3ª. — *Quia esse subsistens est infinitum simpliciter.* — Ibid. : « Impossibile est, quod sit duplex *esse* omnino infinitum. *Esse* enim quod omnino est infinitum, omnem perfectionem essendi comprehendit ; et sic, si duobus talis adesset infinitas, non inveniretur quo unum ab altero differret. *Esse* autem *subsistens* oportet esse infinitum, quia non terminatur aliquo recipiente. Impossibile est igitur esse aliquod *esse* subsistens praeter Primum. »

Ratio 4ª. — *Quia esse subsistens excludit gradus in essendo perfectius et minus perfecte.* — D. Thomas infra, I. q. 54. a. 1. et 2. ostendit actionem angeli vel cuiuscumque alterius creaturae non posse identificari cum eius substantia vel cum eius existentia, ex eo quod « in solo Deo sua substantia est suum *esse* et suum agere. Et si etiam angelus ipse esset suum intelligere, non possent esse gradus in intelligendo perfectius et minus perfecte, cum hoc contingat propter diversam participationem ipsius intelligere. » Quamobrem absque reali compositione essentiae et *esse* in rebus creatis, *esse* cuiuslibet rei non esset determinatum ad *unum* secundum genus et speciem, sine quo non possent esse gradus in essendo perfectius et minus perfecte, cum hoc contingat propter diversam participationem ipsius *esse*.

QUINTO : **Via igitur quarta nihil est aliud nisi realis compositio essentiae et esse in omnibus, praeter unum quod est**

Deus. — Quod ostenditur a D. Thoma, dum I. q. 3. a. 4. explanando viam quartam concludit, quod essentia vel natura Dei est *esse*. Ait enim : « Quia sicut illud quod habet ignem et non est ignis, est ignitum per participationem, ita illud quod habet *esse* et non est *esse*, est ens per participationem. Deus autem est sua essentia, ut ostensum est a. praec. Si igitur non sit suum *esse*, erit ens per participationem, et non per essentiam. Non ergo erit primum ens : quod absurdum est dicere. Est igitur Deus suum *esse*, et non solum sua essentia. »

Ergo etiam in quarta via non datur processus ascensionis ad illud quod est verissimum et optimum et nobilissimum, nisi ex utraque parte viae per totam eius longitudinem adinveniantur duo, quorum unum non est alterum, sc. *esse* et *subiectum* quod habet *esse; esse* et *id* quod *esse* recipit ; *esse* et *natura* quae est mensura essendi ; *participans esse* et *esse participatum*.

Esse igitur verissimum, optimum, nobilissimum, maxime ens, idem sonat ac realem identitatem essentiae et *esse* : *Esse Subsistens*.

Esse autem magis et minus bonum, verum, nobile, et magis vel minus ens, aequivalet ac necessario includit realem compositionem essentiae et *esse* : *Esse adhaerens substantiae*.

V

Quinta via.

Primo : **Argumentum quintae viae.** — « Quinta via, concludit D. Thomas, sumitur ex gubernatione rerum. Videmus enim, quod aliqua, quae cognitione carent, sc. corpora naturalia, operantur propter finem. Quod apparet ex hoc, quod semper aut frequentius eodem modo operantur, ut consequantur id quod est optimum. Unde patet, quod non a casu, sed ex intentione perveniunt ad finem. Ea

autem quae non habent cognitionem, non tendunt in finem nisi directa ab aliquo cognoscente et intelligente, sicut sagitta a sagittante. Ergo est aliquid intelligens, a quo res naturales ordinantur ad finem : et hoc dicimus *Deum.* »

Secundo : **Quinta via est complementum aliarum viarum.** — Etenim est via causarum finalium, cuius *postrema causa* respondet *causae primae* in ordine causarum efficientium. Per hanc quippe viam oportet finaliter pervenire ad aliquam superiorem intelligentiam, a qua res cunctae, et quae cognitione carent et quae cognitione gaudent, simul ad finem ordinantur.

Per hanc viam quintam movent se omnia, quae in via prima moventur a primo movente quod a nullo movetur ; efficiunt omnia, quae in secunda via efficiuntur a prima causa efficiente quae non habet causam ; operantur vel necessario vel contingenter aut libere omnia, quae in tertia via habent causam suae necessitatis vel suae contingentiae sub primo necessario in essendo et primo libero in operando ; atque suis motibus et operationibus conantur consequi *id quod est optimum* omnia, quae in quarta via sunt magis vel minus bona et magis et minus entia sub maximo ente quod est nobilissimum et verissimum et optimum.

Huiusce vero quintae viae argumentum perfecte dilucidatur ab Angelico Doctore, I. q. 18. in qua inquiritur, quomodo Deo et aliis rebus conveniat vita, et quomodo omnia moveant se, et a Deo in agendo propter finem moveantur ; et in q. 22. in qua agitur de providentia Dei, quae est ratio ordinandorum in finem ; et denique in q. 23. ubi tractatur de praedestinatione, quae, quantum ad obiecta, est quaedam pars providentiae.

Atque hoc unum supra [1] iam notatum, iterum adnotandum, quod D. Thomas, I. q. 2. a. 3. loquens de creaturis quae, cognitionem non habentes, tendunt in finem, scribit : « Non tendunt in finem nisi directa ab aliquo cognoscente

[1] Lib. 3. cap. 1.

et intelligente, *sicut sagitta a sagittante.*» Et infra, q. 23. a. 1. loquens de creatura rationali, quae est capax vitae aeternae, scribit similiter : « Ad illud autem, ad quod non potest aliquid virtute suae naturae pervenire, oportet quod ab alio transmittatur, *sicut sagitta a sagittante mittitur in signum.* Unde, proprie loquendo, rationalis creatura, quae est capax vitae aeternae, perducitur in ipsam *quasi a Deo transmissa.* » Quam quidem profundam atque harmonicam doctrinam luminose declarat ipse Angelicus Doctor, I.-II. q. III. a. 2. ubi de *gratia operante* tractatur [1].

Tertio : **Sub isto Primo Intelligente, a quo omnes res naturales ordinantur ad finem, collocandae veniunt omnes intelligentiae et omnes voluntates.** — Unde ipse D. Thomas, I. q. 2. a. 3. ad 2. : « Similiter etiam quae ex proposito fiunt, oportet reducere in aliquam altiorem causam, quae non sit ratio et voluntas humana ; quia haec mutabilia sunt et defectibilia. Oportet autem omnia mobilia et deficere possibilia, reduci in aliquod primum principium immobile et per se necessarium, sicut ostensum est. »

Et iterum, I. q. 105. a. 3., 4. et 5. ex professo declaratur quomodo Deus moveat intellectum et voluntatem, et quomodo Deus operatur in omni operante, dando formas rebus, et conservando eas in *esse*, et applicando eas ad agendum, et habendo se ut finem omnium actionum. « Ipse solus (ait D. Thomas) implet voluntatem et sufficienter eam movet ut obiectum... Utroque modo proprium est Dei movere voluntatem ; sed maxime secundo modo, interius eam inclinando... Sic igitur Deus, movendo voluntatem, non cogit ipsam ; quia dat ei eius propriam inclinationem. » Quod adhuc explicatur q. III. a. 2.

Rursus, *III. C. Gent.* cap. 147. : « Sub Deo autem, qui est primus intellectus et volens, ordinantur omnes intellectus et voluntates sicut instrumenta sub principali agente. » Quae quidem mirifica ordinatio panditur ab Angelico Doctore,

[1] Vide opus nostrum *De gratia et libero arbitrio*, vol. I. q. 3. a. 1. ; et vol. II. cap. 6. concl. 4. et 5. et 7.

qui, ex ultimo fine hominis accipiens rationes eorum quae sunt ad finem, per integram I.-II. et II.-II. pertractat *De motu creaturae rationalis in Deum.*

QUARTO : **Primum principium et ultimus finis omnium quinque viarum sunt unum et idem, sc. Deus.** — *Deus* itaque est primum movens quod a nullo movetur ; et causa efficiens prima quae non habet causam ; et per se necessarium, non habens causam necessitatis aliunde ; et maxime ens quod per se est ; et primum intelligens, a quo omnes res naturales ordinantur ad finem. Quod vere ac evidenter demonstratur I. q. 44. ubi ostenditur primum movens quod a nullo movetur, omnia movere ; primam causam efficientem quae non habet causam, omnia efficienter causare ; primum necessarium esse causam necessitatis aliis ; primum intelligens omnia gubernare ; primum ens omnibus entibus esse causam essendi et bonitatis et cuiuslibet perfectionis. Unde D. Thomas, I. q. 44. a. 4. ad 4. : « Cum Deus sit causa efficiens, exemplaris et finalis omnium rerum, et materia prima sit ab ipso, sequitur quod primum principium omnium rerum sit unum secundum rem. Nihil tamen prohibet in eo considerari multa secundum rationem, quorum quaedam prius cadunt in intellectu nostro quam alia. » Et *De Pot.* q. 7. a. 1. ad 3. : « Per unum et idem Deus in ratione diversarum causarum se habet ; quia per hoc quod est *actus primus*, est agens, et est exemplar omnium formarum, et est bonitas pura, et per consequens omnium finis. »

QUINTO : **Quidnam est illud optimum, ad quod consequendum omnia moventur et operantur ?** — *Optimum*, de quo agitur in quinta via, sumpta ex gubernatione rerum, et ad quod consequendum cuncta in rerum universitate moventur et operantur, est essentia seu natura primi moventis quod a nullo movetur ; essentia seu natura primae causae quae causam non habet ; essentia seu natura primi necessarii quod semper est ; essentia seu natura primi entis quod maxime est ; essentia denique seu natura ipsius primi intelligentis, a quo res omnes ordinantur ad finem. — Primum

enim movens omnia movet ad seipsum ; prima causa in omnibus effectibus imprimit desiderium suae similitudinis; primum necessarium omnibus communicat inclinationem ad perpetuitatem in essendo ; primum ens omnibus entibus est causa *esse* et bonitatis et cuiuslibet perfectionis ; primum intelligens omnia ordinat ad se, et omnia perducit ad quandam participationem sui. Primum namque intelligens est illud « verissimum et nobilissimum et *optimum* » quod constituit terminum quartae viae, quae sumitur ex gradibus qui in rebus inveniuntur. Unde D. Thomas, *XII. Metaph.* lect. 5. : « Sic igitur *optimum* erit substantia simplex, quae est *actus*, quod est primum inter intelligibilia. Et sic manifestum est, quod primum movens idem est quod primum intelligibile et primum appetibile, quod est *Optimum.* »

SEXTO : **Omnia ergo appetunt Esse ; omnia appetunt Bonum ; omnia appetunt Deum.**

a) *Omnia appetunt Esse.* — D. Thomas, *Comp. theol.* cap. 10. : « Ostensum est, quod Deus est actus purus absque alicuius potentialitatis commixtione. Oportet igitur, quod eius essentia sit ultimus actus ; nam omnis actus, qui est circa ultimum, est in potentia ad ultimum actum. Ultimus autem actus est ipsum *Esse.* Cum autem omnis motus sit exitus de potentia in actum, oportet illud esse ultimum actum, in quod tendit omnis motus ; et cum motus naturalis in hoc tendat, quod est naturaliter desideratum, oportet hoc esse ultimum actum quod omnia desiderant. Hoc autem est *esse.* Oportet igitur, quod essentia divina sit *ipsum Esse.* »

b) *Omnia appetunt Bonum.* — D. Thomas, *De Verit.* q. 22. a. 1. : « Quod autem dirigitur vel inclinatur in aliquid ab aliquo, in id inclinatur quod est intentum ab eo qui inclinat vel dirigit, sicut in idem signum sagitta dirigitur quo sagittator intendit. Unde, cum omnia naturalia naturali quadam inclinatione sint inclinata in fines suos a primo motore qui est Deus, oportet quod illud, in quod unumquodque naturaliter inclinatur, sit id quod est volitum vel intentum a Deo... Deus autem, cum non habeat alium suae voluntatis finem nisi seipsum, et ipse sit *ipsa essentia bonitatis*, oportet

quod omnia alia sint inclinata naturaliter in bonum... Oportet dicere, quod omnia naturaliter bonum appetant. » Et ad 4. : « Cum dicitur : *Omnia bonum appetunt*, non oportet bonum determinari ad hoc vel illud, sed in communitate accipi ; quia unumquodque appetit bonum naturaliter sibi conveniens. Si tamen ad *aliquod unum* bonum determinetur, hoc unum erit *esse*. Nec hoc prohibetur per hoc, quod omnia *esse* habent ; appetunt enim eius continuationem ; et quod habet *esse* in actu uno modo, habet *esse* in potentia alio modo, sicut aër est potentia ignis ; et sic, quod non habet *esse* actu, appetit *esse* actu. »

c) *Omnia appetunt Deum.* — D. Thomas ibid. a. 2. : « Sicut Deus, propter hoc quod est primum efficiens, agit in omni agente, ita propter hoc quod est ultimus finis, appetitur in omni fine. Sed hoc est appetere ipsum Deum *implicite ;* sic enim virtus primae causae est in secunda, ut principia in conclusionibus ; resolvere autem conclusiones in principia vel secundas causas in primam, est tantum virtutis rationalis. Unde sola rationalis natura potest secundarios fines in ipsum Deum per quandam viam resolutionis inducere, ut sic ipsum Deum *explicite* appetat. Et sicut in demonstrativis scientiis non recte sumitur conclusio nisi per resolutionem in prima principia, ita appetitus creaturae rationalis non est rectus nisi per *appetitum explicitum* ipsius Dei, actu vel habitu. » Et ad 2. : « Ipsum *esse* est similitudo divinae bonitatis ; unde, in quantum aliqua desiderant *esse*, desiderant Dei similitudinem et Deum implicite. » Et *III. C. Gent.* cap. 19. : « In omnibus rebus evidenter apparet, quod *esse* appetunt naturaliter... Secundum hoc autem *esse* habent omnia, quod Deo assimilantur, qui est ipsum *esse subsistens*, cum omnia sunt solum quasi *esse participantia*. Omnia igitur appetunt, quasi ultimum finem, Deo assimilari. » Et *Comp. Theol.* cap. 102. : « Primum movens et agens est Deus ; finis autem eius non est aliud quam sua bonitas. Necesse est igitur, quod omnes actiones et motus quicumque creaturarum sint propter divinam bonitatem, non quidem causandam neque augendam, sed suo modo acquirendam, participando siquidem aliquam similitudinem eius. »

SEPTIMO : **Sola ergo substantia Dei est esse ; substantia vero omnium aliarum rerum est potentia essendi.** — Quod patet :

1° Quia *esse* est natura Primi Moventis, et Primae Causae, et Primi Necessarii, et Primi Entis, et Primi Intelligentis ; et quod competit alicui secundum propriam naturam suam, aliis convenire non potest nisi secundum quandam participationem. Unde natura rerum aliarum non est *esse*, sed *participans esse*. — *II. C. Gent.* cap. 52. : « Ipsum *esse* competit primo agenti secundum propriam naturam ; *esse* enim Dei est eius substantia, ut supra (l. 1. cap. 22.) ostensum est. Quod autem competit alicui secundum propriam naturam suam, non convenit aliis nisi per modum participationis, sicut calor aliis corporibus ab igne. Ipsum igitur *esse* competit omnibus aliis a primo agente per participationem quandam. Quod competit alicui per participationem, non est substantia eius. Impossibile est igitur, quod substantia alterius entis, praeter agens primum, sit ipsum *esse*. »

2° Quoniam, si *esse* competeret aliis rebus, praeter Deum, secundum suas proprias naturas, et *esse* esset ipsarum substantia, non constarent actu et potentia in linea entis ; ac perinde nec moverentur ; nec haberent causam efficientem sui *esse*, sed essent per se et necessario ; nec participarent *esse* in diversis gradibus, sed essent maxima entia ; nec operarentur ad id, quod est optimum, consequendum, quia nulla de perfectionibus essendi potest deesse rei cuius substantia est ipsum *esse* subsistens.

3° Quoniam argumenta validissima pro existentia Dei demonstranda aut nihil probant, aut probare ac concludere debent : *a*) *Deum esse ; b*) *in Deo identificari essentiam et esse ; c*) consequenter : *in omnibus, praeter Deum, essentiam et esse realiter distingui*. Per singulas ergo quinque vias necesse est pervenire ad Deum, cuius substantia est *esse*, transeundo per *esse* rerum, quod non est ipsarum substantia. Ita Angelicus Doctor, *XII. Metaph.* lect. 4. : « Necesse est pervenire ad Primum Ens, cuius substantia est **Actus**. »

VIII. Physic. lect. 21. : « Necesse est enim, quod omnis substantia simplex subsistens, vel ipsa sit suum *esse*, vel

participet *esse*. Substantia autem simplex, quae est ipsum *esse subsistens*, non potest esse nisi una ; sicut nec albedo, si esset subsistens, posset esse nisi una. Omnis ergo substantia quae est post primam substantiam simplicem, participat *esse*. Omne autem participans componitur ex participante et participato ; et participans est in potentia ad participatum. Ergo substantia, quantumcumque simplex, post Primam substantiam simplicem, est : **Potentia essendi.** »

II. C. Gent. cap. 53. : « In substantia autem intellectuali creata inveniuntur *duo*, sc. *substantia ipsa* et *esse* eius quod non est ipsa substantia, ut ostensum cap. 52. ; ipsum autem *esse* est complementum substantiae existentis. »

CAPUT SECUNDUM

Demonstratio vere philosophica processionis omnium rerum a Deo per creationem praesupponit, tamquam lapidem angularem supra quem firmiter ac bene fundatur, identitatem substantiae et esse in Deo, atque realem utriusque compositionem in omnibus quae sunt praeter Deum.

I

Permagnum huius quaestionis momentum.

Primo : **Veritas creationis est dogma fidei catholicae.** — Omnia a Deo ex nihilo esse creata, dogma catholicae fidei est, in Sacris Litteris traditum et ab Ecclesia definitum atque in Symbolo fidei primo loco positum.

In Sacris quidem Litteris traditum. — *Genes.* 1, 1 : « In principio creavit Deus coelum et terram. » Joh. 1, 1-3 : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per Ipsum facta sunt, et sine Ipso factum est nihil quod factum est. » Hebr. 1, 2 : « Locutus est (Deus Pater) nobis in Filio, quem constituit haeredem universorum, per quem fecit et saecula. » Et 11, 3 : « Fide intelligimus aptata esse saecula Verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent. »

Ab Ecclesia definitum. — Concil. Vatican. *De Fide cath.* De Deo. Can. 1. : « Si quis unum verum Deum, visibilium et invisibilium creatorem et Dominum negaverit : anathema sit. »

In Symbolo fidei positum. — « Credo in unum Deum, Patrem, Omnipotentem, Factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. »

Unde D. Thomas, *II. C. Geni.* cap. 15. postquam lumine naturali rationis ostendit, quod omnia quae sunt, a Deo sunt, adiunxit : « Hoc autem divina confirmat auctoritas. Dicitur enim Ps. 145, 6 : *Qui fecit coelum et terram, et omnia quae in eis sunt.* Rom. 11, 36 : *Ex quo omnia, per quem omnia, et in quo omnia, Ipsi gloria in saecula.* Per hoc autem excluditur antiquorum naturalium error, qui ponebant corpora quaedam non habere causam essendi ; et etiam quorundam qui dicunt Deum non esse causam substantiae coeli, sed solum motus. »

Secundo : **Veritas creationis potest tamen, proprie et in rigore philosophico loquendo, demonstrative probari.** — Omnia a Deo esse facta ex nihilo, naturali rationis humanae lumine posse intelligi ac certo cognosci, est etiam in Sacra Scriptura traditum, et ab Ecclesia definitum, atque ipsamet rationis vi manifestum.

In Sacra Scriptura traditum. — Rom. 1, 20 : « Invisibilia enim Dei, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et Divinitas. » Sap. 13, 5 : « A magnitudine enim speciei et creaturae, cognoscibiliter poterit Creator horum videri. » Eccli. 43, 1 : « Altitudinis firmamentum, pulchritudo eius est ; species coeli in visione gloriae. Sol in aspectu annuntians in exitu, vas admirabile, opus Excelsi... Species coeli, gloria stellarum ; mundum illuminans in excelsis Dominus. Vide arcum, et benedic Eum qui fecit illum ; valde speciosus est in splendore suo. Gyravit coelum in circuitu gloriae suae ; manus Excelsi aperuerunt illum. Imperio suo acceleravit nivem ; et accelerat coruscationes emittere iudicii sui... Multa abscondita sunt maiora his ; pauca enim vidimus operum eius. Omnia autem Dominus fecit ; et pie agentibus dedit sapientiam. »

Ab Ecclesia definitum. — Concil. Vatican. *De Fide cath.* De Revelat. can. 1. : « Si quis dixerit Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea quae facta sunt,

naturali rationis humanae lumine certo [1] cognosci non posse : anathema sit. »

Ipsamet rationis vi manifestum. — Iuxta supradicta ex D. Thoma, *III. C. Gent.* cap. 38. et 39., duplex datur Dei cognitio, quarum altera est communis et confusa, et omnibus hominibus adest ; quia naturali ratione statim homo in aliqualem Dei cognitionem pervenire valet. De hac dicitur Ps. 18. : *Coeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annuntiat firmamentum.* De hac Tullius, *II. De natura deorum :* « Quid enim potest esse tam apertum tamque perspicuum, cum coelum suspeximus, coelestiaque contemplati sumus, quam *esse aliquod Numen* praestantissimae mentis, quo haec regantur ? » De hac ipse Angelicus Doctor, loco supracitato : « Ex hoc autem, quod praedicta Dei cognitione aliquis caret, maxime vituperabilis apparet ; designatur enim per hoc maxime hominis stoliditas, quod tam manifesta Dei signa non percipit, sicut stolidus reputaretur qui, hominem videns, habere animam eum non comprehenderet. Unde dicitur Ps. 13, 1 : *Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus.* » Ex hac vero Dei cognitione, quae quasi hominibus omnibus naturaliter adest, patet *possibilitas* habendi alteram, altiorem et propriam cognitionem de Deo per demonstrationem. Ostendit autem demonstratio Deum esse immobilem, aeternum, incorporeum, omnino simplicem, unum, et alia huiusmodi ; ex quibus plana certe via manet aperta ad rerum creationem demonstrative ostendendam, ut ex mox dicendis clarius videbitur.

Tertio : **Veritas creationis est quid summum inter omnes alias veritates, quae praeambula ad articulos fidei denominantur.** — Ut D. Thomas tradit, I. q. 2. a. 2. ad 1. : « Deum esse et alia huiusmodi, quae per rationem naturalem nota possunt

[1] Quod ita declarat Pius X. in Motu Proprio *Sacrorum Antistitum :* « Deum, rerum omnium principium et finem, naturali rationis lumine per ea, quae facta sunt, hoc est per visibilia creationis opera, tamquam causam per effectus, certo cognosci, adeoque *demonstrari* etiam posse, profiteor. »

esse de Deo, non sunt articuli fidei, sed praeambula ad articulos. Sic enim fides praesupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam et ut perfectio perfectibile. Nihil tamen prohibet illud, quod secundum se demonstrabile est et scibile, ab aliquo accipi ut credibile, qui demonstrationem non capit. » Et II.-II. q. 1. a. 5. ad 3. : « Ea, quae demonstrative probari possunt, inter credenda numerantur, non quia de ipsis simpliciter sit fides apud omnes, sed quia praeexiguntur ad ea quae sunt fidei, et oportet ea saltem per fidem praesupponi ab his qui eorum demonstrationem non habent. » Inter has autem veritates, quae a D. Thoma *praeambula* ad articulos fidei dicuntur, et a Concilio Vaticano [1] *fidei fundamenta* vocantur, eminere veritatem creationis patet :

1° *Ex facto.* — Nam licet *possit* revera huiusmodi veritas demonstrari [2], de facto tamen nec ipsa praeclara philosophorum ingenia, sicut Aristoteles et Plato, ad veritatem creationis in terminis stabiliendam ac manifeste declarandam pervenerunt. Ex ipsa igitur Philosophiae historia constat etiam maximos gentilium philosophos, Aristotelem fortasse si excipias, creationem rerum ex nihilo penitus ignorasse. *Fortasse*, inquam ; quia Aristotelis mens hac de re non satis aperte constat. In libro tamen *De mundo et coelo* scribit : « Quasi flagitium esset in disputatione rerum mundi praeterire id quod *Summum* in mundo habetur. Itaque vetus fama est, et quidem haereditaria mortalium omnium, universa a Deo et per Deum nobis esse constituta. » At quidquid de hoc sit, negari tamen non potest Aristotelem ea

[1] Conc. Vatic. *De Fide cath.* cap. 4. : « Verum, etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest... Neque solum fides et ratio inter se dissidere numquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei *fundamenta* demonstret, eiusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat ; fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat. » Quaenam vero sit fidei *causa*, docet D. Thomas, II-II. q. 6. a. 1.

[2] Deum esse Creatorem mundi, *sic quod mundus incoeperit esse*, sola fide tenetur et demonstrative probari non potest, ut ex professo declarat D. Thomas, I. q. 46. a. 2.

posuisse philosophica principia, talemque de Deo tradidisse notionem, ut inde haud difficile inferri valeat cuncta quae sunt, a Deo, qui maxime est, ex nihilo secundum totam rerum entitatem condita fuisse [1].

2° *Ex celsitudine huius veritatis.* — Utique, *ratione demonstratur* et fide tenetur, quod omnia sint a Deo creata, ut concludit D. Thomas, *De Pot.* q. 3. a. 5. et I. q. 44. a. 1. et q. 45. a. 3. et *II. C. Gent.* cap. 15. ; verumtamen assurgere usque ad cognoscibilitatem creationis et ad veram creationis notionem sibi efformandam pervenire, hoc, physicas humanae rationis vires licet non superet, absolute loquendo, eiusdem tamen vires, prout in pluribus, certe excedere videtur ; quoniam inter ea quae de Deo naturali ratione investigare valemus, hoc certe ad apicem perfectionis pertingit, ostendere Deum ex nihilo cuncta effecisse. Si ergo, ut D. Thomas observat, I. q. 1. a. 1. « veritas de Deo per rationem investigata, a paucis hominibus, et per longum tempus, et cum admixtione multorum errorum proveniret », nisi de divinis per revelationem instrueremur : id vel maxime de veritate creationis oportet intelligere, quae altissimam ac valde

[1] Ita videtur innuere D. Thomas, I. q. 44. a. 1. et 2. — *VIII. Physic.* lect. 2. — *De Pot.* q. 3. a. 5. — *II. Metaph.* lect. 1. — Opusc. *De natura angelor.* cap. 7. — D. Thomas, reprehendens Averroëm, qui ex verbis Aristotelis occasionem sumpsit dicendi, quod non est possibile quod fiat aliquid ex nihilo, ait : « Ex hoc ergo, quod omne particulare agens praesupponit materiam quam non agit, non oportet opinari quod primum agens universale, quod est activum totius entis, aliquid praesupponat quasi non creatum ab ipso. Nec hoc etiam est secundum intentionem Aristotelis ; probat enim in *II. Metaph.* quod id, quod est maxime verum et maxime ens, est causa essendi omnibus existentibus ; unde hoc ipsum *esse in potentia*, quod habet materia prima, sequitur derivatum esse a primo essendi principio, quod est maxime ens ; non igitur necesse est praesupponi aliquid eius actioni quod non sit ab eo productum. Et quia omnis motus indiget subiecto, ut hic Aristoteles probat et rei veritas habet, sequitur quod productio universalis entis a Deo non sit motus nec mutatio, sed sit quaedam simplex emanatio... Ex quo patet, quod quamvis Aristoteles poneret mundum aeternum, non tamen credidit quod Deus non sit causa essendi ipsi mundo, sed causa motus eius tantum, ut quidam dixerunt. » (*VIII. Physic.* lect. 2.

perfectam praesupponit de Deo notionem, qualem de facto absque divina revelatione humanum ingenium non assequitur possidere [1].

QUARTO : **Veritas creationis habenda est ut revera fundamentalis in Philosophia Prima et veluti corona scientiarum omnium.** — Etenim vera philosophia, tota quanta est, ex vera idea creationis dependet, illustratur ac perfecte completur. Nam : 1° per veritatem circa creationem rerum, scientifice statutam, evidenter refellitur, tamquam absurdum et ad absurda conducens, capitalis in philosophia error, videlicet *Pantheismus*. Cuius quidem erroris immediata radix et proxima origo inde habetur, ex negatione nimirum creationis vel ex falsa saltem creationis notione. Ex Pantheismo autem innumera oriri absurda extra dubium est [2].

2° Deinde, cum Philosophia nihil aliud sit quam scientifica et rationialis cognitio Dei, mundi et hominis per altiora principia investigata ac secundum supremas rerum causas acquisita, manifestum est, quod absque vera creationis notitia haberi non potest vera perfectaque Dei cognitio per creaturas, nec vera creaturarum cognitio per ordinem ad ipsarum causam efficientem primam ac ultimam finalem. Per hanc quippe altissimam veritatem patefiunt fundamentales omnium entium relationes, atque elucescit suprema cognitio universorum quae facta sunt ac per quae *invisibilia Dei intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas*. Recta itaque ratio omnium scientiarum ex Philosophia Prima maxime habetur ; Philosophiae vero Primae splendor ex veritate creationis praecipue enascitur. Ad rem D. Thomas, *III. C. Gent.* cap. 25. : « Ordinantur igitur artes practicae ad speculativas, et similiter omnis humana operatio ad speculationem intellectus, sicut ad finem. In omnibus autem scientiis et artibus ordinatis, ad illam videtur

[1] Vide Card. GONZALEZ, *Filosofia elemental*, tom. 2. p. 175. Madrid, 1876. — SUAREZ, *Disp. Metaph.* 20. sect. 1.

[2] Vide Card. GONZALEZ, *Estudios sobre la filosofia de Santo Tomas*, tom. II. lib. 3. *Cosmologia*, cap. 1.-5.

pertinere ultimus finis, quae est praeceptiva et architectonica aliarum ; sicut ars gubernatoria, ad quam pertinet finis navis qui est usus ipsius, est architectonica et praeceptiva respectu navifactivae. Hoc autem modo se habet Philosophia Prima ad alias scientias speculativas ; nam ab ipsa omnes aliae dependent, utpote ab ipsa accipientes sua principia et directionem contra negantes principia ; ipsaque Prima Philosophia tota ordinatur ad Dei cognitionem sicut ad ultimum finem ; unde et scientia divina nominatur. Est ergo cognitio divina finis ultimus omnis humanae cognitionis et operationis. »

II

Ad veritatem creationis philosophice demonstrandam nonnisi per quinque vias, quibus Deum esse demonstrative probari potest, datum est ascendere.

Primo : **Creatio est veluti terminus quinque viarum, per quas mens assurgit ad existentiam Dei perfecte ostendendam.** — Ut autem magis innotescat, quomodo ex ipsis argumentis, quibus Deum esse demonstratur, logice venit inferenda realis compositio substantiae et *esse* in omnibus rebus quae sunt sub Primo Ente, considerandum est illas quinque vias simul coniungi in uno centro, quod vocatur *creatio*. Creatio namque est velut angulus quinque viarum, per quas ascendimus ad primum Movens absolute immobile, ad primam Causam non factam, ad primum Necessarium, ad maxime Ens, ad illud Intelligens a quo cuncta in suos fines ordinantur. Qui enim videre non valeat aut non assecutus fuerit adhuc suspicari *creationem* in capite illarum quinque viarum fulgentem, dubitare debet se demonstrationes pro existentia Dei plene intellexisse. Ad rem Suarez : « In re idem est quaerere Ens Increatum et Deum. Ad demonstrandum Deum esse, non satis est ostendere dari in rerum natura ens quod-

dam necessarium et a se, nisi probetur illud esse unicum, et tale ut sit fons totius *esse*, a quo pendent et illud recipiunt omnia, quae ipsum *esse* quodammodo participant [1]. »

SECUNDO : **Initium quinque viarum, quibus Deum esse probari potest, cadit sub experientia et pendet ex testimonio sensuum.** — De prima quidem via, quae est manifestior et sumitur ex parte motus, ait D. Thomas : « *Certum est enim et sensu constat aliqua moveri in hoc mundo.* » De secunda vero via, quae est ex ratione causae efficientis, dicit : « *Invenimus enim in istis sensibilibus esse ordinem causarum efficientium.* » De tertia autem via, quae est sumpta ex possibili et necessario, inquit : « *Invenimus enim in rebus quaedam, quae sunt possibilia esse et non esse, cum quaedam inveniantur generari et corrumpi, et per consequens possibilia esse et non esse.* » De quarta vero via, sumpta ex gradibus qui in rebus inveniuntur, scribit : « *Invenitur enim in rebus aliquid magis et minus bonum, et verum, et nobile; et sic de aliis huiusmodi.* » De quinta tandem via, quae sumitur ex gubernatione rerum, asserit : « *Videmus enim quod aliqua quae cognitione carent, sc. corpora naturalia, operantur propter finem.* »

Ac postea, I. q. 12. a. 12. dicit quod, cum naturalis nostra cognitio a sensu principium sumat, « ex sensibilium cognitione non potest tota Dei virtus cognosci, et per consequens nec eius essentia videri. Sed quia sunt eius effectus a causa dependentes, ex eis in hoc perduci possumus, ut cognoscamus de Deo *an est*, et ut cognoscamus de ipso ea quae necesse est ei convenire secundum quod est Prima omnium Causa, excedens omnia sua causata. Unde cognoscimus de ipso habitudinem ipsius ad creaturas, quod sc. *omnium est causa;* et differentiam creaturarum ab ipso, quod sc. ipse non est aliquid eorum quae ab eo causantur, et quod haec non removentur ab eo propter eius defectum, sed quia superexcedit [2]. »

[1] *Disput. Metaph.* Disp. 29. sect. 1. et 2.
[2] Cf. etiam. I. q. 88. a. 3.

TERTIO : **Illae quinque viae, quibus Deum esse probari potest, nihil aliud sunt nisi proprietates quaedam seu characteres rerum sensibilium.** — Omnes quidem huius mundi sensibilis res sunt :

1° *Mutabiles :* sive quoad locum, sive quoad molem, sive quoad qualitates, sive quoad ipsam suam existentiam. Omnia ergo moventur ; et dum moventur, transeunt de potentia in actum. Omnis enim motus est exitus de potentia in actum ; ac iuxta definitionem Philosophi, motus est *actus entis in potentia prout in potentia.*

2° *Compositae :* et quoad substantiam, nam generantur et corrumpuntur ; et quoad suam integritatem, nam cum sint extensione praeditae, partibus quantitativis constant ; et quoad accidentia, nam et qualitates quas habent, amittunt ; quasque non habebant, acquirunt ; innumerisque modis affici videmus.

3° *Finitae :* nam singulae res intra terminos propriae speciei et individuationis clauduntur ; atque unaquaeque earum ita determinatum perfectionis possidet gradum, ut alios non possideat, nec formaliter nec eminenter. Non enim omnes huius mundi sensibilis res in uno bonitatis gradu constituuntur, ut inanimata et plantae et animalia simul testantur.

4° *Contingentes :* nam sic sunt, ut possint non esse ; et cum antea non fuerint, esse incipiunt ; cum vero fuerint, esse desinere perspiciuntur. De singulis potest aliquo modo dici : *Quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et numquam in eodem statu permanet.*

5° *Ab alio :* nam eo ipso quod esse incipiunt et esse desinunt, indifferentiam habent ad utrumque ; atque ab alio, ut sint, indigent determinari ; atque ab alio, ut educantur de potentia in actum, moveri ; atque ab alio, ut existant, fieri et efficienter causari.

QUARTO : **Terminus harum quinque viarum.** — 1° Ex *mutabilitate* vero aliquarum rerum sensibilium, quae certa est et sensu constat, « necesse est devenire ad aliquod Primum Movens, quod a nullo movetur : et hoc omnes intelligunt

Deum. » 2° Ex *compositione* rerum sensibilium quae moventur, quae educuntur de potentia in actum, et quae de novo generantur, fiunt et sunt, « necesse est ponere aliquam causam efficientem Primam : quam omnes *Deum* nominant. » 3° Ex *contingentia* aliquarum rerum quae, cum generentur ac corrumpantur, esse incipiunt et esse desinunt, « necesse est ponere aliquid quod sit per se Necessarium, non habens causam suae necessitatis aliunde, sed quod est causa necessitatis aliis : quod omnes dicunt *Deum.* » 4° *Ex finitate* rerum sensibilium diversimode participantium bonitatem et nobilitatem in essendo, satis videtur ostendi, quod in summo rerum vertice « est aliquid verissimum et optimum et nobilissimum, et per consequens maxime Ens : et hoc dicimus *Deum.* » 5° *Ex ordine* qui est opus rationis, quique mirifice manifestatur in motibus atque operationibus corporum naturalium et rerum aliquarum quae cognitione carent, necessario colligitur esse aliquid Intelligens, a quo omnes res naturales ordinantur in finem : et hoc dicimus *Deum.*

Quinto : **Summitas quinque viarum, videlicet : Essentia Dei est esse.** — Procedens deinde Angelicus Doctor ad inquirendum quid sit substantia vel natura Dei, accipit, tamquam initium suae novae argumentationis, quinque illa praedicata quae constituunt quinque viarum terminos. Qui enim articulum 3^{um} quaestionis 2^{ae} velit a radice intelligere et ad interiora usque penetrare, magna diligentia curet articulum 4^{um} subsequentis quaestionis 3^{ae} intime rimari. Capere enim non valebit nec medullam attingere demonstrationum, quibus Deum esse ostenditur, nisi qui suppletoria adiungat argumenta, quibus multipliciter probatur in Deo identificari essentiam et *esse*, substantiam et actum essendi. Argumenta ista, demonstrationes illae sunt. Quinque viae, per quas fit itinerarium mentis nostrae in Deum, incipiunt quidem in articulo 3. quaestionis 2^{ae}, at non attingunt ipsum rerum cardinem nisi in articulo 4. quaestionis 3^{ae}. Viae non mutantur, sed prolongantur usque ad suum proprium terminum. *Deum esse* scientifice non scit, qui Deum esse *ipsum suum esse* adhuc non didicit. Etenim de ratione Primi Moventis

quod a nullo movetur, est identitas essentiae et *esse ;* de ratione Primae Causae efficientis non habentis causam, est identitas essentiae et *esse ;* de ratione Necessarii per se, non habentis causam suae necessitatis aliunde, est identitas essentiae et *esse ;* de ratione Eius quod maxime est, est identitas essentiae et *esse ;* et de ratione Primi Intelligentis est identitas essentiae et *esse.* Oportet ergo quod hoc, quod est *esse,* sit substantia vel natura Dei. Dei igitur essentia est suum *esse,* et Dei *esse* quidditas sua est [1].

Sexto : **Identitas essentiae et esse constituit quasi radicem ac veluti supremam rationem omnium quae praedicantur de Deo, quaeque proprie de Deo cognoscimus per demonstrationem.** — Inde enim logice atque evidenter infertur quod Deus est :

1° *Omnino simplex,* omnem prorsus compositionem excludens ; quia ipsum *esse* nihil aliud adiunctum habere potest, nec ullae compositioni ibi relinquitur locus, ubi non adest compositio essentiae et *esse.* (I. q. 3.)

2° *Universaliter perfectus ;* quia nulla de perfectionibus essendi potest deesse Ei, quod est ipsum *esse* subsistens. (I. q. 4.)

3° *Summum bonum simpliciter,* et bonus per essentiam suam ; quia habere omnimodam perfectionem secundum suam essentiam soli Deo competit, cuius solius essentia est suum *esse.* (I. q. 6.)

4° *Infinitus simpliciter* secundum omnem perfectionem et nobilitatem, ex ipso quod *esse* Dei est per se subsistens, non receptum in aliquo. (I. q. 7.)

5° *Aeternus ac omnino immutabilis ;* quia ex hoc ipso, quod essentia Dei est eius *esse,* ipsa necessitas essendi est essentia eius (I. q. 9. et q. 10.)

6° *Ens per essentiam suam ;* quia est ipsum *esse ;* et solus Deus est ens per suam essentiam, quia solus Deus est suum *esse.* (I. q. 3. a. 4. et q. 61. a. 1.)

7° *Unus solus et maxime Unus ;* quia est maxime ens ;

[1] I. q. 3. a. 4. — *I. C. Gent.* cap. 22. — *De Pot.* q. 7. a. 2.

et cum essentia Dei sit ipsum *esse* subsistens, non modo est maxime indivisus in se et maxime divisus ab aliis, verum etiam est ipsa Unitas subsistens. (I. q. 11.)

8° *Omnipotens;* quia Esse divinum, super quod ratio divinae potentiae fundatur, est *esse infinitum*, non limitatum ad aliquod genus entis, sed praehabens in se totius *esse* perfectionem. Unde quidquid habet vel potest habere rationem entis, continetur sub possibilibus absolutis, respectu quorum Deus dicitur omnipotens. (I. q. 25. a. 3.)

9° *Causa* esse, et bonitatis, et cuiuslibet perfectionis, omnibus quae sunt, et quocumque modo sunt, et secundum totam eorum entitatem. Atque ita procedens Angelicus Doctor pervenit tandem usque ad processionem omnium entium a Deo per creationem, dum respondet dicendum : *a*) « Necesse est dicere omne ens, quod quocumque modo est, a Deo esse. » (I. q. 44. a. 1.) *b*) « Non solum non est impossibile a Deo aliquid creari ex nihilo, sed necesse est ponere a Deo omnia creata esse, ut ex praemissis habetur q. 44. a. 1. » (I. q. 45. a. 2.) *c*) « Necesse est dicere et angelos et omne id quod praeter Deum est, a Deo factum esse. Unde necesse est angelos a Deo creatos esse. » (I. q. 61. a. 1.) *d*) « Necesse est ergo esse Unum essendi Principium, a quo *esse* habeant quaecumque sunt quocumque modo, sive sint invisibilia et spiritualia, sive sint visibilia et corporalia. » (I. q. 65. a. 1.)

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

III

Tenendum est firmiter, quod Deus potest facere aliquid ex nihilo et facit, atque ex nihilo produxit res in esse.

PRIMO : **Deus potest facere aliquid ex nihilo.** — *Ratio* 1ª. — *Quia potentia Dei est infinita.* — « Unumquodque enim tantum abundat in virtute agendi, quantum est in actu. Deus autem est actus infinitus, quod patet ex hoc, quod actus non finitur nisi dupliciter : Uno modo ex parte *agentis*, sicut ex voluntate

artificis recipit quantitatem et terminum pulchritudo domus. Alio modo ex parte *recipientis*, sicut calor in lignis terminatur et quantitatem recipit secundum dispositionem lignorum. Ipse autem divinus actus non finitur ex aliquo agente, quia non est ab alio, sed est a seipso ; neque finitur ex aliquo recipiente, quia cum nihil potentiae passivae ei admisceatur, ipse est actus purus non receptus in aliquo ; est enim Deus ipsum *esse* suum in nullo receptum. Unde patet, quod Deus est infinitus ; quod sic videri potest : *Esse* enim hominis terminatum est ad hominis speciem, quia est receptum in natura speciei humanae ; et simile est de *esse* equi vel cuiuslibet creaturae. *Esse* autem Dei, cum non sit in aliquo receptum, sed sit *esse* purum, non limitatur ad aliquem modum perfectionis essendi, sed totum *esse* in se habet ; et sic, sicut *esse* in universali acceptum ad infinita se potest extendere, ita divinum *esse* infinitum est ; et ex hoc patet, quod virtus vel potentia sua activa est infinita. » (*De Pot.* q. 1. a. 2.)

Ratio 2ª. — *Quia potentia Dei est activa entis, secundum quod est ens.* — Per illum modum actionem alicui agenti attribuere oportet, quo convenit ei esse in actu. Inde est, quod in nullo agente naturali est potentia activa *entis* in quantum est *ens*, sed eius *entis* secundum quod est *hoc ens*, determinatum in hac vel illa specie ; nam agens agit sibi simile. Nam in re naturali nec includuntur perfectiones omnium quae sunt in actu, nec tota substantia sua est actus. Et propter hoc agens naturale agit movendo, et ideo requirit materiam quae sit subiectum motus, et propter hoc non potest aliquid ex nihilo facere. Ipse autem Deus, e contrario, est totaliter actus; et in comparatione sui, quia est actus purus, non habens potentiam permixtam ; et in comparatione rerum quae sunt in actu, quia in eo est omnium entium origo. Unde per suam actionem producit totum ens subsistens, nullo praesupposito, utpote qui est totius *esse* principium et secundum se totum. Et propter hoc ex nihilo aliquid facere potest ; et eius actio vocatur *creatio* [1].

Ratio 3ª. — *Quia actio Dei est subsistens.* — Unumquodque

[1] *De Pot.* q. 3. a. 1.

agens agit simile sibi; agit enim secundum quod actu est. Deus autem non est ens actu per aliquid sibi inhaerens, sed per totam suam substantiam. Igitur proprius modus suae actionis est ut producat rem subsistentem totam, non solum rem inhaerentem, sc. formam in materia. Per hunc autem modum agit omne agens quod materiam in agendo non requirit. Deus igitur materiam praeiacentem non requirit in sua actione [1].

SECUNDO : **Deus ex nihilo fecit omnia et produxit res in esse.** — *Ratio* 1ª. — *Quia Deo nihil est causa essendi.* — Esse convenit Deo non per aliquam causam, sed per se et secundum quod ipsum, tamquam primum et immediatum praedicatum eius ; nam *esse* est ipsa essentia Dei. Impossibile est autem aliquod unum duobus convenire, et utrique secundum quod ipsum ; quod enim de aliquo secundum quod ipsum dicitur, ipsum non excedit ; sed est eidem convertibile et utrumque, secundum quod ipsum est, ab altero distinguitur. *Esse* autem dicitur de omni eo quod est. Impossibile est igitur esse aliqua duo quorum neutrum habeat causam essendi ; sed oportet utrumque acceptorum esse per causam, vel alterum alteri esse causam essendi. Cum ergo Deus sit ens cui nihil est causa essendi, oportet quod ab illo sit omne illud quod quocumque modo est [2].

Ratio 2ª. — *Quia Deus est maxime ens.* — *Esse* convenit Deo ex sua ipsa propria natura, et non ex aliqua causa ; unde in illo non potest esse minoratum aut deficiens vel limitatum, sed eo ipso, quia *esse* est ipsa *essentia* Dei, Deo maxime convenit *esse*. Illud autem est causa omnium in aliquo genere, cui maxime convenit illius generis praedicatum ; unde etiam quod maxime calidum est, videmus esse causam caloris in omnibus calidis ; et quod maxime lucidum est, causam omnium lucidorum. Cum igitur Deus sit maxime ens, oportet ut ipse sit causa omnium de quibus ens praedicatur [3].

[1] *II. C. Gent.* cap. 16.
[2] *II. C. Gent.* cap. 15. — *De Pot.* q. 3. a. 5.
[3] *II. C. Gent.* cap. 15. — *De Pot.* q. 3. a. 5.

Ratio 3ª. — *Quia Deus est prima causa.* — Secundum ordinem effectuum oportet esse ordinem causarum, eo quod effectus causis suis proportionati sunt, et proprius effectus cuiuslibet causae procedit ab ipsa secundum similitudinem suae naturae. *Esse* autem invenitur in omnibus rebus, omnibus est commune ; et omnes causae particulares communicant in uno effectu, qui est *esse*, licet singulae proprios effectus habeant in quibus distinguuntur. Calor enim facit *calidum esse*, et aedificator facit *domum esse*. Conveniunt ergo in hoc quod causant *esse;* sed differunt in hoc quod ignis causat *ignem*, et aedificator causat *domum*. Oportet ergo esse aliquam causam superiorem omnibus, cuius virtute omnia causent *esse*, et cuius proprius effectus sit dare *esse*. Cum ergo prima causa Deus sit, oportet omnia quae sunt, a Deo esse ; et cum proprius effectus cuiuslibet causae procedat ab ipsa secundum similitudinem suae naturae, oportet etiam quod hoc, quod est *esse*, sit substantia vel natura Dei [1].

Ratio 4ª. — *Quia Deus est universaliter perfectus.* — Deus sua actualitate et perfectione omnes rerum perfectiones comprehendit ; et sic est virtualiter omnia. Est igitur ipse omnium factivus. Hoc autem non esset, si aliquid aliud esset natum esse nisi ab ipso ; nihil enim natum est esse ab alio et non ab alio ; quia si natum est non ab alio esse, est per seipsum necesse esse : quod non potest ab alio esse. Nihil igitur potest esse nisi a Deo.

Ratio 5ª. — *Quia solus Deus est Ens per essentiam.* — Deus enim est ens per essentiam suam, quia est ipsum *esse ;* omne autem aliud est ens per participationem, quia ens, quod sit suum *esse*, non potest esse nisi unum. Sed quod per essentiam dicitur, est causa omnium quae per participationem dicuntur ; sicut ignis est causa omnium ignitorum in quantum huiusmodi. Deus igitur est causa essendi omnibus quae sunt [2].

[1] *II. C. Gent.* cap. 15. — *De Pot.* q. 7. a. 2. ; q. 3. a. 1. ; q. 1. a. 2.
[2] *II. C. Gent.* cap. 15. — *De Pot.* q. 3. a. 5.

IV

Ex termino quinque viarum, quibus Deum esse probari potest, demonstrative probatur Deum esse Creatorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium.

PRIMO : **Nexus inter argumenta pro demonstratione creationis ac pro demonstratione existentiae Dei.** — Argumenta enim ad concludendum necesse esse angelos cunctasque universi res a Deo processisse, sunt ipsaemet quinquae viae ad Dei existentiam ostendendam. Per has quidem vias gradimur usque ad summum rerum verticem, sc. Deum, in quo non est aliud *esse* et aliud *essentia* sua ; et rursum, regredimur a summo rerum omnium vertice ad inferiora creationis, per diversos gradus rerum, in quibus omnibus aliud est *essentia* vel natura et aliud *esse*. Iam ad istud propositum annotavit Ioannes a Sancto Thoma, quod : « *In his quinque viis inclusit D. Thomas omnia quae ad manifestanda attributa Dei possunt conducere* [1]. »

SECUNDO : **Quomodo argumenta ad probandum Deum esse, probent Deum esse creatorem rerum omnium.** — Rigurosa autem ac vere philosophica demonstratio creationis facta manet a D. Thoma, *I. Parte Summae Theol.* per integrum tractatum *De Deo uno*, ita :

1° In q. 2. a. 3. per quinque vias pervenitur ad aliquod Movens immobile, et ad aliquam Primam Causam efficientem, et ad aliquid per se Necessarium, et ad aliquod Primum Ens, et ad aliquod Primum intelligens : nempe *Deum*.

2° In q. 3. a. 4. ex his quinque viarum terminis multipliciter ostenditur identitas essentiae et *esse* in ipso Deo ; ac consequenter, quod de natura vel substantia Dei est *esse* ; et quod ipsa necessitas essendi est essentia eius.

[1] *Cursus Theol.* in I. Part. q. 2.

3° In q. 11. a. 2. et 3. legitime infertur Deum, in quo non est aliud *esse* et aliud *essentia* eius, esse unum solum, maxime unum, unicum ; quia *Esse Subsistens* non potest esse nisi unum tantum.

4° Ac porro in q. 44. a. 1., 2., 3. et 4. necessario concluditur Deum esse primam causam efficientem, et supremam causam exemplarem, et ultimam causam finalem rerum omnium quae sunt et quocumque modo sunt, et secundum totam suam entitatem. Unde, praesuppositis quae in tractatu *De Deo uno* ab Angelico Doctore traduntur ac declarantur :

Tertio : **Ex termino quinque viarum ostenditur processio rerum omnium a Deo per creationem.**

Argumentum ex via 1ª. — Necesse est devenire ad aliquod Primum Movens quod a nullo movetur : et hoc omnes intelligunt *Deum*. Sed primum movens quod a nullo movetur, non potest esse nisi unum tantum. Omnia igitur moventur a Deo ; atque reducuntur ab ipso de potentia in actum ; et de mera potentia obiectiva, quae est nihilum rei, res cunctae perducuntur ad *esse*.

Argumentum ex via 2ª. — Necesse est ponere aliquam Causam efficientem Primam : quam omnes *Deum* nominant. Sed prima causa efficiens non potest esse nisi una tantum. Omnia igitur causantur efficienter a Deo tamquam ab universali causa omnium entium, in quantum entia sunt, ac perinde secundum totam suam entitatem.

Argumentum ex via 3ª. — Necesse est ponere aliquid quod sit per se Necessarium, non habens causam suae necessitatis aliunde : quod omnes dicunt *Deum*. Sed illud quod est per se Necessarium, non potest esse nisi unum tantum. Oportet igitur omne aliud a Deo, reduci in ipsum Deum sicut in causam essendi omnibus quae sunt et quocumque modo sint.

Argumentum ex via 4ª. — Est aliquid quod est verissimum, et optimum, et nobilissimum, et per consequens maxime Ens : et hoc dicimus *Deum*. Sed illud quod est maximum in essendo, non potest esse nisi unum tantum, videlicet Deus, cuius *esse* est sua essentia. Deus igitur omnibus entibus est causa *esse*, et bonitatis et cuiuslibet perfectionis.

Argumentum ex via 5ª. — Est aliquid Primum Intelligens, a quo omnes res naturales ordinantur in finem ; et hoc dicimus *Deum*. Sed primum in intelligendo, sicut primum in essendo, non potest esse nisi Unum tantum, nempe Deus, primum intelligens et primum volens, sub quo ordinantur omnes intellectus et omnes voluntates sicut instrumenta sub causa principali. Deus ergo, in cuius divina mente praeexistit ratio ordinis rerum in finem, est causa rerum per suum intellectum, secundum quod habet voluntatem coniunctam ; et sic scientia Dei se habet ad omnes res creatas, sicut scientia artificis ad artificiata [1].

V

Omnia argumenta, quae pro veritate creationis militant, reducuntur ad haec duo excelsa et firma principia, quorum unum necessario sequitur ex altero, sc. : Solus Deus est suum esse ; in omnibus autem aliis differt essentia rei et esse eius.

Primo : **Argumentum, omnium argumentorum caput.** — Omnia quidem argumenta, quae ad veritatem creationis ostendendam afferuntur, veniunt postremo reducenda ad subsequentem argumentationem :

Solus Deus est ens per essentiam ; omnia vero alia sunt entia per participationem.

Omne autem quod est per participationem, causatur ab eo quod est per essentiam.

Necesse est igitur omne id, quod praeter Deum est, a Deo factum esse.

Omnes concedunt solum Deum esse *Ens per essentiam*, aliter Deus non esset Deus ; atque si Deo soli competit ita esse, planum est quod omnia alia quae sunt, quocumque modo sint, debent esse *entia per participationem*.

[1] I. q. 14. a. 8. ; q. 22. a. 1. ; q. 44. a. 3. et 4.

Veritas autem alterius propositionis fere patet ex terminis. Etenim si ens per participationem non esset causatum ab alio, iam non esset per participationem, sed ens per essentiam, cui nihil est causa essendi. Unde de ratione entis per participationem est esse causatum ab alio. — Si autem non esset causatum ab ente *per essentiam*, tunc ens per participationem nec esset *ens*, nec per *participationem*, quia non participaret *esse*, cuius fons et origo nonnisi in ente per essentiam potest reperiri. Unde D. Thomas, *De Pot.* q. 3. a. 5. ad 1. : « Licet causa prima, quae Deus est, non intret essentiam rerum creatarum, tamen *esse*, quod rebus creatis inest, non potest intelligi nisi ut deductum ab *Esse divino;* sicut nec proprius effectus potest intelligi nisi ut deductus a causa propria. »

Itaque neque ens per participationem esset ens per participationem, nisi ab Ente per essentiam causaretur ; neque Ens per essentiam, nisi omnia prorsus entia per participationem ab eo causarentur, esset per essentiam Ens.

Secundo : **Solus Deus est Ens per essentiam, diversimode potest exponi.** — Diversimode enim potest exponi ac declarari quomodo Deus sit *ens per essentiam;* nam sicut omnia argumenta pro veritate creationis demonstranda reducuntur ad suprapositam argumentationem, ita huiusmodi postrema argumentatio explanari potest, ut in unumquodque aliorum argumentorum logice resolvatur. Atque ita *ens per essentiam* potest recte exponi in hunc sensum : 1° ens cui nihil est causa essendi ; 2° ens universaliter perfectum ; 3° ens simpliciter infinitum ; 4° actus purus in linea entis ; 5° summum bonum, summum verum, et summum unum ; 6° intelligens per essentiam ; 7° omnipotens per essentiam. Nam quaecumque divina attributa resolvuntur in hoc : *Ens per essentiam.* Ideoque quocumque modo exponatur : *Solus Deus est Ens per essentiam,* recte concluditur quod omnia, quaecumque sunt, necesse est ut a Deo sint facta secundum totam entitatem. Entia enim per participationem nonnisi ab Ente illo procedere possunt, in quo est ipsa plenitudo essendi ; at plenitudo essendi ex quocumque divino attributo facile ostenditur ac manifestatur. Verum, quia omnia divina attributa in

identitate essentiae et *esse* radicantur, ut supra lib. 3. ostensum manet, ideo :

Tertio : **D. Thomas ita semper exponit : Solus Deus est Ens per essentiam.** — I. q. 44. a. 1. et q. 61. a. 1. : « Respondeo dicendum, quod necesse est dicere et angelos et omne id, quod praeter Deum est, a Deo factum esse. Solus enim Deus est suum *esse;* in omnibus autem aliis differt essentia rei et *esse* eius, ut ex superioribus patet (q. 3. a. 4.). Et ex hoc manifestum est, quod *solus Deus est ens per suam essentiam;* omnia vero *alia sunt entia per participationem.* Omne autem quod est per participationem, causatur ab eo qui est per essentiam ; sicut omne ignitum causatur ab igne. Unde necesse est angelos a Deo creatos esse. »

II. C. Gent. cap. 15. : « Quod per essentiam dicitur, est causa omnium quae per participationem dicuntur ; sicut ignis est causa omnium ignitorum, in quantum huiusmodi. *Deus autem est Ens per essentiam suam,* quia est ipsum *esse;* omne autem aliud est ens per participationem ; quia ens, quod sit suum *esse,* non potest esse nisi unum, ut (in 1. lib. cap. 13., 22. et 42.) ostensum est. Deus igitur est causa essendi omnibus aliis. »

III. C. Gent. cap. 66. : « Quod est per essentiam tale, est proprie causa eius quod est per participationem tale ; sicut ignis est causa omnium ignitorum. *Deus autem solus est ens per essentiam,* omnia autem alia sunt entia per participationem ; nam in solo Deo *esse* est sua *essentia. Esse* igitur cuiuslibet existentis est proprius effectus eius, ita quod omne quod producit aliquid in *esse,* hoc facit in quantum agit in virtute Dei. »

Comp. Theol. cap. 67. : « Omne quod habet aliquid per participationem, reducitur in id quod habet illud per essentiam, sicut in principium et causam ; sicut ferrum ignitum participat igneitatem ab eo quod est ignis per essentiam suam. Ostensum est autem supra, quod Deus est ipsum *esse;* unde *esse* convenit ei per suam essentiam, omnibus autem aliis convenit per participationem ; non enim alicuius alterius essentia est suum *esse,* quia *esse* absolutum et per se

subsistens non potest esse nisi unum, ut supra ostensum est. Igitur oportet Deum esse causam existendi omnibus quae sunt. »

Unde Angelicus Doctor semel atque iterum et semper exponit *ens per essentiam : ens cuius essentia est esse ;* et *ens per participationem : ens cuius esse differt ab eius essentia.*

In solo igitur Deo hoc quod est *esse*, est ipsa substantia ; in omnibus autem aliis aliud est substantia rei et aliud *esse* eius. Non enim alicuius alterius essentia est suum *esse ;* quia in solo Deo *esse* est sua essentia.

Quarto : **Iuxta philosophicam D. Thomae doctrinam, identitas substantiae et esse in Deo atque realis utriusque compositio in omnibus aliis constituit lapidem angularem pro veritate creationis demonstranda.** — Solus enim Deus est suum *esse ;* in omnibus autem aliis differt essentia rei et *esse* eius. « Et ex hoc manifestum est, inquit D. Thomas, quod :

1° « Solus Deus est ens per suam essentiam ; omnia vero alia sunt entia per participationem. » (I. q. 61. a. 1.)

2° Solus Deus est omnino simplex, actus purus in linea essendi ; omnia vero alia sunt aliquo modo composita, « quia ad minus *esse* est aliud quam *quod quid est.* » (I. q. 3. a. 7. ad 1.)

3° Solus Deus est bonus per essentiam, omnia vero alia per participationem ; quia « essentia rei creatae non est ipsum *esse.* » (I. q. 6. a. 3.)

4° Solus Deus est infinitus et perfectus simpliciter ; omnia vero alia sunt finita in suis perfectionibus ; nam est « contra rationem facti, quod essentia rei sit ipsum *esse* eius ; quia *esse* subsistens non est *esse* creatum. Unde contra rationem facti est, quod sit simpliciter infinitum. » (I. q. 7. a. 1. et a. 2. ad 1.)

5° Solus Deus est per se necessarium ; omnia vero alia sunt entia contingentia, absolute loquendo. (I. q. 3. a. 3. et q. 9. a. 2.)

6° Soli Deo convenit *esse* per se, ex natura sua, et secundum quod ipsum est ; omnibus vero aliis convenit *esse* non secundum quod ipsa sunt, non ex natura sua, sed per aliud,

et ex aliqua causa, et per aliquid superadditum, quod inest substantiae ut actus eius et est complementum substantiae existentis. (*II. C. Gent.* cap. 15. et cap. 53. ; I. Part. q. 6. a. 3.) Unde :

7° Solus ergo Deus, cui nihil est causa essendi, est causa essendi omnibus quae sunt.

VI

In omnibus ergo aliis quae sub Primo Ente sunt, oportet communem quandam resolutionem fieri in id quod est et in suum esse.

Primo : **De ratione facti et causati est realis compositio duorum in omni re facta, nempe subiecti et esse.** — Ad cuius evidentiam ascendendum nobis est per omnes gradus vel modos faciendi aliquid usque ad *creationem*, qui est gradus supremus in productione rerum.

1. Primus enim modus causandi aliquid spectari potest in arte humana, virtute cuius fit v. g. statua hominis, in qua simul habentur et *subiectum* seu *potentia realis* per ligneam seu marmoream materiam, et *realis actus* per humanam formam ex potentia materiae eductam, virtuteque artificis inductam ligno vel marmori. Distinctio autem realis inter marmor et formam quae marmori inhaeret, in perspicuo est.

2. Secundus vero modus causandi est per motum localem vel per quamcumque aliam accidentalem mutationem in substantiis materialibus ; sic corpora sive ex naturae impulsu indito ab ipso naturae auctore, sive ex impulsu ab alio agente extrinseco, aut moventur secundum locum, aut mutantur secundum alias sensibiles qualitates, v. g. caloris, albedinis, etc., aliquid acquirendo aut amittendo, absque eo quod res mota vel mutata augeatur vel minuatur in sua propria entitate substantiali. Realis distinctio, exempli

causa, inter aquam et formam caloris ab igne acceptam, satis clare ex se ostenditur.

3. Tertius modus causandi aliquid est per motum accidentalem in substantiis spiritualibus. Ita acquiruntur, v. g. scientiae et virtutes, quarum realis distinctio a natura hominis, qui fit bonus vel sapiens, in manifesto est.

4. Quartus vero modus causandi aliquid est per intrinsecum motum corporalium substantiarum, quae generantur et corrumpuntur ; atque in profundiori isto modo producendi, etsi tangantur ipsa intima rerum, in ipsa tamen re facta haud obscure detegitur realis distinctio inter subiectum substantialis mutationis et novam substantiae formam quae per mutationem acquiritur.

5. Supra omnes istos aliosque causandi modos collocanda est *creatio*, quae est modus fiendi, seu origo rerum, absque omni motu, per influentiam essendi. In omnibus aliis modis productionis fit quidem *hoc* vel *illud ens*, quod quidem non fit ex *non ente*, sed ex *non ente hoc ;* in creatione vero fit *ens simpliciter*, ac producitur tota entitas rei ex nihilo. In omnibus aliis modis fiendi verificatur illud : *Ex nihilo nihil fit ;* in creatione autem verificatur aliud axioma superioris veritatis, nempe : *Ex nihilo sui fit tota substantia rei, totum ens.* In omnibus denique modis causandi, in quibus fiunt res per mutationem, subiectum factionis praesupponitur ; at in supremo modo fiendi, qui est per essendi influxum, non praesupponitur ullum factionis subiectum, sed *totum ens* causatur atque efficitur. Cum igitur in creatione illud quod fit, proprie non mutetur, sed tantummodo incipiat esse : eruntne etiam hic *duo* inter se opposita ac inter se maxime coniuncta et realiter distincta ?

Secundo : **In omni re facta per creationem oportet inveniri realem compositionem substantiae et esse.** — Postquam Angelicus Doctor enumeravit diversos gradus causandi usque ad resolutionem sensibilium substantiarum in duas partes essentiae, quae sunt materia et forma, ultra progrediens usque ad profundum huiusce disputationis, *De natura angelorum*, cap. 5. addit : « Ultra hunc modum fiendi, necesse

est secundum sententiam Platonis et Aristotelis ponere alium altiorem. Cum enim necesse sit primum principium simplicissimum esse, necesse est quod non modo esse ponatur quasi *esse* participans, sed quasi *ipsum esse* existens. Quia vero *esse subsistens* non potest esse nisi unum, sicut supra habitum est, necesse est omnia alia quae sub ipso sunt, sic esse quasi *esse participantia*. Oportet igitur communem quandam resolutionem in omnibus huiusmodi fieri, secundum quod unumquodque eorum resolvitur in *id quod est* et in suum *esse*. Oportet igitur supra modum fiendi, quo aliquid fit, forma materiae adveniente, praeintelligere aliam rerum originem, secundum quod *esse* attribuitur toti universalitati rerum a Primo Ente quod est suum *esse*... In his omnibus, quae fiunt per mutationem vel motum, subiectum factionis praesupponitur ; sed in supremo modo fiendi, qui est per essendi influxum, nullum subiectum factionis praesupponitur ; quia hoc ipsum est *subiectum fieri* secundum hunc factionis modum, quod est *subiectum esse participare* per influentiam superioris entis. »

En D. Thomas, quaerens in ipsismet rerum creatarum naturis reale fundamentum ad veritatem creationis demonstrandam ! *Invisibilia enim Dei, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et divinitas.* Deum ergo esse Creatorem visibilium omnium et invisibilium, per ea ipsa quae creata sunt, ut intelligamus, nobis est attente conspiciendum. Conspexit equidem Angelicus Doctor, et vidit *rerum originem secundum quod esse attribuitur toti universalitati rerum a Primo Ente, quod est suum esse*, praeintelligi nullatenus posse nisi tota universalitas rerum, a Primo Ente originem per creationem trahens, necessario habeat *esse* realiter distinctum ab ipso *subiecto* quod *esse* participat, ab ipsa substantia rei existentis, cuius complementum et actus est *esse*.

D. Thomas non transfert distinctionem essentiae et *esse* ex intellectu ad res ; de distinctione etenim rationis nihil curat, quoniam nihil ponit in re ipsa, nihilque in hac controversia explicat ; nam diversitas solius rationis non variat aliquid ex parte rei ; quapropter D. Thomas quaerit in

ipsismet visceribus rerum hanc profundissimam compositionem, sine qua redderetur impossibilis creatio. Oportet, inquit, *communem quandam resolutionem* in omnibus rebus, praeter Deum, fieri. Resolutio quippe ista fienda est in omnibus rebus quae sub primo principio simplicissimo sunt ; et sic sunt, quasi *esse* participantia. Quoniam primum ens, cuius substantia est suum *esse*, est Esse Subsistens ; et Esse Subsistens non potest esse nisi unum.

Quomodo autem fienda est resolutio ? In quasnam partes entitativas ? Secundum quaenam elementa entis ? Secundum quod unumquodque entium intellectu resolvitur, videlicet : *In id quod est*, et *in suum esse*. Eo quippe modo necessaria est resolutio omnis entis creati in *id quod est*, et in suum *esse*, quemadmodum est necessaria resolutio entis generati in partes essentiae, quae sunt materia et forma. Illa sunt prima potentia et primus actus in linea entis ; haec, prima potentia et primus actus in linea substantiae corporeae. Sicut ergo resolvere oportet ad generationem rerum omnes sensibiles substantias usque ad materiam et formam, ita oportet ad creationem rerum resolvere omne ens creatum in suppositum seu subiectum essendi et in suum *esse*. Sine reali distinctione materiae et formae non datur generatio substantialis ; absque reali distinctione essentiae et *esse*, dari non potest *creatio*.

Communis itaque resolutio facta in omnibus rebus creatis usque in *id quod est* et in suum *esse*, constituit fundamentum scientificum pro veritate creationis demonstrative probanda.

Tertio : **Haec duo entis creati elementa esse realiter distincta, aperte quoque liquet ex responsionibus, quibus D. Thomas difficultates circa hoc sibi oppositas solvit.** — Praecipuae quidem difficultates sic se habent :

1ª I. q. 44. a. 2. : « Omne agens agit sibi simile ; et sic, cum omne agens agat in quantum est actu, sequitur quod omne factum aliquo modo sit in actu. Sed materia prima est tantum in potentia, in quantum huiusmodi. Ergo contra rationem materiae primae est quod sit facta. »

2ª *De Verit.* q. 21. a. 5. : « Secundum Boëtium in lib. *De*

Hebd. creaturae sunt bonae in quantum a primo bono fluxerunt. Sed per suam *essentiam* fluxerunt a primo bono. Ergo per suam essentiam sunt bona. »

3ª *De Pot.* q. 3. a. 5. : « Omnia quae a Deo sunt facta, dicuntur esse Dei creaturae. Creatio autem terminatur ad *esse;* prima enim rerum creatarum est *esse,* ut habetur in lib. *De Causis,* proposit. 4. Cum ergo *quidditas* rei sit praeter *esse* ipsius, videtur quod *quidditas* rei non sit a Deo. »

4ª *De Pot.* q. 3. a. 1. : « Ei quod fit, faciens dat *esse.* Si ergo Deus facit aliquid ex nihilo, Deus *alicui* dat *esse.* Aut ergo est aliquid recipiens *esse,* aut nihil. Si nihil, ergo nihil constituitur in *esse* per illam actionem ; et sic non fit aliquid. Si autem est aliquid recipiens *esse,* hoc erit aliud ab eo quod est Deus ; quia non est idem recipiens et receptum. Ergo Deus facit ex aliquo praeexistenti, et ita non ex nihilo. »

Ad haec sic ad litteram respondet D. Thomas :

Ad 1ᵃᵐ. — I. q. 44. a. 2. ad 3. : « Dicendum, quod ratio illa non ostendit quod materia non sit creata, sed quod non sit creata sine forma. Licet enim omne creatum sit in actu, non tamen est actus purus. Unde oportet, quod etiam *illud* quod se habet ex parte *potentiae,* sit creatum, si *totum,* quod ad *esse* ipsius pertinet, creatum est. » Quam difficultatem solvit quoque *De Pot.* q. 3. a. 1. ad 12. dicens : « Neque materia neque forma neque accidens proprie dicuntur fieri, sed id quod fit est *res subsistens.* Cum enim *fieri* terminetur ad *esse,* proprie ei convenit fieri cui convenit per se esse, sc. rei subsistenti ; unde neque materia neque forma neque accidens proprie dicuntur creari, sed concreari. Proprie autem creatur res subsistens, quaecumque sit. Si tamen in hoc vis non fiat, tunc dicendum, quod *materia prima* habet similitudinem cum Deo, in quantum participat de *ente.* Sicut enim lapis est similis Deo, in quantum ens, licet non sit intellectualis sicut Deus, ita materia prima habet similitudinem cum Deo in quantum *ens,* non in quantum *ens actu.* Nam *ens* commune est quodammodo potentiae et actui. »

Ad 2ᵃᵐ. — *De Verit.* q. 21. a. 5. ad 5. : « Dicendum, quod

creatura non solum est a Deo secundum *essentiam* suam, sed secundum *esse* suum, in quo praecipue consistit ratio bonitatis substantialis ; et secundum perfectiones superadditas, in quibus consistit bonitas absoluta ; et haec non sunt essentia rei. Et praeterea, ipse respectus, quo essentia rei refertur ad Deum ut ad principium, est aliud quam essentia. » Quod pariter in terminis asserit I. q. 6. a. 3. ad 3. : « Bonitas rei creatae non est ipsa eius *essentia*, sed aliquid superadditum, vel ipsum *esse* eius, vel aliqua perfectio superaddita, vel ordo ad finem. »

Ad 3am. — *De Pot.* q. 3. a. 5. ad 2. : « Dicendum, quod ex hoc ipso quod *quidditati esse* attribuitur, non solum *esse*, sed *ipsa quidditas* creari dicitur ; quia antequam *esse* habeat, nihil est, nisi forte in intellectu creantis, ubi non est creatura, sed creatrix essentia. »

Ad 4am. — *De Pot.* q. 3. a. 1. ad 17. : « Dicendum, quod Deus, simul dans *esse*, producit *id* quod *esse* recipit ; et sic non oportet quod agat ex aliquo praeexistenti. »

VII

Dantur ergo in omni re creata saltem duo principia realia, ex quibus omnis res subsistens constituitur tamquam ex actu et potentia in linea entis sive in ordine essendi.

Primo : **Materia, forma, esse.** — Quomodo se habeant ad invicem haec tria in intrinseca atque substantiali constitutione entis creati, profunde simul ac dilucide explicat ex professo Angelicus Doctor in opusculo *De natura angelorum*, cap. 6., sic dicens : « Ea quae a primo ente *esse* participant, non participant *esse* secundum universalem modum essendi, secundum quod est in primo principio ; sed particulariter,

secundum quendam determinatum essendi modum, qui convenit huic generi vel huic speciei. Unaquaeque autem res adaptatur ad unum determinatum modum essendi secundum modum suae substantiae. Modus autem uniuscuiusque substantiae compositae ex materia et forma est secundum *formam*, per quam pertinet ad determinatam speciem. Sic igitur res composita ex materia et forma, per suam *formam* fit participativa *ipsius esse* a Deo secundum quendam proprium modum.

Invenitur igitur in substantia composita ex materia et forma duplex ordo : unus quidem *ipsius materiae ad formam ;* alius autem *ipsius rei* iam compositae ad *esse* participatum. Non enim est *esse* rei neque forma eius neque materia ipsius, sed *aliquid adveniens* rei per formam.

Sic igitur in rebus ex materia et forma compositis, *materia* quidem, secundum se considerata, secundum modum suae essentiae, habet *esse* in potentia, et hoc ipsum est ei ex aliqua participatione primi entis ; caret vero, secundum se considerata, *forma*, per quam participat *esse* in actu secundum proprium modum. Ipsa vero *res composita*, in sui essentia considerata, iam habet *formam* esse ; sed participat *esse* proprium sibi, per formam suam.

Quia igitur *materia* recipit *esse* determinatum actuale per formam, et non e converso, nihil prohibet esse aliquam formam quae recipiat *esse* in seipsa, non in aliquo subiecto ; non enim causa dependet ab effectu, sed potius e converso. Ipsa igitur forma sic per se subsistens, *esse* participat in seipsa, sicut forma materialis in subiecto.

Si igitur per hoc, quod dico *non ens*, removeatur solum *esse in actu*, ipsa forma, secundum se considerata, est *non ens*, sed *esse participans*. Si autem *non ens* removeat non solum ipsum *esse in actu*, sed etiam actum seu *formam* per quam aliquid participat *esse :* sic materia est *non ens*, forma vero subsistens non est *non ens*, sed est actus quae est forma participativa ultimi actus qui est *esse*.

Patet igitur, in quo differt *potentia* quae est in substantiis spiritualibus, a *potentia* quae est in materia. Nam potentia spiritualis attenditur solum secundum ordinem ipsius ad

esse; potentia vero materiae secundum ordinem et ad *formam* et ad *esse*. Si quis autem utrumque *materiam* esse dicat, manifestum est quod aequivoce materiam nominabit. »

SECUNDO : **Compositio ex materia et forma, ac compositio ex substantia et esse.** — Utraque est realis compositio ex potentia et actu, sed non eiusdem rationis. Nam : 1° *materia* non est ipsa substantia rei, sed pars substantiae ; 2° ipsum *esse* non est *proprius actus* materiae, sed substantiae totius, de qua dicitur quod est ; 3° nec *forma* est ipsa substantia, sed complementum substantiae, cuius actus est ipsum *esse;* 4° *forma* dicitur *principium essendi* in compositis ex materia et forma, sicut diaphanum est aëri principium lucis, quia facit eum subiectum proprium luminis ; 5° ad ipsam etiam formam comparatur ipsum *esse* ut actus ; 6° ipsa enim *essentia* formae comparatur ad *esse* sicut potentia ad proprium actum ; 7° *esse* nec est substantia nec pars substantiae, sed actus eius. Itaque *actus* et *potentia* sunt communiora quam *materia* et *forma;* et compositio actus et potentiae est in plus quam compositio formae et materiae. Potentia et actus sunt prima principia in genere substantiae ; materia autem et forma sunt prima principia in genere substantiae mobilis. Materia et forma dividunt substantiam materialem ; potentia autem et actus dividunt ens commune et omnem rem subsistentem [1].

TERTIO : **Compositio ex substantia et esse est compositio potentiae et actus in omnibus creatis.** — Quod ex professo declaratur ab Angelico Doctore, *II. C. Gent.* cap. 53. Postquam enim in antecedenti capite 52. ostenderit, quod in substantiis intellectualibus differt *esse* et *quod est*, depromens ex visceribus Philosophiae Primae illa septem magnifica argumenta, quorum expositio habetur supra in *libro primo* huius operis, D. Thomas statim infert veluti necessariam praedictorum argumentorum consequentiam : « Ex hoc autem evidenter

[1] *II. C. Gent.* cap. 54. — *Quodl.* 3. a. 20. — *De Anima*, a. 6. — In lib. Boëtii *De Trinitate*, q. 5. a. 4. ad. 4.

apparet, quod in substantiis intellectualibus creatis est compositio actus et potentiae » :

Ratio 1ª. — « In quocumque enim inveniuntur *aliqua duo* quorum unum est complementum alterius, proportio unius ad alterum est sicut proportio potentiae ad actum ; nihil enim completur nisi per proprium actum. In substantia autem intellectuali creata inveniuntur *duo*, sc. *substantia* ipsa et *esse* eius quod non est ipsa substantia, ut ostensum (cap. 52.) ; ipsum autem *esse* est complementum substantiae existentis ; unumquodque enim actu est per hoc quod *esse* habet. Relinquitur igitur, quod in qualibet praedictarum substantiarum sit compositio actus et potentiae. »

Ratio 2ª. — « Quod inest alicui ab agente, oportet esse *actum* eius ; agentis enim est facere aliquid actu. Ostensum est autem supra (cap. 15.), quod omnes aliae substantiae habent *esse* a primo agente ; et per hoc ipsae substantiae creatae sunt, quod *esse* ab alio habent. Ipsum igitur *esse* inest substantiis creatis ut quidam *actus* earum. *Id* autem, cui actus inest, *potentia* est ; nam actus, in quantum huiusmodi, ad potentiam refertur. In qualibet igitur substantia creata est potentia et actus. »

Ratio 3ª. — « Omne participans aliquid comparatur ad ipsum quod participatur ut potentia ad actum ; per *id* enim quod participatur fit participans *actuale*. Ostensum est autem supra (lib. 1. cap. 22. et lib. 2. cap. 52.) quod solus Deus est essentialiter ens, omnia autem alia participant ipsum *esse*. Comparatur igitur omnis substantia creata ad suum *esse* sicut potentia ad actum. »

Ratio 4ª. — « Assimilatio alicuius ad causam agentem fit per actum ; agens enim agit sibi simile in quantum est actu. Assimilatio autem cuiuslibet substantiae creatae ad Deum est per ipsum *esse*, ut supra (lib. 2. cap. 15. et cap. 52.) ostensum est. Ipsum igitur *esse* comparatur ad omnes substantias creatas sicut *actus* earum. Ex quo relinquitur, quod in qualibet substantia creata sit compositio actus et potentiae. »

QUARTO : **Ergo id quod per creationem fit, est compositum ex substantia et esse.** — In creatione id quod proprie

causatur ac producitur et per productionem constituitur in se extra causas suas, non est sola essentia, nec solus actus existentiae. Non quidem *sola essentia;* quia nulla essentia creaturae possidet, ex vi naturae propriae, in sua ratione entis, *actum* essendi, sine quo existere non valet. Nec *solus actus* essendi ; quoniam *esse* creaturae non est in seipso *subsistens,* sed est *esse inhaerens, esse participatum,* ac propterea receptum in aliquo participante et inhaerens alicui subiecto quod sub suo *esse* stat. Id ergo quod per creationem fit, est *res subsistens,* composita ex potentia et actu, ex substantia et *esse;* atque huiusmodi compositio est non sicut ex partibus substantiae, sed sicut ex substantia et eo quod adhaeret substantiae ; quorum utrumque indiget in sua propria entitate et realitate, realitate et entitate alterius ; et utrumque habet ab alio, quod ex utroque compositum sit *ens actu, existens.* Essentia quidem, quoniam cum sit potentia participans actum, actualis non redditur nisi per actum essendi ; *actus* vero ipsius *esse,* quoniam cum sit non subsistens, indiget substantia cui adhaereat.

Atque ex utriusque compositione resultat : *a*) **Substantia creata ;** *cuius quidditati competit esse non in alio, sed per se esse : quod tamen esse non est ipsa eius essentia* [1]. *b*) **Ens actu ;** omne enim quod est actu, vel est ipse actus vel est potentia participans actum [2]. *c*) **Res existens ;** quia compositio ex essentia et *esse,* est compositio participantis *esse;* et huiusmodi compositum resolvitur in *esse* et in *id quod habet esse;* atque in tali composito aliud est ipsa creatura quae habet *esse,* et ipsum *esse* eius ; ac per huiusmodi compositionem substantia creata completur in linea entis, perducitur ad *esse,* perficitur suo proprio actu ; et sic omnis natura creata participat naturam essendi, quae est natura Dei, et fit similis Deo [3].

Actio Dei quae dicitur *creatio,* totam rem producit simul

[1] I. q. 3. a. 5. ad 1.
[2] *Quodl.* 3. a. 1.
[3] *II. C. Gent.* cap. 53. — *Quodl.* 2. a. 3. — I. q. 45. a. 5. ad 1.

cum principiis suis, ex quibus res constituitur in *esse* suo, quod est obiectum creationis [1].

Unde *Esse per se subsistens* est causa *omnis esse in alio recepti;* quia id quod est per se, est causa eorum quae per se non sunt [2].

[1] I. q. 45. a. 4.
[2] *Quodl.* 7. a. 1.

CAPUT TERTIUM

Absque reali compositione esse et essentiae in creaturis non darentur diversi perfectionis gradus in essendo in rerum natura, sed omnia essent unum.

I

Gradus in essendo perfectius et minus perfecte non dantur nisi propter diversam participationem ipsius esse, quod diversimode participatur iuxta diversitatem formarum seu naturarum in quibus recipitur.

Quod patet : 1° **Ex dictis in Libro 1° in quo explanata sunt argumenta quibus Angelicus Doctor ostendit in omnibus substantiis creatis, etiam intellectualibus, differre esse et id quod est.** — Argumenta siquidem haec, ex visceribus Philosophiae Primae deprompta, afferuntur in lib. *II. C. Gent.* cap. 52. ; atque ex eis infert D. Thomas quod, si in substantiis spiritualibus, quae sunt angeli, non inveniretur compositio ex essentia et *esse*, omnia essent *unum;* quia *esse*, in quantum est *esse*, non potest esse diversum ; et praeterea, *esse subsistens* non potest esse nisi unum tantum, quod est Deus. Et omnia essent *quid infinitum simpliciter;* quia *esse* non terminaretur aliquo recipiente seu aliqua natura quae se haberet ad *esse* tamquam potentia realis ad actum realem. Et omnia essent *quid non causatum;* quia *esse per se subsistenti*, sine subiecto in quo recipiatur, non competit esse causatum. Et omnia essent *ens per essentiam;* quia tunc *esse* esset de substantia rerum, imo ipsa rerum substantia ; atque ita *esse* conveniret omnibus rebus per se, et non per aliud. Et omnia essent *actus purus;* quia *esse* rerum non

adhaereret substantiae ipsarum tamquam potentiae subiectivae, nec esset proinde complementum substantiae existentis. Porro, omnia essent Deus, cuius substantia est *esse;* quia tunc, praesupposita identitate substantiae et *esse* in omnibus rebus, *esse* non competeret rebus per participationem ; etenim quod competit alicui per participationem, non est substantia eius. Impossibile est igitur, quod *substantia* alterius entis, praeter Primum, sit ipsum *esse;* atque impossibile, quod aliquod *esse*, praeter Primum, sit subsistens. Itaque in omnibus, praeter Unum quod est Deus, est compositio saltem duorum, quorum unum est complementum alterius ; et proportio unius ad alterum est sicut proportio potentiae ad actum, videlicet compositio substantiae et *esse* quod inest substantiis creatis ut quidam actus earum [1].

2° **Ex dictis in Libro 2. circa primam divisionem entis realis.** — Nam quoad diversitatem entium, prima divisio entis realis est : in ens immutabile et mutabile ; ens per essentiam et per participationem ; ens increatum et creatum ; ens quod est actus purus, et ens constans actu et potentia in linea entis ; ens necessarium et contingens ; ens simpliciter infinitum et finitum. Haec siquidem realis entis divisio, quamvis sub diversis terminis proposita, una tamen et eadem est, eaque prima, sc. distinctio realis inter Deum et universitatem rerum mundanarum. Atque si attenta mente praedictae entis realis divisiones considerentur, nihil aliud sunt nisi ipsaemet quinque viae, quibus Deum demonstrative probari potest. Etenim :

a) Per viam sumptam ex parte motus invenire oportet ens aliquo modo mutabile, mixtum ex actu et potentia, quousque perveniatur ad Actum Purum seu ad Primum Movens quod a nullo alio movetur.

b) Per viam autem sumptam ex parte causae efficientis, omnia quae se oculis offerunt consideranda, rationem entis causati exhibent, donec sistamus ante Priman Causam, rerum omnium creatricem.

[1] *II. C. Gent.* cap. 52. et 53.

c) Per viam vero sumptam ex necessario et contingenti, continuo spectanda se praebent entia contingentia, saltem quoad ipsum existentiae exercitium, ad illud usque Ens, cuius essentia constituitur per ipsam absolutam necessitatem existendi.

d) Per viam quidem sumptam ex diversis rerum gradibus conspicienda constanter veniunt entia per participationem, magis vel minus perfecta in suo *esse* per propriam uniuscuiusque formam seu naturam participato, dum in rerum omnium vertice splendet ac fulget Ens summum, Ens cuius essentia est ipsum Esse Subsistens.

e) Per viam denique sumptam ex gubernatione rerum adinveniuntur quoque entia imperfecta et finita, non modo quia indigent directione supremi Intelligentis, sed etiam ex eo quod finem quaerunt ultimum, et laborant consequi id quod est Optimum, per viam motus redeundo ad Primum Principium a quo processerunt.

Quamobrem divisiones illae entis realis, tametsi in modo diversae, ad unam omnes possunt revocari ; sicut quinque viae perveniendi ad Deum, licet sub diverso aspectu, ad unam quoque reducuntur. Atque ut una via infertur ex alia, sic pariter divisio altera ex altera derivatur ; ac omnes tam viae quam divisiones in re aequivalent.

Cum porro fundamentum primum in *via iudicii* volumus determinare, super quod primam divisionem entis realis necesse sit stabilire, et supremam rationem quaerimus *quare* unum solum ens oporteat esse increatum, omnino immutabile omnique perfectione praeditum ; caeteraque omnia oporteat esse causata ac per diversos perfectionis gradus constituta : *ultimum quare* totius quaestionis et veluti radix omnium rationum demonstrativa latet in identitate essentiae et *esse* ex parte Dei, atque in reali distinctione essentiae et *esse* in omnibus praeter Unum, quod est Deus : ut ex professo manet ostensum in Libro 2. cap. 1., 2. et 3.

3° **Ex ipsa demonstratione creationis.** — Absque reali essentiae et *esse* compositione in creaturis non dari diversitatem et unitatem, id est, diversos perfectionis gradus in

rerum natura, ex supradictis in antecedenti capite et in libro 3. cap. 4. iam facile evidenterque colligitur ; nam fundamentum scientificum pro veritate creationis ostendenda includere debet scientificam demonstrationem illius ponderis, numeri et mensurae, in quibus res fuerunt creatae. Habere enim *esse* creatum est habere *esse* factum in numero, mensura et pondere ; quod quidem necessario praesupponit realem distinctionem inter *esse* et *formam* essentiae, per quam *actus essendi* participatur, et secundum quam ipsum *esse* participatum numeratur ac diversificatur ; et iuxta mensuram *formae* participantis *esse*, ens, ex forma et *esse* compositum, est magis vel minus verum, magis vel minus bonum, magis vel minus nobile, magis vel minus ens. Unde D. Thomas, *De Verit.* q. 21. a. 6. : « Cum autem creaturae non sint suum *esse*, oportet quod habeant *esse* receptum ; et per hoc eorum *esse* est finitum et determinatum per mensuram eius in quo recipitur. » Atque iterum, ibid. ad 5. : « Ubicumque est aliquid receptum, oportet ibi esse modum, cum receptum limitetur secundum recipiens ; et ideo, cum *esse* creaturae, *essentiale* et *accidentale*, sit receptum, sic modus non solum invenitur in accidentalibus, sed in substantialibus. »

4° **Ex differentiis inter bonitatem Dei et creaturae.** — D. Thomas in eadem q. 21. *De Verit.* a. 5. ostendit creaturas non esse bonas per essentiam, sed per participationem, ex eo quod omnes creaturae sunt entia per participationem, et non per essentiam ; et e contra, Deum esse bonum per essentiam, quia non est *esse* participans, sed *esse purum*, *esse subsistens*. Unde ex identitate *esse* et essentiae in Deo atque ex reali *esse* et essentiae compositione in creaturis infert Angelicus Doctor differentias inter Dei bonitatem et nostram, quarum :

Prima: « Quidquid autem creatura perfectionis habet ex essentialibus et accidentalibus principiis simul coniunctis, hoc totum Deus habet per unum suum *esse* simplex ; simplex enim eius essentia est eius sapientia et iustitia et fortitudo et omnia huiusmodi, quae in nobis sunt essentiae superaddita. Et ideo ipsa absoluta bonitas in Deo idem est quod eius

essentia ; in nobis autem consideratur secundum ea quae superadduntur essentiae. Et pro tanto bonitas completa vel absoluta in nobis et augetur et minuitur et totaliter aufertur, non autem in Deo ; quamvis substantialis bonitas in nobis semper maneat. Et secundum hunc modum videtur Augustinus, *VIII. De Trinit.* cap. 3. dicere, quod Deus est bonus per essentiam, nos autem per participationem. »

Altera : « Sed adhuc inter Dei bonitatem et nostram alia differentia invenitur. Essentialis enim bonitas non attenditur secundum considerationem naturae absolutam, sed secundum *esse* ipsius ; humanitas enim non habet rationem boni vel bonitatis nisi in quantum *esse* habet. Ipsa autem natura vel essentia divina est eius *esse;* natura autem vel essentia cuiuslibet rei creatae non est suum *esse*, sed *esse* participans ab alio. Et sic in Deo est *esse purum*, quia ipse Deus est suum *esse subsistens;* in creatura autem est *esse* receptum vel participatum. Unde dico quod, si bonitas absoluta diceretur de re creata secundum suum *esse* substantiale, nihilominus adhuc remaneret habere bonitatem per participationem, sicut et habet *esse* participatum. Deus autem est bonitas per essentiam, in quantum eius essentia est suum *esse*. Et haec videtur esse intentio Philosophi in libro *De causis*, qui dicit solam divinam bonitatem esse bonitatem puram. »

Corollaria. — 1^{um} Solus Deus est bonus per essentiam atque infinite perfectus in omni genere perfectionum, quia solius Dei essentia est suum *esse ;* cetera omnia praeter Deum sunt bona per participationem, et intra determinatos perfectionis gradus constituta, quia in omnibus aliis differt essentia rei et *esse* eius.

2^{um} In solo Deo est idem *esse* simpliciter et esse simpliciter bonum ; quia solus Deus est suum *esse* subsistens, et solus Deus per unum suum *esse* simplex, quod est *esse* purum, possidet absolutam bonitatem ; et ipsa absoluta bonitas in Deo idem est quod eius essentia. In omnibus vero aliis, praeter Deum, aliud est quod sunt bona simpliciter, et aliud quod simpliciter sunt ; quia in illis aliud est natura vel essentia,

et aliud *esse;* et secundum primum actum quod est *esse*, sunt quodammodo bona, et simpliciter entia ; et secundum ultimum actum quod est *esse perfectum*, sunt bona simpliciter, et entia secundum quid.

3^{um} In solo Deo, cuius essentia est *esse* subsistens, ipsa bonitas completa et absoluta nec augetur, nec minuitur, nec auferri potest ; quoniam *esse* substantiale Dei, quod est *esse* purum, est ipsa Dei essentia vel natura. In omnibus aliis : *a*) quamvis substantialis bonitas semper maneat, tamen « ipsa bonitas quae attenditur secundum esse substantiale, non est ipsa essentia rei, sed *esse* participatum ; » *b*) ipsum *esse* participatum est nobilius vel minus nobile iuxta gradum nobilitatis formarum, quibus rerum essentiae seu naturae specifice constituuntur ; *c*) bonitas absoluta non completur nisi secundum ea quae superadduntur essentiae et ipsi *esse* substantiali quod non est ipsa rei essentia ; *d*) huiusmodi bonitas, quae per participationem *esse* accidentalis perficitur, potest augeri vel minui vel totaliter auferri ; *e*) bonitas rei creatae semper est *esse* superadditum essentiae, *esse* participatum et receptum ; vel ipsum *esse* eius substantiale, vel aliqua perfectio superaddita, vel ordo ad finem [1].

II

Absque reali compositione substantiae et esse non daretur compositio subiecti et accidentis in substantiis creatis.

Quod expresse docetur a D. Thoma ac saepenumero declaratur in suis operibus ; ut patet :

1° *Ex Summa contra Gentes.* Postquam enim *I. C. Gent.* cap. 22. ostenderat Angelicus Doctor, quod Dei essentia est suum *esse*, et quod in Deo idem est *esse* et divina substantia,

[1] Cf. I. q. 5. a. 1. ad 1. ; q. 6. a. 3.

statim incipit subsequens cap. 23. inferendo quod in Deo nullum est accidens. « Ex hac etiam veritate (inquit) de necessitate sequitur, quod Deo, super eius essentiam, nihil supervenire possit neque aliquid ei accidentaliter inesse. Ipsum enim *esse* non potest participare aliquid quod non sit de essentia sua ; quamvis *id quod est* possit aliquid aliud participare ; nihil enim est formalius aut simplicius quam *esse*. Divina autem substantia est ipsum *esse*. Ergo nihil habet quod non sit de sua substantia. Nullum ergo accidens ei inesse potest. »

2° *Ex Summa Theologica*, I. q. 3. a. 6. inter alia hoc ipsum argumentum profert ad demonstrandum, quod in Deo accidens esse non potest, videlicet : « Quia Deus est suum *esse*. Nam, ut Boëtius dicit lib. *De Hebdom.* licet *id quod est*, aliquid aliud possit habere adiunctum, tamen ipsum *esse* nihil aliud adiunctum habere potest ; sicut *quod est calidum*, potest habere aliquid extraneum quam calidum, ut *albedinem ;* sed ipse calor nihil habet praeter calorem. »

3° *Ex Opusc.* [1] *De quatuor oppositis*, cap. 4. : « Licet illud quod est aliud extraneum a natura sua, possit habere adiunctum, secundum Boëtium, ipsum tamen *esse* nihil potest compati quod ad ipsum non pertineat ; et ideo *esse separatum*, quod Deus est, simplicissimum est. Cum autem in quibuscumque rebus inveniatur aliquid praeter naturam ipsius rei quasi sibi adveniens, certum est illam rem non esse idem quod suum *esse ;* et hoc est commune omni creaturae. In omnibus enim creaturis sunt accidentia quaedam praeter illud quod spectat ad speciem rei ; et in hoc differt omnis creatura a Deo. »

4° *Ex Qu. Disput. De Pot.* q. 7. a. 4. : « Absque omni dubitatione tenendum est, quod in Deo nullum sit accidens ; quod quidem ad praesens potest ostendi tribus rationibus. Prima ratio est, quia nulli naturae vel essentiae vel formae aliquid extraneum adiungitur, licet *id* quod habet naturam vel formam vel essentiam, possit aliquid extraneum in se habere ;

[1] Opusc. 33. ed. Vivès ; 37. ed. Rom.

humanitas enim non recipit in se nisi quod est de ratione humanitatis. Quod ex hoc patet, quia in definitionibus, quae essentiam rerum significant, quodlibet additum vel subtractum variat speciem, sicut etiam in numeris, ut dicit Philosophus, *VIII. Metaph.* Homo autem qui habet humanitatem, potest aliquid aliud habere quod non sit de ratione humanitatis, sicut albedinem et huiusmodi quae non insunt humanitati, sed homini. In qualibet autem creatura invenitur differentia habentis et habiti. In creaturis namque compositis invenitur duplex differentia ; quia ipsum suppositum sive individuum habet *naturam* speciei, sicut homo humanitatem, et habet ulterius *esse ;* homo enim nec est *humanitas* nec *esse* suum ; unde homini potest inesse aliquod accidens, non autem ipsi humanitati vel eius *esse.* In substantiis vero simplicibus est una tantum differentia, sc. *essentiae* et *esse.* In angelis enim quodlibet suppositum est sua natura ; quidditas enim simplicis est ipsum simplex, ut dicit Avicenna, *V. Metaph.* cap. 5. ; non est autem suum *esse ;* unde ipsa quidditas est in suo *esse* subsistens. Unde in huiusmodi substantiis potest inveniri aliquod accidens intelligibile, non autem materiale. In Deo autem nulla est differentia habentis et habiti, vel participantis et participati ; imo ipse est et sua *natura* et suum *esse ;* et ideo nihil alienum vel accidentale potest ei inesse. »

Corollaria. — 1^{um} Radicale ergo omnium compositionum fundamentum in rebus creatis est compositio essentiae et *esse,* substantiae et actus essendi. Unde D. Thomas, *Quodl.* 3. a. 20. : « Potentia et actus sunt prima principia in genere substantiae ; materia autem et forma sunt prima principia in genere substantiae mobilis. »

2^{um} Compositio substantiae et accidentis enascitur ex compositione substantiae et *esse ;* et nulla daretur in creaturis compositio accidentalis, nisi praecederet in linea entis realis compositio ex substantia et ex *esse* quod est complementum substantiae existentis. Unde D. Thomas, *Quodl.* 7. a. 7. ad. 1. : « Substantialis simplicitas in angelis excludit compositionem materiae et formae, non autem composi-

tionem ex *esse* et *quod est ;* quàm compositionem ad minus accidentalis compositio in angelis praesupponit. »

3^{um} Quia ergo in Deo essentia vel substantia est *esse*, idcirco in Deo nullum est accidens ; et idem est *esse* et *esse bonum* et *esse sapiens* et *esse iustum* et huiusmodi. E contra, quia in omnibus, praeter Deum, *esse* nec est substantia nec pars substantiae, idcirco, sicut est compositio substantiae et *esse*, est etiam in eis compositio substantiae et accidentis ; et sicut in homine et in angelo aliud est essentia et aliud *esse*, ita aliud est in eis *esse* et aliud *esse bonum* et *esse sapiens* et sic de aliis. Quapropter D. Thomas, *De Verit.* q. 2. a. 1. : « Ab omnibus scientia Deo attribuitur ; diversimode tamen. Quidam enim suo intellectu modum creatae scientiae transcendere non valentes, crediderunt quod scientia sit in Deo quasi aliqua dispositio addita essentiae eius, sicut et in nobis est, quod est omnino erroneum et absurdum ; hoc enim posito, Deus summe simplex non esset ; esset enim in eo compositio substantiae et accidentis ; nec iterum ipse Deus esset suum *esse*, quia, ut dicit Boëtius in lib. *De Hebdom.*, *quod est*, participare aliquo potest ; sed ipsum *esse* nullo modo aliquo participat vel participare potest. Si ergo Deus participet scientiam quasi dispositionem adiunctam, ipse non esset suum *esse ;* et ita ab alio *esse* haberet, quod esset sibi causa essendi ; et sic non esset Deus. »

III

Absque reali compositione essentiae et esse in rebus creatis non daretur differentia unius substantiae secundum esse ab illis substantiis cum quibus convenit in ratione suae quidditatis.

Sic in terminis tradit D. Thomas :

1° *De Verit.* q. 2. a. 11. : « Creatura autem quantumcumque imitetur Deum, non potest pertingere ad hoc, ut *eadem ratione* aliquid sibi conveniat et Deo ; illa enim quae

secundum eandem rationem sunt in diversis, sunt eis communia secundum rationem *substantiae* vel *quidditatis*, sed sunt distincta secundum *esse*. Quidquid autem est in Deo, hoc est suum proprium *esse ;* sicut enim *essentia* in eo est idem quod *esse*, ita *scientia* idem est quod *scientem esse* in eo. Unde, cum *esse*, quod est proprium unius rei, non possit alteri communicari, impossibile est quod creatura pertingat ad eandem rationem habendi aliquid quod habet Deus ; sicut impossibile est, quod ad idem *esse* perveniat. Similiter etiam in nobis esset ; si enim in Petro non differret *homo* et *hominem esse*, impossibile esset quod *homo* univoce diceretur de Petro et Paulo, quibus est *esse* diversum. Nec tamen potest dici, quod omnino aequivoce praedicetur quidquid de Deo et creatura dicitur ; quia si non esset aliqua convenientia creaturae ad Deum secundum rem, sua essentia non esset creaturarum similitudo. »

2° *De Verit.* q. 27. a. 1. ad 8. : « Omne quod est in genere substantiae, est compositum reali compositione, eo quod id quod est in praedicamento substantiae, est in suo *esse* subsistens, et oportet quod *esse* suum sit aliud quam ipsum ; alias non posset differre secundum *esse* ab illis, cum quibus convenit in ratione suae *quidditatis :* quod requiritur in omnibus quae sunt directe in praedicamento. Et ideo, omne quod est directe in praedicamento substantiae, compositum est saltem ex *esse* et *quod est*. Sunt tamen quaedam in praedicamento substantiae per reductionem, ut principia substantiae subsistentis, in quibus praedicta compositio non invenitur ; non enim subsistunt ; ideo proprium *esse* non habent ; similiter accidentia, quia non subsistunt, non est eorum proprie *esse ;* sed subiectum *est aliquale* secundum ea ; unde proprie dicuntur magis *entis* quam *entia*. Et ideo ad hoc quod aliquid sit in praedicamento aliquo accidentis, non requiritur quod sit compositum compositione reali, sed solummodo compositione rationis, ex genere et differentia ; et talis compositio in gratia invenitur. »

3° *Comp. Theol.* cap. 13. : « Plura individua sub una specie contenta differunt secundum *esse*, et tamen conveniunt in *una essentia* speciei. Ubicumque igitur sunt plura

individua sub specie una, oportet quod aliud sit *esse* et aliud *essentia* speciei. »

4° *I. Sent.* dist. 8. q. 4. a. 2. : « Omne quod est in genere, habet *quidditatem* differentem ab *esse*, sicut homo ; humanitati enim ex hoc quod est humanitas, non debetur esse in actu ; potest enim cogitari humanitas, et tamen ignorari an aliquis homo sit. Et ratio huius est, quia commune, quod praedicatur de his quae sunt in genere, praedicat *quidditatem*, cum genus et species praedicentur in eo *quod quid est*. Illi autem *quidditati* non debetur *esse* nisi per hoc quod suscepta est in hoc vel in illo. Et ideo *quidditas* generis vel speciei non communicatur secundum *unum esse* omnibus, sed solum secundum unam rationem communem. Unde constat, quod *esse* suum non est *quidditas* sua. In Deo autem *esse* suum est *quidditas* sua ; aliter enim accideret quidditati, et ita esset acquisitum sibi ab alio, et non haberet *esse* per essentiam suam. Et ideo Deus non potest esse in aliquo genere. » Et ad 1. : « Deus simpliciter non est *accidens*, nec tamen omnino proprie potest dici *substantia;* tum quia nomen *substantiae* dicitur a substando, tum quia substantia *quidditatem* nominat, quae est aliud ab *esse* eius. »

Observationes. — 1ª Ante omnia notare oportet, quomodo D. Thomas contraponit *realem compositionem* ex *essentia et esse* ad compositionem solum rationis ex *genere et differentia;* et qualiter prima compositio est necessaria ad hoc quod aliquid ponatur directe in praedicamento substantiae ; tametsi ad hoc quod aliquid collocetur in predicamento aliquo accidentis, non requiratur nisi compositio rationis ex genere et differentiae.

2ª Cum ergo dicimus hominem esse compositum ex *animali* et *rationali*, compositio est rationis ex genere et differentia. Cum autem dicimus hominem esse compositum ex *corpore et anima rationali*, compositio est realis ex materia et forma, ex quibus humana essentia seu natura specifice constituitur. Cum porro dicimus hominem esse compositum ex eo *quod est* et *esse*, sive ex *substantia* et *esse*, compositio est etiam realis in linea substantiali entis in suo *esse* subsistentis.

3ª Absque hac reali compositione, qua in Petro v. g. et in Paulo differt *homo* et *hominem esse*, nec *humanitas* esset in praedicamento substantiae, nec *homo* praedicaretur univoce de Petro et Paulo, nec Petrus et Paulus, qui conveniunt in ratione suae quidditatis, possent differre secundum *esse*.

4ª Ergo ubicumque sunt plura individua sub specie una, oportet quod in huiusmodi individuis aliud sit *esse* et aliud essentia vel substantia. Unde D. Thomas, *I. Sent.* dist. 29. q. 1. a. 3. : « Natura specialis non multiplicatur nisi secundum *esse* quod in diversis habet ; quia tota quidditas completa est in specie. »

5ª Etiam ubi species et individuum sunt idem, ut in angelis, similiter oportet quod aliud sit *esse* et aliud substantia eius ; nam substantia quae est in praedicamento, *quidditatem* nominat quae est aliud ab eius *esse*.

6ª Absque reali compositione substantiae et *esse* quod est complementum substantiae existentis, nec in angelis essent accidentia, nec angelorum darentur diversae species, nec angeli constarent actu et potentia in linea entis, nec haberent *esse* causatum.

7ª Suprema ratio, quare nihil potest praedicari univoce de Deo et creaturis, est diversa habitudo ad *esse;* nimirum, quia quidquid est in Deo, hoc est suum proprium *esse*, atque ita in Deo idem est *essentia* et *esse*, idem *scientia* et *scientem esse*, et sic de aliis ; at in omnibus, praeter Deum, aliud est *essentia* et *esse;* et ideo aliud est *bonitas* et *bonum esse*, *scientia* et *scientem esse;* et ita porro. Existente enim diversitate in primo, oportet in aliis diversitatem inveniri [1].

[1] *De Pot.* q. 7. a. 7.

IV

Absque reali esse et essentiae compositione non daretur differentia unius rei creatae ab alia secundum substantiam vel naturam.

1° *De Pot.* q. 7. a. 2. ad 4. et ad 5. : « Esse divinum, quod est eius substantia, non est *esse commune*, sed est *esse* distinctum a quolibet alio *esse*. Unde per ipsum suum *esse* Deus differt a quolibet alio ente... Ipsum *esse* Dei distinguitur et individuatur a quolibet *alio esse* per hoc ipsum quod est *Esse per se subsistens*, et non adveniens alicui naturae quae sit aliud ab ipso *esse*. Omne autem aliud *esse* quod non est subsistens, oportet quod individuetur per naturam et substantiam quae in tali *esse* subsistit. Et in eis verum est, quod *esse* huius est aliud ab *esse* illius per hoc quod est alterius naturae ; sicut si esset unus calor per se existens sine materia vel subiecto, ex hoc ipso ab omni alio calore distingueretur ; sicut calores in subiecto existentes non distinguuntur nisi per subiecta. »

2° Lib. *De Causis*, lect. 4. : « Quia esse causatum primum est esse participatum in natura intelligentiae, multiplicabile est secundum diversitatem participantium... In tantum igitur intelligentia est composita in suo *esse* ex finito et infinito, in quantum natura intelligentiae infinita dicitur secundum *potentiam* essendi, et ipsum *esse*, quod recipit, est finitum. Et ex hoc sequitur, quod *esse* intelligentiae multiplicari possit, in quantum potest esse participatum ; hoc enim significat compositio ex finito et infinito... Quantum autem ad naturas ipsarum, necesse est quod naturae earum diversificentur secundum ordinem quendam ; non enim est in eis materialis differentia, sed formalis ; non enim sunt compositae ex materia et forma, sed ex *natura* quae est *forma*, et *esse* participato. In his autem quae materialiter differunt, nihil prohibet inveniri multa et ex aequo se habere ; nam in substantiis individua unius speciei rationem partici-

pant. In accidentibus etiam possibile est diversa subiecta aequaliter participare albedinem. Sed in his quae formaliter differunt, semper quidam ordo invenitur. Sed si quis diligenter consideret in omnibus speciebus unius generis, semper inveniet unam alia perfectiorem, sicut in coloribus albedinem et in animalibus hominem ; et hoc ideo, quia quae formaliter differunt, secundum aliquam contrarietatem differunt ; est enim contrarietas differentia secundum formam, ut Philosophus dicit, *X. Metaph.;* in contrariis autem semper est unum nobilius, et aliud vilius, ut dicitur *I. Physic.* Et propter hoc in *VIII. Metaph.* Philosophus dicit, quod species rerum sunt sicut numeri, qui specie diversificantur secundum additionem unius super alterum. Manifestum est autem quod, quanto aliquid est perfectius, tanto propinquius est Enti Perfectissimo. »

3° Lib. *De Causis*, lect. 5. : « Sicut enim *esse* intelligentiae compositum est ex finito et infinito, in quantum *esse* eius non est subsistens, sed participatum ab aliqua natura, ratione cuius potest distingui in multa, ita etiam est de *esse* animae ; et hoc est quod dicit : *Et non multiplicantur animae nisi per modum quo multiplicantur intelligentiae : quod est, quod esse animae habet finem, sed quod ex eo est inferius, est infinitum. Infinitum* autem dicit ipsam *naturam* participantem *esse*, quam vocat *infinitum* propter virtutem ad durandum *esse* in infinitum. Ipsum autem *esse* participatum vocat finitum, quia non participatur secundum totam infinitatem universalitatis suae, sed secundum modum naturae participantis. »

4° *I. C. Gent.* cap. 26. : « Res ad invicem non distinguuntur secundum quod *esse* habent, quia in hoc omnia conveniunt. Si ergo res differunt ad invicem, oportet quod vel ipsum *esse* specificetur per aliquas differentias additas, ita quod rebus diversis sit *diversum esse* secundum speciem ; vel quod res differant per hoc quod ipsum *esse* diversis naturis secundum speciem convenit. Sed primum horum est impossibile ; quia enti non potest fieri aliqua additio secundum modum quo differentia additur generi, ut dictum est cap. 25. Relinquitur ergo, quod res propter hoc differant, quod habent *diversas*

naturas quibus acquiritur *esse* diversimode. *Esse* autem *divinum* non advenit *alii naturae*, sed est ipsa natura seu essentia divina. »

Corollaria ex supraposita D. Thomae doctrina. — Ex supradictis, quae solemnia sunt in doctrina philosophica D. Thomae, facile iam est videre ac colligere :

1° Si ergo essentia et *esse* realiter in omnibus rebus creatis non distinguerentur, non daretur accidens in creaturis ; nec differentia unius substantiae secundum *esse* ab illis, cum quibus convenit in ratione suae quidditatis ; nec differentia unius creaturae ab alia secundum essentiam vel naturam. Imo, nulla daretur diversitas in rebus, nullaque differentia inter ea quae in rerum natura existunt ; quoniam omnia essent *unum*.

2° Ex hac profunda radice, quae intima rerum tangit, procedit argumentum illud primum ex septem, quibus ipse Angelicus Doctor demonstrat *II. C. Gent.* cap. 52. in omnibus quae sunt, praeter unum quod est Deus, etiam in substantiis intellectualibus, differe *esse* et *quod est;* atque proinde in omnibus rebus subsistentibus reperiri duo elementa intrinsece ipsas constituentia in ratione entis, nimirum : substantia et *esse* quod est actus substantiae existentis atque eiusdem complementum.

3° *Esse*, in quantum est *esse*, non potest esse diversum ; potest tamen diversificari per aliquid quod est praeter *esse;* sicut *esse* lapidis est aliud ab *esse* hominis. Unde *esse* si ponatur sine termino, est infinitum simpliciter ; si ponatur sine subiecto, est non causatum ; si ponatur sine potentia, est actus purus ; si identificatum cum ipsa rei substantia, est essentia Dei ; si subsistens, est unum tantum ; si absque alia natura ipsum participante, est *Ens per essentiam* seu *ipsa natura essendi.* Quae est propria natura Dei.

4° Omne ens creatum participat naturam essendi ; quia solus Deus est suum *esse.* Et cum solius Dei *esse* sit eius substantia, et *esse* subsistens non possit esse nisi unum tantum, idcirco *esse* inest substantiis creatis ut quidam actus earum ; et omnis alia natura praeter divinam non est

natura ipsa entitatis vel essendi, sed participans *esse* et essendi subiectiva potentia [1].

5° *Esse* Dei individuatur et distinguitur a quolibet alio *esse* per hoc ipsum quod est *esse subsistens* et non adveniens alicui naturae quae sit aliud ab ipso ; et sic individuatur per suam puram bonitatem ; nam eo ipso quod est *esse* subsistens, est ab omnibus separatum atque in seipso maxime indivisum ; ideoque maxime Unum.

6° *Esse* omnium aliorum individuatur et distinguitur non per se, quia non est esse subsistens, sed per subiectum in quo recipitur ; per naturam cui acquiritur ; per formam participantem ipsum ; per potentiam cuius est actus ; per substantiam cui adhaeret, et a qua sustentatur, et cuius est complementum, et quae in tali *esse* subsistit.

7° Inde *esse subsistens* est necessario unum ; *esse* vero *inhaerens* et *participatum* necessario venit multiplicandum et diversificandum simul atque distinguendum per subiecta individua in quibus recipitur, et iuxta diversos gradus formarum, ad quarum capacitatem et mensuram *esse* participatur et specificatur et contrahitur. Unde D. Thomas, *I. Sent.* dist. 2. q. 1. a. 1. : « Omnis natura quae invenitur in pluribus secundum prius et posterius, oportet quod descendat ab uno primo, in quo perfecte habeatur. Unitas enim principiati attestatur unitati principii, sicut omnis calor originatur ab uno calidissimo, quod est ignis. Sed *entitas* invenitur in pluribus secundum prius et posterius. Ergo oportet esse Unum Primum Ens perfectissimum, a quo omnia entia habent *esse;* et hic est Deus. Est igitur unus Deus. »

Ac rursus, *II. Sent.* dist. 1. q. 1. a. 1. : « Invenitur enim in omnibus rebus *natura entitatis*, in quibusdam magis nobilis et in quibusdam minus, ita tamen, quod ipsarum rerum *naturae* non sunt hoc ipsum *esse* quod habent ; alias *esse* esset de intellectu cuiuslibet quidditatis, quod falsum est, cum quidditas cuiuslibet rei possit intelligi etiam non intelligendo de ea *an sit*. Ergo oportet, quod ab aliquo *esse* habeant,

[1] *II. C. Gent.* cap. 52. et 53. — I. q. 45. a. 5. ad 1.

et oportet devenire ad aliquid cuius *natura* sit ipsum suum *esse;* alias in infinitum procederetur ; et hoc est, quod dat *esse* omnibus ; nec potest esse nisi *unum,* cum natura entitatis sit unius rationis in omnibus secundum analogiam ; unitas enim causati requirit unitatem in causa per se. »

CAPUT QUARTUM

Ex reali compositione essentiae et esse in rebus creatis procedit D. Thomas ad ostendendum, quod nec in angelo nec in aliqua creatura actio et virtus vel potentia operativa sunt idem quod sua essentia nec idem quod suum esse.

I

Impossibile est quod actio angeli vel cuiuscumque alterius creaturae sit eius substantia.

§ 1.

Rationes seu argumenta D. Thomae.

Ratio 1ª. — « Actio enim est proprie actualitas virtutis, sicut *esse* est actualitas substantiae vel essentiae. Impossibile est autem, quod aliquid quod non est purus actus, sed aliquid habet de potentia admixtum, sit sua actualitas ; quia actualitas potentialitati repugnat. Solus autem Deus est actus purus. Unde in solo Deo sua substantia est suum *esse* et suum agere. »

Ratio 2ª. — « Et praeterea, si intelligere angeli esset eius substantia, oporteret quod intelligere angeli esset subsistens. Intelligere autem subsistens non potest esse nisi unum, sicut nec aliquod abstractum subsistens. Unde unius angeli sub-

stantia non distingueretur neque a substantia Dei, quae est ipsum intelligere subsistens, neque a substantia alterius angeli. »

Ratio 3ª. — « Si etiam angelus ipse esset suum intelligere, non possent esse gradus in intelligendo perfectius et minus perfecte, cum hoc contingat propter diversam participationem ipsius intelligere. »

Haec D. Thomas, I. q. 54. a. 1.

§ 2.

Argumentorum declaratio.

Declaratio argumenti primi. — 1° D. Thomas comparat ad invicem ordinem entitativum et ordinem operativum, atque perfectam quandam asserit interesse proportionem inter ordinem essendi et ordinem operandi. *Actio enim est proprie actualitas virtutis operativae, sicut esse est actualitas substantiae vel essentiae.* Quemadmodum ergo se habeat *esse* ad essentiam vel substantiam, cuius est actus, ita pariter se habebit *actio* ad operativam virtutem.

2° In utroque ordine reperitur proportio duorum, quorum unum est complementum alterius ; et ideo proportio unius ad alterum est sicut proportio potentiae ad actum. De ratione autem actus est complere ac perficere ; de ratione vero potentiae est, ut per suum proprium actum perficiatur ac compleatur. Ubicumque igitur inveniantur actus in ratione propria actus, et potentia in ratione propria potentiae, ibi inveniuntur : *a*) duo, quorum alterum est subiectum et recipiens et participans, et alterum est participatum et receptum et inhaerens ; *b*) et duo, de quorum propria ratione est ut realiter distinguantur ad invicem ; quoniam impossibile est, ut idem sit actus suiipsius, sitque simul subiectum et inhaerens, recipiens et receptum, participans et participatum, perfectibile ac perficiens.

3° Quomodo autem se habet in ordine seu linea entis *esse* ad *essentiam* cuius est actualitas, *esse* ad *substantiam*

cuius est actus ? In omnibus, praeter unum quod est Deus, se habent ad invicem in ratione propria actus et in ratione propria potentiae ; ideoque se habent in ratione propria participati et participantis, recepti et recipientis, perficientis et perfectibilis. In solo Deo sua substantia est suum *esse;* in omnibus autem aliis differt essentia rei et *esse* eius. *Esse* inest substantiis creatis ut quidam actus earum ; *esse* est complementum substantiae existentis. Ex quo relinquitur, quod in qualibet substantia creata sit realis compositio actus et potentiae.

4° Ergo solus Deus, cuius substantia vel natura est ipsum suum esse subsistens, est actus purus in ordine essendi. Ergo solus Deus est actus purus in linea operandi. Ergo in solo Deo, sicut sua substantia est suum *esse*, ita sua substantia est suum agere.

5° Ergo in omnibus aliis, praeter Deum, etiam in angelis, virtus et operatio se habent ut proprius actus et propria potentia ; ac perinde inter se distinguuntur realiter, sicut realiter distinguuntur inter se substantia et *esse*. Unde in rebus creatis, sicut substantia non est suum *esse*, ita nec potest esse suum agere. Impossibile est ergo, quod actio angeli vel cuiuscumque alterius creaturae sit eius substantia.

Declaratio secundi argumenti. — Secundum vero argumentum est idem ac argumentum primum, quo *II. C. Gent.* cap. 52. Angelicus Doctor ostendit realem compositionem ex essentia et *esse* in omnibus rebus creatis, etiam in substantiis intellectualibus ; ac subsequenti principio innititur, videlicet : *Illud quod est subsistens, non potest esse nisi unum tantum.* Hic agitur de formis separatis a materia, vel de perfectionibus abstractis a subiecto, vel etiam de actibus separatis a potentiis receptivis ; quapropter D. Thomas in argumento scribit : *Intelligere subsistens non potest esse nisi unum, sicut nec aliquod abstractum subsistens.*

1° Habentes formam substantialem in materia, ut homines qui ex corpore et anima componuntur, plures possunt inveniri subsistentes et distincti numero intra eandem spe-

ciem ; unde datur pluralitas seu multitudo animarum rationalium, et similiter formarum eiusdem speciei in inferioribus rebus. Sed angeli sunt formae subsistentes sine materia et naturam specifice completam sine consortio materiae constituentes ; ideo impossibile est esse duos angelos unius speciei. Et sic forma subsistens sine materia, et sine materia naturam specie completam constituens, non potest esse nisi una tantum.

2° Pari modo, si formae accidentales, tam materiales ut *albedo*, quam spirituales ut iustitia, scientia, subsistere possent sine subiecto, nec albedo subsistens esset nisi una tantum, nec scientia vel iustitia subsistens esset nisi tantummodo una, cum albedines non multiplicentur nisi secundum recipientia, nec habitus virtutum eiusdem speciei non sint plures numero nisi secundum quod sunt in pluribus subiectis vel substantiis.

3° Et similiter de actibus qui sunt *intelligere*, *velle*, *vivere*, et *esse*, a fortiori id asserere oportet : *esse subsistens* non potest esse nisi unum tantum, illud nimirum *esse*, quod realiter identificatur cum substantia existentis ; *intelligere subsistens*, sicut et *velle* et *vivere* subsistens, non potest esse nisi unum tantum, illud sc. quod realiter identificatur cum ipsamet essentia substantiali viventis et intelligentis et volentis. En, quare D. Thomas concludit dicens : « Unde unius angeli substantia non distingueretur neque a substantia Dei quae est ipsum intelligere subsistens, neque a substantia alterius angeli. »

Declaratio argumenti tertii. — Patet iam ex declaratione primi et secundi, atque ex omnibus supradictis in capite antecedenti. Eadem est ratio de *intelligere* ac de *esse*. Sicut *ens per essentiam* non potest esse nisi unum, ita similiter *intelligens per essentiam* unum tantummodo esse potest ; sicut *entia per participationem* plurificantur et habent diversos gradus in essendo perfectius et minus perfecte, propter diversam participationem *ipsius esse*, pari modo *intelligentia per participationem* habent diversos gradus in intelligendo perfectius et minus perfecte propter diversam

participationem *ipsius intelligere*. Unde diversi gradus [1] tam in intelligendo quam in essendo praesupponunt realem compositionem ex *eo quod est* et *esse*, et ex *eo quod intelligit* et *intelligere*.

II

Neque actio angeli neque actio alicuius creaturae est eius esse.

§ 1.

Argumenta D. Thomae.

1° « Duplex enim est actionis genus : Una sc. quae transit in aliquid exterius, inferens ei passionem, sicut *urere*, *secare ;* alia vero actio est quae non transit in rem exteriorem, sed magis manet in ipso agente, sicut *sentire*, *intelligere* et *velle ;* per huiusmodi enim actionem non immutatur aliquid extrinsecum, sed totum in ipso agente agitur. De prima ergo actione manifestum est, quod non potest esse ipsum *esse* agentis. Nam *esse* agentis significatur intra ipsum ; actio autem talis est effluxus in passum ab agente. » (I. q. 54. a. 2.)

2° « Secunda autem actio de sui ratione habet infinitatem, vel simpliciter vel secundum quid. Simpliciter quidem, sicut *intelligere*, cuius obiectum est *verum ;* et *velle*, cuius obiectum est *bonum ;* quorum utrumque convertitur cum *ente ;* et ita intelligere et velle, quantum est de se, habent se ad omnia, et utrumque recipit speciem ab obiecto. Secundum quid autem infinitum est *sentire*, quod se habet ad omnia sensibilia sicut visus ad omnia visibilia. *Esse* autem cuiuslibet creaturae est determinatum ad unum secundum genus et speciem. Solius autem Dei *esse* est simpliciter infinitum, in

[1] Vide I. q. 44. a. 1. ; q. 50. a. 4. — *De nat. angelor.* cap. 6. — Lib. 1. cap. 3. et cap. 4.

se omnia comprehendens, ut Dionysius dicit, *De div. nom.* cap. 4. Unde solum Esse Divinum est Divinum Intelligere et Divinum Velle. » (Ibid.)

3° « Ipsa *essentia* angeli est ratio totius eius *esse*; non autem est ratio eius *intelligere*, quia non omnia intelligere potest per suam essentiam. Et ideo secundum propriam rationem, in quantum est talis essentia, comparatur ad ipsum *esse* angeli ; sed ad eius *intelligere* comparatur secundum rationem universalioris obiecti, sc. veri vel entis. Et sic patet quod, licet sit eadem forma, non tamen secundum eandem rationem est principium essendi et intelligendi. Et propter hoc non sequitur, quod in angelo sit idem *esse* et *intelligere*. » (Ibid. ad 2.)

§ 2.

Argumentorum declaratio.

Primo : **Actio transiens cuiuscumque creaturae non est eius esse.** — De huiusmodi actione ait expresse D. Thomas quod « manifestum est, quod non potest esse ipsum *esse* agentis. » Etenim *esse* et *agere* actionis formaliter transeuntis, ut *urere* et *secare*, habent notas oppositas et contraria praedicata ; de ratione actionis transeuntis est quidem quod egrediatur ab agente, sed quod habeat tamen terminum extra ipsum agentem ; de ratione autem *esse* ipsius agentis est quod intra ipsum agentem maneat, adeo ut ipsemet Angelicus Doctor tradit, I. q. 8. a. 1. : « *Esse* autem est illud quod est magis intimum cuilibet rei et quod profundius omnibus inest, cum sit formale respectu omnium quae in re sunt. » Et *II. Sent.* dist. 1. q. 1. a. 4. : « *Esse* autem est magis intimum cuilibet rei quam ea per quae *esse* determinatur. » Quod in suo vero sensu declaratur in opusc. *De natura accidentis*, cap. 1. sic : « Hoc *esse* (esse substantiale rei) formalius se habet ad rem constituendam in genere entis quam ipsa *forma* rei quae hoc ipsum *esse* dat, vel *materia* cui datur ; ex quibus compositum resultat, cuius est *esse* ut entis. Intimius ergo ad rem ipsam, quae est ens, inter omnia

est ipsum *esse* eius ; et post ipsum, ipsa *forma* rei, qua res habet ipsum *esse*. Et ultimo, *ipsa materia* quae, licet sit fundamentum in re, inter omnia ab ipso tamen *esse* rei magis distat. Cui propinquissimum est ipsa res, ut cuius est ; cum per rem insit et formae et materiae, nisi in homine, ubi *esse* formae communicatur toti ; et illud *esse* est formae ut a qua est, quia ipsa est principium ipsius *esse ;* et ultimo est ipsius materiae, ut eius in quo recipitur. »

Secundo : **Actio immanens creaturae, ut intelligere et velle, non est eius esse.** — Hic D. Thomas, ut ostendat quod in angelo et in quacumque alia creatura aliud est *esse* et aliud *agere*, per diversam procedit viam ad differentiam inter esse et intelligere adinveniendam ; cum utrumque, tam *esse* quam *intelligere* et *velle*, significetur intra ipsum agens ; ideoque ex hoc capite diversitas inter actum essendi et actum intelligendi in creatura non valet deprehendi. Nota igitur *immanentiae* utrique videtur convenire ; verumtamen *esse* creaturae et eius intelligere diversas ex alio capite exhibent proprietates, videlicet :

a) *Intelligere* etiam creaturae habet infinitatem simpliciter ; minime est determinatum ad unum secundum genus vel secundum speciem, sed se extendit vel se extendere valet tantum quantum se extendit *verum*, quod est eius obiectum ; ac proinde simpliciter se extendit ad *ens*, cum quo verum convertitur. Et idem dicendum de *velle*, cuius obiectum est *bonum* quod, sicut *verum*, convertitur similiter cum *ente*. Actus ergo intelligendi et volendi habent infinitatem simpliciter in sua propria ratione actus sive actionis immanentis ; et quantum est de se, tam intelligere quam velle, quorum utrumque recipit speciem ab obiecto, habent se ad omnia, extendunt se ad omne ens.

b) *Esse* vero creaturae, quantumvis perfectissimae, est semper determinatum ad unum secundum genus et speciem ; clauditur intra terminos naturae cui advenit ; continetur intra mensuram formae a qua participatur ; finitur iuxta capacitatem subiecti in quo recipitur ; non plus se extendit nec se extendere potest ultra nobilitatem substantiae, cuius

est actus et complementum. Actus ergo essendi cuiuslibet creaturae habent finitatem simpliciter, et terminantur ad numerum et mensuram essentiarum seu naturarum in quibus, sicut in potentiis subiectivis, recipiuntur, et quarum sunt proprii actus in linea entis.

c) Dicendum itaque, quod actio angeli non est eius *esse* neque actio alicuius creaturae. *Esse* enim hominis vel angeli vel cuiuslibet creaturae determinatur ad speciem per se et intrinsece, in quantum recipitur in essentia ; *intelligere* vero creaturae rationalis non limitatur intrinsece et per se ad certam speciem rerum.

TERTIO : **Quomodo se habeat essentia angeli ad eius esse et ad eius intelligere.** — 1° Essentia est principium immediatum essendi, sed mediatum seu radicale operandi. 2° Ad *esse* comparatur secundum propriam rationem potentiae, in quantum est talis essentia ; ad *intelligere* dupliciter : *a*) ut principium seu potentia radicalis ; *b*) ut obiectum. Et quatenus est obiectum, essentia concurrit absque media specie ad intellectionem ; non tamen concurrit ut eliciens actum, sed ut forma intellectus in actu respectu sui. Unde essentia angeli, comparata ut talis essentia ad *esse*, specificat *esse* contrahendo illud, non perficiendo ; atque ita est ratio totius *esse* angeli ad modum quo potentia est ratio actus, cuius est receptiva. Sed comparata ad intelligere, induit rationem obiecti, ac perinde rationem universaliorem, nempe veri et *entis ;* et ideo non est ratio totius intelligere, quia angelus non omnia intelligere potest per suam essentiam propria cognitione, ut I. q. 55. a. 1. explicatur.

QUARTO : **Vivere in viventibus est esse ; intelligere est quoddam vivere.** — Attamen ex hoc minime sequitur, quod *intelligere* angeli sit eius *esse*. Eatenus in viventibus *vivere* dicitur *esse*, quatenus sumitur pro actu primo seu substantiali ipsius viventis ; nam *esse* est primus actus substantiae vel naturae viventis. Sed si *vivere* sumatur pro actu secundo, id est, pro operatione vitae, tunc non est *esse* viventis, sed eius *operari*, ut *intelligere*, *velle*, *sentire*. Atque in isto sensu

intelligere est vivere quoddam, et exhibet in ratione sui actus supremum gradum vitalis operationis. Unde nec in homine nec in angelo est idem *esse* et intelligere [1].

III

Nec in angelo nec in aliqua creatura virtus vel potentia operativa est idem quod sua essentia.

§ 1.

Argumenta D. Thomae.

Arg. 1[um]. — « Cum enim potentia dicatur ad actum, oportet quod secundum diversitatem actuum sit diversitas potentiarum. Propter quod dicitur, quod proprius actus respondet propriae potentiae. In omni autem creato *essentia* differt ab eius *esse*, et comparatur ad ipsum sicut potentia ad actum, ut ex supradictis patet I. q. 3. a. 4. Actus autem ad quem comparatur potentia operativa, est operatio. In angelo autem non est idem *intelligere* et *esse*, nec aliqua alia operatio, aut in ipso aut in quocumque alio creato, est idem quod eius *esse*. Unde essentia angeli non est eius potentia intellectiva, nec alicuius creati essentia est eius operativa potentia. » (I. q. 54. a. 3.)

Arg. 2[um]. — « Impossibile est dicere, quod essentia animae sit eius potentia, licet hoc quidam posuerint ; et hoc dupliciter ostenditur quantum ad praesens. *Primo* : quia cum potentia et actus dividant ens et quodlibet genus entis, oportet quod ad idem genus referatur potentia et actus ; et ideo, si actus non est in genere substantiae, potentia quae dicitur ad illum actum, non potest esse in genere substantiae. Operatio autem animae non est in genere substantiae, sed in solo Deo operatio est eius substantia. Unde Dei potentia.

[1] Vide II-II. q. 179. a. 1. ad 1. — *De spirit. creatura*, a. 11. ad 14.

quae est operationis principium, est ipsa Dei essentia ; quod non potest esse verum neque in anima nec in aliqua creatura, ut supra etiam de angelo dictum est, q. 59. a. 2. et q. 54. a. 3. *Secundo :* hoc etiam impossibile apparet in anima. Nam anima secundum suam essentiam est actus. Si ergo ipsa essentia animae esset immediatum operationis principium, semper habens animam, actu haberet opera vitae ; sicut semper habens animam, actu est vivum... Invenitur autem habens animam non semper esse in actu operum vitae... Relinquitur ergo, quod essentia animae non est eius potentia ; nihil enim est in potentia secundum actum, in quantum est actus. » (I. q. 77. a. 1.)

Arg. 3^{um}. — « Necesse est dicere secundum praemissa (q. 54. a. 3. et q. 59. a. 2. et q. 77. a. 1.) quod intellectus sit aliqua potentia animae, et non ipsa animae essentia. Tunc enim solum immediatum principium operationis est ipsa essentia rei operantis, quando ipsa operatio est eius *esse*. Sicut enim potentia se habet ad operationem ut ad suum actum, ita se habet essentia ad *esse*. In solo autem Deo idem est intelligere quod suum *esse*. Unde in solo Deo intellectus est eius essentia ; in omnibus autem aliis creaturis intellectualibus intellectus est quaedam potentia intelligentis. » (I. q. 79. a. 1.)

Arg. 4^{um}. — « Sicut autem ipsum *esse* est actualitas quaedam essentiae, ita *operari* est actualitas operativae potentiae seu virtutis. Secundum enim hoc, utrumque eorum est in actu : essentia quidem secundum *esse*, potentia vero secundum *operari*. Unde cum in nulla creatura *operari* sit suum *esse*, sed hoc sit proprium solius Dei, sequitur quod nullius creaturae operativa potentia sit eius essentia ; sed solius Dei proprium est, ut sua essentia sit sua potentia. » (*De spirit. creat.* a. 11.)

Arg. 5^{um}. — *Quodl.* 10. a. 5. : « In nulla enim substantia creata est idem *esse* et *operatio ;* hoc enim solius Dei est. Essentia autem est essendi principium ; potentia vero, operationis. Ergo cum ab uno naturaliter non sit nisi unum, nulla substantia, nisi divina, est sua potentia. »

§ 2.

Argumentorum declaratio.

PRIMO : **Argumentorum primum fundamentum est doctrina philosophica de actu et potentia.** — *a*) Loquitur enim D. Thomas de potentia et actu, non quidem de *potentia obiectiva*, sed de *potentia subiectiva ;* quoniam expresse loquitur de potentia et actu ut principia sunt eius quod est in genere ; et ut Caietanus observat in suis *Commentariis* in I. q. 54. a. 3. : « Constat autem, quod *potentia obiectiva* principium non est rei, imo est *res ipsa, ut possibilis est esse.* »

b) Potentia autem subiectiva et actus sunt principia entis quod est in genere ; et in quolibet genere est dare propriam potentiam et proprium actum, quae sunt principia illius generis. Inde D. Thomas : *Proprius actus respondet propriae potentiae ; et secundum diversitatem actuum est diversitas potentiarum ; quia potentia dicitur ad actum ; et ad idem genus oportet quod referatur potentia et actus.*

c) Ideo, si *potentia* est in genere seu praedicamento substantiae, ad idem praedicamentum seu genus reducitur *actus eius*, et vice versa. Si vero actus est in genere accidentis, ad idem genus oportet quod referatur potentia propria talis actus.

d) Inter potentiam et actum, quae sunt principia entis, adest perinde quaedam proportio atque ordo unius ad aliud ; sed huiusmodi ordo est relatio transcendentalis, consistens in ipsa commensuratione seu proportione eius quod se habet ut potentia ad id quod se habet ut actus, et vice versa ; et involvitur in ipsa principiorum quidditate quae, cum sit formalis ratio entis incompleti, exigit et appellat suum proprium ac correlativum principium, ut ex utroque resultet ens complete constitutum ; talis est ordo vigens inter *materiam* et *formam*, *essentiam* et *esse*, potentiam operativam et operationem, et generatim inter omnem potentiam et actum.

SECUNDO : **Argumentorum alterum fundamentum est**

doctrina philosophica de actu et potentia in linea entis, videlicet de esse et essentia. — Haec quidem duo, nempe essentia et *esse*, habent se ut actum et potentiam ; sed, Caietanus I. q. 54. a. 1. : « Quod aliqua duo habere se ut actum et potentiam, contingit dupliciter, sc. formaliter et virtualiter. *Formaliter* quidem, quando alterum ita invenitur in re alteri coniunctum, quod actuat secundum rem reliquum. *Virtualiter* autem, quando aliqua duo identice quidem sunt unum ; habent tamen tales rationes formales, quae si coniungerentur, abstrahendo ab eo ex quo habent quod sint unum identice, alterum reliquum secundum rem actuaret. » Nunc quaeritur : Rationes formales essentiae et *esse* habentne ex seipsis diversitatem realem ? Similiter : Rationes formales virtutis operativae et operationis habentne ex seipsis diversitatem realem ? Ex seipsis nec rationes essentiae et *esse* nec rationes virtutis et operationis diversitatem habent realem ; alioquin in Deo distinguerentur realiter. Neque ex seipsis identitatem realem habent ; alioquin in rebus creatis essentia et *esse* identificarentur et essent unum identice, sicut in ipso Deo. Quapropter tamquam totius argumentationis fundamentum ad concludendum quod nec in angelo nec in aliqua creatura potentia operativa est idem quod sua essentia, praesupponere oportet, quod nec in angelo nec in creatura aliqua essentia est idem quod suum *esse*.

Tertio : **Argumentorum igitur angulare fundamentum est realis compositio essentiae et esse in omnibus rebus creatis.** — Non enim sufficit *essentiam* et *esse* habere se ut potentiam et actum *virtualiter ;* nam hoc modo essentia et *esse* identice sunt unum, et *esse* non actuaret *essentiam* secundum rem. Consequenter nec secundum rem actualiter operatio virtutem operativam actuaret, quia virtus et operatio eadem res sunt ibi ubi sunt res eadem *esse* et essentia ; sed ad identitatem essentiae et *esse* consequitur identitas operationis et virtutis operativae, ac per hoc operatio virtutem secundum rem perficere nequit. Opus est itaque, ut haec duo, essentia sc. et *esse*, habeant se ut actum et potentiam *formaliter*, et quod *esse* ita inveniatur in re coniunctum *essentiae*, quod actuet

secundum rem ipsam essentiam rei ; atque hoc modo etiam se habebunt ut actum et potentiam virtus et operatio ; et operatio proinde virtutem secundum rem complebit ; et virtus operativa per operationem secundum rem perficietur. Ad identitatem essentiae et *esse* consequitur necessario identitas potentiae operativae et operationis ; e converso, ad realem distinctionem essentiae et *esse* realis quoque operativae potentiae et operationis consequitur ex necessitate distinctio. Quapropter D. Thomas ait : « Sicut enim potentia se habet ad operationem ut ad suum actum, ita se habet essentia ad *esse*. » (I. q. 79. a. 1.) Et iterum : « Sicut autem *esse* est actualitas quaedam essentiae, ita operari est actualitas operativae potentiae seu virtutis. » Et *Comp. Theol.* cap. 30. : « Eodem modo comparatur intellectus ad intelligere, sicut essentia ad *esse*. »

QUARTO : **In quonam consistat vis rationis Sancti Thomae.** — Ad haec Caietanus, *Comment.* in I. q. 54. a. 1. : « Vis quidem rationis in hoc consistit : Quae se habent ut proprius actus et propria potentia, non sunt idem nisi in actu puro ; virtus et operatio se habent ut proprius actus et propria potentia : Ergo. *Maior* fundatur super hoc : *Quia talia in quocumque inveniuntur cum ratione actus et potentiae, inter se distinguuntur realiter*. Ergo, a destructione consequentis, si non distinguuntur realiter, non salvantur coniuncta ut proprius actus et propria potentia. Ergo aut utrumque in illo habebit rationem *potentiae*, quod est impossibile ; aut utrumque rationem *actus*. Vel :

Ergo illud, in quo talia identificantur absque remansione actus et potentiae, aut est *actus purus*, et habetur intentum ; aut est *potentia pura*. Sola enim haec duo, per se loquendo, sunt propriae rationes et causae excludentes *permixtionem* actus et potentiae. Sed impossibile est quod sit *pura potentia ;* quia talis nec formaliter nec virtualiter continet actum ; immo est *imperfectissimum* omnium entium. Ergo est *actus purus*, qui eminenter continet in se *rationem* actus et *rationem* potentiae ; et ex eo quod *actus*, actualitatem habet ; ex eo vero quod *purus*, imperfectionem omnem potentialitatis excludit. »

IV

Ordo essendi et ordo operandi.

PRIMO : **Actus et potentia in utroque ordine.** — *a*) Actus et potentia in linea entis est essentia et *esse*, vel substantia et *esse* quod est actus et complementum substantiae existentis ; actus vero et potentia in linea agendi est virtus seu potentia operativa, et ipsa operatio quae est operativae potentiae ultima perfectio et corona.

b) Tales rationes, nempe essentiae et *esse*, virtutis et operationis, ex seipsis neque vindicant sibi identitatem neque distinctionem realem ; aliter in quocumque invenirentur, vel semper distinguerentur realiter, vel semper essent quid unum et idem re. Tamen, ut Caietanus observat, *ex seipsis aliquam inter se vindicant per se coniunctionem ;* et ex conditionibus concomitantibus eas, quantum est ex parte ipsarum, si solae invenirentur, coniunctio illa realem distinctionem exigeret extremorum. Et tales sunt rationes virtutis et operationis. Nam nec ex seipsis identitatem realem habent ; alioquin in omnibus essent idem realiter. Nec ex seipsis diversitatem habent realem ; alioquin in Deo distinguerentur realiter. Nec ex seipsis abstrahunt ab omni coniunctione inter se ; imo et ex seipsis habent coniunctionem quandam per se, quasi ut *propria perfectio* et *id* cuius est illa perfectio. Et si rationes istae solae considerentur quantum ex earum meritis pendet, coniunctio ista non est aliter per se quam per *naturam actus* et *potentiae ;* nullo enim alio modo, etiamsi fingendi daretur licentia, imaginari potest talium per se coniunctio. Et ex hoc autem, quod coniungerentur per se ut actus et potentia, sequitur ulterius, quod distinguerentur realiter ; si enim essent realiter idem, iam essent coniuncta identice ; et sic neutrum esset actus alterius. — Haec vere ac profunde Caietanus, In I. q. 54. a. 1.

c) Tales igitur rationes formales *essentiae* et *esse*, *virtutis* et *operationis*, ex seipsis habent coniunctionem quandam

per se, quasi ut propria perfectio et id cuius est illa perfectio. Quomodo autem coniunguntur inter se propria perfectio et id cuius est illa perfectio propria ? Dupliciter potest huiuscemodi coniunctio verificari : 1° Uno modo, quia sunt realiter idem, ac perinde sunt coniuncta identice ; 2° alio modo, quia coniunguntur quemadmodum coniunguntur duo quorum unum habet naturam potentiae et alterum naturam actus ; ac perinde non sunt realiter idem nec sunt identice coniuncta.

Secundo : **Essentia et esse in Deo, qui est Ens per essentiam.** — Essentia et *esse* in Deo non distinguuntur realiter ; non coniunguntur quasi *essentia* haberet naturam potentiae et *esse* naturam actus ; sed sunt coniuncta identice, eo ipso quod sunt realiter idem, et substantia Dei est Esse. Consequenter : *a*) In Deo, cum *essentia* et *esse* identice sint unum, nec alterum reliquum secundum rem actuat, nec unum per alterum secundum rem perficitur ; et sic neutrum est actus alterius. In Deo *essentia* et *esse* minime inveniuntur cum ratione actus et potentiae ; Deus est sua essentia et Deus est suum *esse ;* et *esse* et essentia sunt unum et idem ; et ideo Deus est Actus Purus ; quia ratio identitatis actus et potentiae propriae illius actus non est nisi *puritas* actus. Et sic Actus Purus est sua actualitas, atque eminenter praehabet in sua ipsa puritate actus quidquid res creata habere valet per suum proprium actum et per suam propriam potentiam.

b) In Deo potentia operativa et operatio etiam sunt realiter idem ; et cum virtus et operatio eadem res sint, per hoc operatio virtutem secundum rem perficere nequit, sicut nec *esse* essentiam nequit secundum rem perficere ; quia impossibile est, ut idem sit actus suiipsius. Unde sicut solus Deus est suum *esse*, ita solus Deus est suum agere.

c) Sed, quia intelligimus Deum per creaturas, ideo ea quae in Deo sunt unum, ut duo tamen intelligimus ; et distinguimus, cum fundamento in re, ex plenitudine ipsa divini Esse eminenter continentis quidquid una res creata habet per proprium actum et propriam potentiam ; distinguimus, sed sola distinctione rationis, inter essentiam Dei et eius *esse*, atque inter potentiam operativam et eius operatio-

nem. Unde D. Thomas, *De Pot.* q. 7. a. 2. ad 7. : « Intellectus autem noster hoc modo intelligit *esse*, quo modo invenitur in rebus inferioribus, a quibus scientiam capit, in quibus *esse* non est subsistens, sed inhaerens. Ratio autem invenit, quod aliquod *esse* subsistens sit ; et ideo, licet hoc quod dicunt *esse*, significetur per modum concretionis, tamen intellectus, attribuens *esse* Deo, transcendit modum significandi, attribuens Deo id quod significatur, non autem modum significandi. » Et *De Verit.* q. 10. a. 12. ad 9. : « Licet in Deo distinguantur *quod est* et *esse*, ratione, non tamen sequitur quod possit cogitari *non esse*. » Et I. q. 25. a. 1. ad 3. : « Potentia in rebus creatis non solum est principium actionis, sed etiam effectus. Sic igitur in Deo salvatur ratio potentiae quantum ad hoc quod est principium effectus ; non autem quantum ad hoc quod est principium actionis, quae est divina essentia. Nisi forte secundum modum intelligendi, prout divina essentia, quae in se simpliciter praehabet quidquid perfectionis est in rebus creatis, potest intelligi et sub ratione *actionis* et sub ratione *potentiae ;* sicut etiam intelligitur et sub ratione *suppositi habentis naturam* et sub ratione *naturae*. »

d) Verumtamen, Deus est Actus Purus in ordine essendi et in ordine operandi ; et sicut in solo Deo idem est essentia et *esse*, sic in Deo solo idem est virtus et operatio ; et sicut solus Deus est sua essentia et suum *esse*, sic solus Deus est suum intelligere et suum velle ; et Dei *esse*, intelligere et velle est ipsamet Dei substantia [1].

Tertio : **Essentia et esse in omni ente creato, quod est ens per participationem.** — Essentia et *esse* in omni ente creato non sunt realiter idem ; alioquin ens creatum iam non esset creatum, quia iam non esset ens per participationem ; nam ubi essentia et *esse* sunt coniuncta identice, neutrum est actus alterius, cum idem non sit actus suiipsius ; et aliunde *esse* absque potentia reali subiectiva, in qua recipiatur et a qua realiter differat, est esse subsistens sine subiecto, actus purus. Consequenter in omni ente creato : *a*) Essentia et *esse*

[1] I. q. 3. a. 4. ; q. 14. a. 4. ; q. 19. a. 1. ; q. 54. a. 1., 2. et 3.

habent coniunctionem quandam per se, quasi ut propria perfectio et id cuius est illa perfectio ; et coniunctio ista, ut scribit Caietanus, In I. q. 54. a. 1. « non est aliter per se quam per *naturam actus* et *potentiae ;* nullo enim alio modo, etiamsi fingendi daretur licentia, imaginari potest talium per se coniunctio. Ex hoc autem, quod coniungerentur per se ut actus et potentia, sequitur ulterius quod distinguerentur realiter. »

b) Ex hoc autem, quod essentia et *esse* constituunt realem compositionem, essentia, utpote habens formalem rationem potentiae, perficitur et actuatur per *esse* quod habet formalem rationem actus ; et *esse* actuat secundum rem ac perficit essentiam ; atque ex essentia et *esse* componitur omne ens per participationem ; ac perinde :

c) Omne ens, in quo est realis compositio essentiae et *esse*, « indiget aliquo componente ; si enim compositio est, ex pluribus est. Quae autem secundum se sunt plura, in unum non conveniunt nisi ab aliquo componente uniantur... Componens autem est causa efficiens compositi. » Igitur omne ens, ex *esse* et essentia compositum, indiget fieri ut sit ; indiget causari ut perveniat ad *esse ;* indiget creari ut *esse* habeat ac participet[1].

d) Et quoniam ad realem compositionem essentiae et *esse* in linea entis necessario consequitur realis quoque compositio potentiae operativae et operationis in ordine agendi, idcirco, sicut in omni ente creato differt essentia rei et *esse* eius, ita pariter differt virtus operativa et operatio ; et impossibile est : 1° quod actio angeli vel cuiuscumque alterius creaturae sit eius *substantia ;* 2° quod actio angeli vel cuiuscumque creaturae sit eius *esse* ; 3° quod in angelo vel in aliqua creatura virtus vel potentia operativa sit idem quod sua essentia.

[1] *I. C. Gent.* cap. 18. — *Comp. Theol.* cap. 8. et 9.

CAPUT QUINTUM

Ex reali compositione esse et essentiae in omnibus rebus creatis procedit D. Thomas ad ostendendam necessitatem quam cunctae res Universi habent ut conserventur in esse a Deo.

I

Argumenta D. Thomae.

Primo : I. q. 104. a. 1. : « Necesse est dicere, et secundum fidem et secundum rationem, quod creaturae conservantur in *esse* a Deo... Dependet enim *esse* cuiuslibet creaturae a Deo, ita quod nec ad momentum subsistere possent, sed in nihilum redigerentur nisi operatione divinae virtutis conservarentur in *esse*. Et hoc sic perspici potest : Omnis enim effectus dependet a sua causa, secundum quod est causa eius... Sicut igitur *fieri* rei non potest remanere cessante actione agentis, quod est causa effectus secundum fieri, ita nec *esse* rei potest remanere cessante actione agentis, quod est causa effectus non solum secundum fieri, sed etiam secundum *esse*. Et haec est ratio quare aqua calefacta retinet calorem cessante actione ignis ; non autem remanet aër illuminatus, nec ad momentum, cessante actione solis ; quia sc. materia aquae susceptiva est caloris ignis secundum eandem rationem qua est in igne. Unde si perfecte perducatur ad formam ignis, retinebit calorem semper ; si autem imperfecte participet aliquid de forma ignis secundum quandam inchoationem, calor non semper remanebit, sed ad tempus, propter debilem participationem principii caloris. Aër autem nullo modo natus est recipere lumen secundum eandem

rationem secundum quam est in sole, ut sc. recipiat formam solis, quae est principium luminis ; et ideo, quia non habet radicem in aëre, statim cessat lumen cessante actione solis. Sic autem se habet omnis creatura ad Deum, sicut aër ad solem illuminantem. Sicut enim sol est lucens per suam naturam, aër autem fit luminosus participando lumen a sole, non tamen participando naturam solis : ita solus Deus est *ens per essentiam suam*, quia eius *essentia* est suum *esse;* omnis autem creatura est *ens* participative, non quod sua *essentia* sit eius *esse*. »

Secundo : *III. C. Gent.* cap. 65. — *a*) « Licet alicui existenti accidat motus, tamen motus est praeter *esse* rei. Nullum autem corporeum est causa alicuius rei nisi in quantum movetur ; quia nullum corpus agit nisi per motum, ut Aristoteles probat *I. Physic.* Nullum igitur corpus est causa *esse* alicuius rei in quantum est *esse*, sed est causa eius quod est moveri ad *esse*, quod est *fieri* rei. *Esse* autem cuiuslibet rei est *esse* participatum, cum non sit res aliqua, praeter Deum, suum *esse*, ut supra probatum est ; et sic oportet, quod ipse Deus, qui est suum *esse*, sit primo et per se causa omnis *esse*. Sic igitur se habet ad *esse* rerum operatio divina, sicut motio corporis moventis ad *fieri* et *moveri* rerum factarum vel motarum. Impossibile autem est, quod fieri vel moveri alicuius rei maneat cessante motione moventis. Impossibile est igitur, quod *esse* alicuius rei maneat nisi per operationem divinam. »

b) « Item : Impressio agentis non remanet in effectu, cessante actione agentis, nisi vertatur in naturam effectus ; formae enim generatorum et proprietates ipsorum remanent in eis post generationem, quia efficiuntur eis naturales ; et similiter habitus sunt difficile mobiles, quia versantur in naturam ; dispositiones autem et passiones, sive corporales sive animales, manent aliquantulum post actionem agentis, sed non semper, quia insunt ut *in via* ad naturam. Quod autem pertinet ad naturam superioris generis, nullo modo post actionem agentis manet ; sicut lumen non manet in diaphano, recedente illuminante. *Esse* autem non est natura

vel essentia alicuius rei creatae, sed solius Dei, ut ostensum est. Nulla igitur res remanere potest in *esse*, cessante operatione divina. » (Ibid.)

TERTIO : *De Pot.* q. 5. a. 1. : « Absque omni dubio concedendum est, quod res conservantur in *esse* a Deo, et quod in momento in nihilum redigerentur, cum a Deo desererentur. Cuius ratio hinc accipi potest : Effectum enim a sua causa dependere oportet. Hoc enim est de ratione effectus et causae, quod quidem in causis formalibus et materialibus manifeste apparet. Quocumque enim materiali vel formali principio subtracto, res statim esse desinit, cum huiusmodi principia intrent essentiam rei. Idem autem iudicium oportet esse de causis efficientibus ac de formalibus et materialibus... Sicut igitur cessante actione causae efficientis, quae agit per motum, in ipso instanti cessat *fieri* rerum generatarum, ita cessante actione agentis incorporei, cessat ipsum *esse* rerum ab eo creatarum. Hoc autem agens incorporeum, a quo omnia creantur, et corporalia et incorporalia, Deus est, a quo non solum sunt formae rerum, sed etiam materiae. » Et ad 1. : « Creaturae Dei sunt perfectae in sua natura et in suo ordine ; sed inter alia, quae ad earum perfectionem requiruntur, hoc etiam est, quod a Deo contineantur in *esse*... » Et ad 4. : « Huiusmodi inferiora agentia sunt causa rerum quantum ad earum *fieri*, non quantum ad *esse* rerum, per se loquendo. Deus autem per se est causa essendi. »

II

Argumentorum declaratio.

PRIMO : **Omnium argumentorum principia fundamentalia ad veritatem conservationis rerum ostendendam eadem omnino sunt ac illa quibus veritas creationis demonstratur.** — Unum quidem philosophicum fundamentale principium sic

se habet : *Solus Deus est ens per suam essentiam ; omnia vero alia sunt entia per participationem.* Alterum autem sic se habet : *Solius Dei essentia est suum esse ; in omnibus autem aliis differt essentia rei et esse eius.* Atque haec duo totius argumentationis fundamenta sic inter se necessario connectuntur, ut primum manifestetur ex altero, in quod resolvitur tamquam in illius demonstrativam rationem. Quare solus Deus est ens per suam essentiam ? Quia solius Dei essentia est suum *esse*. Quare autem omnia alia sunt entia per participationem ? Quia in omnibus aliis differt essentia rei et *esse* eius. Unde dicere quod : *Solus Deus est ens per essentiam*, idem est ac dicere quod : *in solo Deo essentia et esse sunt unum et idem.* Dicere vero quod : *omnia alia sunt entia per participationem*, idem est ac dicere quod : *in omnibus aliis rebus essentia et esse realiter distinguuntur.* Quod expresse in terminis traditur a D. Thoma : *a*) I. q. 61. a. 1. : « Solus enim Deus est suum *esse ;* in omnibus autem aliis differt essentia rei et *esse* eius, ut ex superioribus patet (q. 3. a. 4.). Et ex hoc *manifestum est*, quod solus est ens per suam essentiam ; omnia vero alia entia per participationem. » *b*) I. q. 104. a. 1. : « Ita solus Deus est ens per essentiam suam, quia eius essentia est suum *esse ;* omnis autem creatura est ens participative, non quod sua essentia sit eius *esse*. » *c*) *Quodl.* 3. a. 20. : « Omnis enim substantia creata est composita ex potentia et actu ; manifestum est enim, quod solus Deus est suum *esse*, quasi essentialiter existens, in quantum sc. suum *esse* est eius *substantia*, quod de nullo alio dici potest. *Esse* enim subsistens non potest esse nisi unum, sicut nec albedo subsistens non potest esse nisi una. Oportet ergo, quod quaelibet alia res sit ens participative, ita quod aliud sit in eo *substantia* participans *esse*, et aliud ipsum *esse* participatum. »

Secundo : **Quia ergo creaturae realiter componuntur ex substantia vel natura et esse, sicut indigent causari a Deo ut sint, ita pariter indigent ut a Deo conserventur in esse.** — D. Thomas, I. q. 44. a. 1. et q. 61. a. 1. et q. 65. a. 1. ex supra positis principiis procedens, concludit ad necessitatem dicendi et angelos et omne id, quod praeter Deum est, a Deo factum

esse, et factum esse secundum totam suam entitatem ; et consequenter omnia esse a Deo ex nihilo creata. Necesse est ergo Unum essendi Principium, a quo *esse* habeant quaecumque sunt quocumque modo, sive sint invisibilia et spiritualia, sive sint visibilia et corporalia. Ex iisdem quoque principiis procedens, I. q. 104. a. 1. concludit ad necessitatem dicendi, quod omnia quaecumque sunt quocumque modo, sive sint invisibilia et spiritualia, sive sint visibilia et corporalia, indigent prorsus omnino ut continuo conserventur in *esse* ab Uno essendi Principio, a quo *esse* receperunt, quod est Deus. Alioquin nec Deus esset Ens per essentiam, nec omnia alia a Deo essent entia per participationem. De ratione namque entis per participationem est *fieri* et recipere *esse* ab Ente per essentiam ; nam nisi esset factum, non *esset participative ;* et si non esset factum ab Ente per essentiam, non esset *ens ;* nec ipsum Ens per essentiam iam per essentiam esset, cum supponeretur non esse fons totius *esse* et causa essendi omnibus. Et similiter de ratione entis per participationem est, quod continuo et absque interruptione recipiat *influxum essendi* ab Ente per essentiam, a quo participat *esse ;* aliter eius *esse* quod participat, iam non esset *esse participatum*, sed *Esse subsistens ;* iam non esset *esse adhaerens* subiecto, sed *Esse per se stans :* quod est proprium solius Dei, cuius substantia est suum *esse*.

Tertio : **Conservatio rerum in esse nihil aliud est nisi ipsamet creatio continuata.** — Creatio enim est supremus modus fiendi, et non est mutatio vel motus nisi secundum nostrum modum intelligendi tantum ; et ut D. Thomas observat in *De natura angelor.* cap. 7. : « In his enim, quae fiunt per mutationem vel motum, subiectum factioni praesupponitur ; sed in supremo modo fiendi, qui est per essendi influxum, nullum subiectum factioni praesupponitur ; quia hoc ipsum est *subiectum fieri* secundum hunc factionis modum, quod est *subiectum esse participare* per influentiam superioris entis. » Et I. q. 44. a. 2. ad 3. : « Licet enim omne creatum sit in actu, non tamen est actus purus. Unde oportet, quod etiam illud, quod se habet ex *parte potentiae*, sit creatum, si

totum quod ad *esse* ipsius pertinet, creatum est. » Et I. q. 45. a. 4. ad 2. : « Creatio non dicit constitutionem rei compositae ex principiis praeexistentibus ; sed compositum sic dicitur creari, quod simul cum omnibus suis principiis in *esse* producitur. » Et *De Pot.* q. 3. a. 1. ad 17. : « Deus, simul dans *esse*, producit *id* quod *esse* recipit ; et sic non oportet, quod agat ex aliquo praeexistenti. » Et ibidem, a. 5. ad 2. : « Ex hoc ipso, quod *quidditati esse* attribuitur, non solum *esse*, sed *ipsa quidditas* creari dicitur ; quia antequam *esse* habeat, nihil est, nisi forte in intellectu creantis, ubi non est creatura, sed creatrix essentia. » Et *De Verit.* q. 21. a. 5. ad 5. : « Creatura non solum est a Deo secundum *essentiam* suam, sed secundum *esse* suum, in quo praecipue consistit ratio bonitatis substantialis ; et secundum *perfectiones superadditas*, in quibus consistit bonitas absoluta ; et haec non sunt *essentia* rei. Et praeterea, ipse respectus, quo essentia rei refertur ad Deum ut ad principium, est aliud quam essentia. »

En igitur, quod est creatio : **Constitutio rei compositae saltem ex duobus,** videlicet :

a) Ex *subiecto* quod fit quatenus participat *esse*, et ex ipso *esse* participato ;

b) Ex eo quod se habet ex parte potentiae quae est substantia rei, et ex *esse* quod est actus substantiae ;

c) Ex eo quod recipit *esse*, et ex *esse* quod in potentia subiectiva recipitur ;

d) Ex quidditate seu essentia rei, et ex *esse* quod quidditati attribuitur et essentiae superadditur et est aliud quam essentia. Exinde facile iam potest capi illa compositio, quae est de ratione causati, de qua D. Thomas, I. q. 3. a. 7. ad 1. : « Est autem hoc de *ratione causati*, quod sit aliquo modo compositum, quia ad minus *esse* eius est aliud quam *quod quid est*. » Et ibid. q. 7. a. 2. ad 1. : « Hoc est contra *rationem facti*, quod *essentia* rei sit ipsum *esse* eius ; quia *esse subsistens* non est *esse creatum*. »

En igitur, quare cunctae res creatae indigent ut conserventur a Deo in *esse* :

a) Quia *esse* creatum non est *esse subsistens*, sed in subiecto *receptum*.

b) Quia *esse* creatum non est ipsa *substantia* rei, sed *adhaerens* substantiae.

c) Quia *essentia* rei creatae non est ipsum *esse* eius, sed participans *esse*.

d) Quia *quidditas*, antequam *esse* habeat, nihil est ; et *esse*, cum sit aliud quam *quod quid est rei*, est *esse* participatum a re per suam quidditatem.

e) Quia *id quod fit et existit*, non est sola essentia nec solum *esse*, sed ex utroque compositum, tamquam ex actu et potentia ; et huiusmodi compositio duorum, quibus res composita constituitur *ens*, eodem prorsus modo pendet a Deo Creatore in primo instanti quam in subsequentibus, in *fieri* quam in *facto esse;* et « Deus non alia operatione producit res in *esse* et eas in *esse* conservat » ; et « operatio Dei, quae est per se causa quod res sit, non est alia secundum quod facit principium essendi et essendi continuationem. »

Conservatio itaque rerum omnium in *esse* est ipsamet rerum continuata creatio ; sicut etiam conservatio luminis in aëre est per continuatum influxum a sole.

III

Esse rerum creatarum non habet radicem in ipsis rerum naturis.

Primo : **Exempla, quibus D. Thomas hanc quaestionem illustrat.** — Angelicus Doctor, quotiescumque hanc profundam quaestionem de *esse* et essentia in Deo et de *esse* et essentia in creaturis declarare conatur, saepe saepius appellat ad lucem prout est in sole et prout est in aëre ; et etiam ad lucem secundum se, si daretur subsistens in sua propria natura, et ad lucem prout inhaeret substantiis corporeis. Sic :

a) I. q. 8. a. 1. : « Cum autem Deus sit ipsum *esse* per suam essentiam, oportet quod *esse* creatum sit proprius effectus eius, sicut ignire est proprius effectus ipsius ignis.

Hunc autem effectum causat Deus in rebus non solum quando primo *esse* incipiunt, sed quamdiu in *esse* conservantur, sicut lumen causatur in aëre a sole quamdiu aër illuminatus manet. Quamdiu igitur res habet *esse*, tamdiu oportet quod Deus adsit ei secundum modum quo *esse* habet. »

b) I. q. 104. a. 1. : « Aër autem nullo modo natus est recipere lumen secundum eandem rationem secundum quam est in sole, ut sc. recipiat formam solis, quae est principium luminis ; et ideo, quia non habet radicem in aëre, statim cessat lumen, cessante actione solis. Sic autem se habet omnis creatura ad Deum, sicut aër ad solem illuminantem. Sicut enim sol est lucens per suam naturam, aër autem fit luminosus participando lumen a sole, non tamen participando naturam solis : ita solus Deus est ens per suam essentiam, quia eius essentia est suum *esse;* omnis autem creatura est ens participative, non quod sua essentia sit eius *esse*. »

c) *De Pot.* q. 5. a. 1. ad 6. : « Non enim lumen est in aëre sicut quaedam forma naturalis perfecta, prout est in corpore lucido, sed magis per modum intentionis. Unde, sicut similitudo hominis non manet in speculo nisi quamdiu est oppositum homini, ita nec lumen in aëre nisi apud praesentiam corporis lucidi ; huiusmodi enim intentiones dependent a formis naturalibus corporum per se, et non solum per accidens ; et ideo *esse* eorum non manet cessante actione agentium. Huiusmodi ergo propter imperfectionem sui *esse* dicuntur *esse in fieri ;* sed creaturae perfectae non dicuntur *esse in fieri* propter sui *esse* imperfectionem, quamvis actio Dei, earum factoris, indeficienter permaneat. »

d) *I. Tim.* cap. 6. lect. 3. : « Lux in sensibilibus est principium videndi ; unde illud quo aliquid cognoscitur quocumque modo, dicitur *lux*. Unumquodque autem cognoscitur per suam formam et secundum quod est actu ; unde quantum habet de forma et actu, tantum habet de luce. Res ergo quae sunt actus quidem, sed non purus, *lucentia* sunt, sed non *lux*. Sed divina essentia, quae est actus purus, est ipsa lux... In Deo autem non est aliud *esse* et quidditas eius. »

e) *Coloss.* cap. 1. lect. 4. : « Omnia in ipso constant, id est, conservantur. Sic enim se habet Deus ad res, sicut sol

ad lunam, quo recedente deficit lumen lunae. Et sic, si Deus subtraheret virtutem suam a nobis, in momento deficerent omnia. »

SECUNDO : **Esse in Deo est sicut lumen in sole.** — Quia sicut sol est lucens per suam naturam, ita Deus est ens per suam essentiam. Natura namque Dei est ipsa natura essendi ; quia *esse* in Deo non advenit alii naturae seu quidditati, quae sit aliud ab actu essendi, sed est divina essentia ; quapropter divina essentia, quae est actus purus, vi propriae suae naturae lucet et splendet ; est ipsa Lux. Et cum in Deo non sit aliud *esse* et aliud quidditas eius, *esse* Dei est ipsamet divina substantia ; ideoque *esse* in Deo est *Esse Subsistens ;* et ex hoc ipso per suam purissimam bonitatem individuatur, quia sc. subsistens est, et *esse* subsistens non potest esse nisi Unum ; et ex hoc ipso est infinitum simpliciter, quia omnes formae et omnes perfectiones et omnes actus continentur eminenter in Esse Subsistente. Esse Subsistens est Intelligere Subsistens et Velle Subsistens. In Ente per essentiam omnes perfectiones sunt ipsamet substantia Entis.

TERTIO : **Esse in creaturis est sicut lumen in aëre.** — Quia, sicut aër fit luminosus participando lumen a sole, non tamen recipiendo ipsam naturam solis, ita omnis creatura fit *ens*, participando *esse*, quod non est natura vel essentia alicuius rei creatae, sed solius Dei. Deus alio modo se habet ad *esse* quam creatura ; nam ipse est suum *esse*, quod nulli creaturae competit ; *esse* in Deo non advenit alii naturae, sed est ipsa natura seu essentia divina, quae est natura essendi ; in creaturis vero *esse* advenit alii naturae quae non est suum *esse*, sed participans *esse*. Quapropter res creatae sunt quidem actus, sed non purus ; lucentia sunt, sed non lux. Non enim Deus eundem modum essendi rebus indidit quo ipse existit. Deus necesse est esse, quia Dei essentia est ipsum Esse Subsistens ; in creaturis autem est ipsum *esse* tamquam actus, et substantia ipsius rei creatae habens *esse* tamquam rei potentia receptiva huius actus quod est *esse*. Unde in creaturis *esse* est *accidens*, non quasi per accidens

se habens, sed quasi actualitas cuiuslibet substantiae ; *esse* est accidens, quia nec est essentia substantiae creatae nec pars essentiae, sed actus inhaerens substantiis creatis. Atque ita *esse* in creatis, cum non sit subsistens, sed insit substantiis creatis ut quidam actus earum, multiplicatur ac diversificatur secundum *recipientia ;* et specificatur per formam cuius est actus ; et individuatur per naturam singularem cui advenit et in qua recipitur sicut in sua propria subiectiva potentia ; sicut lumen in aëre ; sicut similitudo Divini Esse in quodam determinato speculo ; sicut quaedam participatio *naturae essendi* in natura quae est aliud ab *esse* et non est nisi substantia *esse* participans, seu quidditas cui debetur *esse* non in alio. Quod D. Thomas asserit, I. q. 45. a. 5. ad 1. : « Sicut hic homo participat humanam naturam, ita quodcumque ens creatum participat, ut ita dixerim, *naturam essendi ;* quia solus Deus est suum *esse*, ut supra dictum est (q. 3. a. 4.). » Et *Quodl.* 2. a. 3. : « Si ergo in angelo est compositio ex essentia et *esse*, non tamen est compositio sicut ex partibus substantiae, sed sicut ex substantia et eo quod adhaeret substantiae. » Et *Quodl.* 12. a. 5. : « Et sic dico, quod *esse* substantiale rei non est accidens, sed actualitas cuiuslibet formae existentis, sive sine materia sive cum materia... Dico quod *accidens* dicitur large omne quod *non est pars essentiae ;* et sic est *esse* in rebus creatis, quia in solo Deo *esse* est eius *essentia.* » Et *De Pot.* q. 5. a. 4. ad 3. : « *Esse* non dicitur accidens quod est in genere accidentis, si loquamur de *esse* substantiae ; est enim actus essentiae ; sed per quandam similitudinem, quia non est pars essentiae sicut nec accidens. »

Quarto : **Sic autem se habet omnis creatura ad Deum, sicut aër ad solem illuminantem.** — Per istam proportionem Dei ad solem, et creaturae ad aërem illuminatum, ostendit D. Thomas necessitatem quam creaturae habent ut constanter conserventur a Deo in *esse*. Etenim sic se habet *essentia* cuiuslibet rei creatae ad *esse* suum, sicut natura vel essentia aëris illuminati ad lumen quo illuminatur ; nec lumen includitur perfecte in natura diaphana aëris, nec *esse* in essentia alicuius creaturae ; et quantumvis aër habeat formam dia-

phaneitatis, non tamen lucebit nisi recipiat claritatem per influxum solis ; simili modo, quantumvis naturae vel formae rerum nobilissimae sint, non tamen de se habent *esse* nisi per influxum Primi Principii, cuius essentia est ipsum Esse subsistens. Omnis natura vel forma rei creatae est ad *esse*, sicut diaphanum ad lucem ; omne diaphanum quodammodo iam habet in se aliquid de natura lucis, ut dispositio subiectiva eiusdem, sed tamen non includit in se ipsum actum lucendi, et indiget illuminari ut clarescat ; pariter omnis natura vel forma rei creatae iam de se aliquid est, ac perinde possidet aliquid de natura entitatis, ut potentia essendi, ut subiectum recipiens et participans *esse*, sed tamen non includit in se ipsum actum essendi, ipsum *esse* quod indiget recipere ac participare ut existat. Unde D. Thomas, *De Verit.* q. 10. a. 12. : « Hoc autem quod est *esse*, in nullius creaturae *ratione* perfecte includitur ; cuiuslibet enim creaturae *esse* est aliud ab eius *quidditate ;* unde non potest dici de aliqua creatura quod eam *esse* sit per se notum et secundum se. Sed in Deo *esse* suum includitur in eius quidditatis ratione ; quia in Deo idem est *quid est* et *esse*. » Et *Quodl.* 12. a. 5. : « Primus autem actus est *esse* subsistens per se ; unde completionem unumquodque recipit per hoc quod participat *esse ;* unde *esse* est complementum omnis *formae*, quia per hoc completur quod habet *esse ;* et habet *esse*, cum est actu ; et sic nulla forma est nisi per *esse*. »

Consequenter, sicut lumen non habet radicem in aëre, et ideo statim cessat cessante actione solis, ita *esse* non habet radicem in essentiis vel naturis rerum creatarum ; nam diversum est *esse* et *id quod est*, et distinguitur actus essendi ab eo cui actus ille convenit [1]. Idcirco, cum *esse* sit natura solius Dei et minime vertatur nec verti potest in naturam vel formam alicuius creaturae, nulla res creata remanere potest in *esse* cessante operatione Dei ; sicut lumen non manet in diaphano, recedente illuminante. Et tanto magis proportio Dei ad solem, et creaturae ad aërem illuminatum, necessario concludit, quanto adhuc invenitur valde deficiens ;

[1] *De Verit.* q. 1. a. 1. ad 3.

nam Deus, qui est per se primo causa entis, simul dans *esse*, producit *id* quod *esse* recipit ; et a Deo est simul *essentia* vel *forma* rei creatae et *esse* quod est omnis formae complementum.

Est autem compositio ex substantia et ex eo quod adhaeret substantiae, sive ex forma et *esse*, sicut compositio subiecti et accidentis, in qua non resultat aliquid tertium ex utroque, sed subiectum participans actum alicuius *esse*. Sicut enim ex subiecto albedinis et ex albedine resultat *album*, et ex corpore diaphano et lumine resultat *lucidum* seu *lumen*, ita ex eo quod est et *esse* resultat *ens* seu *existens ;* ex substantia naturae humanae et *esse* resultat *hic homo ;* ex subiecto participante *esse* et *esse* participato resultat *ens per participationem ;* ex forma et *esse* resultat *ens reale creatum* [1].

[1] *Quodl.* 2. a. 3. ad 1. — *De Verit.* q. 16. a. 1. ad 16. — *II. C. Gent.* cap. 53. et 54.

CAPUT SEXTUM

Tota etiam controversia de influxu Causae Primae in omnes causas secundas venit postremo resolvenda, iuxta D. Thomam, in hanc veritatem fundamentalem : Solus Deus est suum esse ; in omnibus autem aliis differt essentia rei et esse eius.

I

Solus Deus est causa per se primo omnium entium in quantum entia.

Primo : **Qualiter distinguere oporteat inter effectum in fieri et effectum in esse.** — *Fieri* rei nihil aliud est quam rem acquirere *esse ;* nam fieri est via ad *esse*, et *esse* est terminus *fieri ;* quapropter, absolute loquendo et absque ulla modi determinatione, a quocumque agente causetur effectus secundum fieri, ab ipso etiam causatur secundum *esse ;* et a quocumque secundum *esse* causetur, planum est quod secundum fieri ab eodem causatur. Unde D. Thomas, dum contraponit ac distinguit inter *esse* et *fieri* effectus, ait : « Considerandum est, quod aliquod agens est causa sui effectus secundum *fieri*, et *non directe* secundum *esse* eius ; quod quidem convenit et in artificialibus et in rebus naturalibus. » Circa quod Caietanus, *Comment.* in I. q. 104. a. 1. : « Et bene notato ly *directe*, quoniam stultum est dicere *fieri* alicuius causari ab aliquo, et *esse* illius non ; cum fieri rei nihil aliud sit quam acquirere *esse*. Non ergo distinguitur inter effectum in fieri tantum, et in *esse* et fieri simul, absolute ; sed subintellecto illo modo dependendi, sc. directe. Ita quod licet omnis effectus a sua sufficiente causa habeat

et fieri et *esse*, aliquis tamen est cuius *esse* non directe causatur ab agente, sed fieri tantum, *esse* vero concomitanter, ut domus respectu aedificatoris ; aliquis vero cuius et fieri et *esse* directe ab agente pendet, ut lumen a sole. »

SECUNDO : **Causa fiendi solum, et causa non solum fiendi sed etiam essendi.** — Hoc, quod maximi momenti est ad quaestionem *de causis* rite capiendam, ex professo declaratur a D. Thoma, I. q. 104. a. 1. ex intima ac necessaria relatione inter *esse* cuiuscumque rei et *formam* eius ; quoniam *esse* per se consequitur ad formam ; et quemadmodum se habeat aliqua causa ad formam sui effectus, ita quoque oportet ut se habeat ad causandum talem effectum secundum eius *esse*, quod est formae actus ac complementum. Duo ista principia stabiliuntur ab Angelico Doctore, quorum : 1^um^ : *Si aliquod agens non est causa formae in quantum huiusmodi, non erit per se causa esse quod consequitur ad talem formam.* 2^um^ : *Si aliqua duo sunt eiusdem speciei, unum non potest esse causa formae alterius in quantum est talis forma; quia sic esset causa formae propriae, cum sit eadem ratio utriusque; sed potest esse causa huiusmodi formae secundum quod est in materia, id est, quod haec materia acquirat hanc formam ; et hoc est esse causam secundum fieri, sicut cum homo generat hominem, et ignis ignem.*

Ex quibus sequitur quod : 1° *Causa efficiens univoca est causa per se sui effectus secundum fieri tantum, non tamen per se causa sui effectus secundum esse.* 2° *Substantia immaterialis non potest producere aliam substantiam immaterialem sibi similem quantum ad esse eius.* 3° *Nullum ens creatum potest causare aliquid nisi praesupposito aliquo* [1].

TERTIO : **Ens per essentiam est causa non solum fiendi, sed etiam essendi omnium rerum.** — Quia causa per se alicuius causat illud in quocumque invenitur, et ens per essentiam est causa per se primo entis in quantum entis ; nihilque est nec esse potest, quod ab ente per essentiam primo et per se

[1] I. q. 45. a. 5. ad 1.

non causetur. Quod quidem, ut iam saepe alias diximus, D. Thomas incipit demonstrative probare I. q. 2. a. 3., dum per quartam viam, quae sumitur ex gradibus qui in rebus inveniuntur, concludit : « *Ergo est aliquid quod omnibus entibus est causa esse et bonitatis et cuiuslibet perfectionis; et hoc dicimus Deum* »; ac I. q. 44. a. 1. complet demonstrationem, dum respondet, dicendum quod : « *Necesse est dicere omne ens, quod quocumque modo est, a Deo esse* », tamquam sc. a prima causa efficienti et suprema causa exemplari et ultima causa finali rerum omnium.

Quarto : **Ens per essentiam, quod solus Deus est, ita est causa universalis rerum omnium, ut causet omnia quae sunt, secundum totam entitatem.** — Quod D. Thomas infert tamquam corollarium necessarium ex eo ipso quod Deus est causa per se primo entis in quantum entis, concludens I. q. 45. a. 2. : *Necesse est dicere, quod Deus ex nihilo res in esse producit.* Etenim, si nihil potest esse in entibus quod non sit a Deo, qui est causa universalis totius *esse*, necesse est ponere a Deo omnia creata esse ; et sicut nihil potest subterfugere rationem entis, nihil potest subterfugere causalitatem Dei qui, cum sit causa per se primo entis, causat per se primo quamcumque entitatem in quocumque ratio entis inveniatur. Deus nihil praesupponit in re facta quod ipse primo et per se non efficiat. Omnia et singula causat Deus in rebus, et ea in quibus res conveniunt et ea per quae res differunt ac diversificantur. A Deo est *esse* et *illud* quod *esse* recipit et per quod fit diversum et determinatur ad genus et speciem. Unde D. Thomas, *De Pot.* q. 3. a. 16. ad 4. : « Dicendum, quod *ens* alio modo se habet ad ea quae sub *ente* continentur, et alio modo *animal* et quodlibet aliud genus ad species suas. Species enim addit supra genus, ut *homo* supra *animal*, differentiam aliquam, quae est extra essentiam generis. *Animal* enim nominat tantum naturam sensibilem, in qua *rationale* non continetur ; sed ea quae continentur sub ente, non addunt aliquid supra ens quod sit extra essentiam eius ; unde non oportet quod illud, quod est causa *animalis* in quantum est animal, sit causa *rationalis* in

quantum huiusmodi. Oportet autem illud, quod est causa entis in quantum est ens, esse causam omnium differentiarum entis, et per consequens totius multitudinis entium [1]. »

QUINTO : **Omnes igitur creaturae dependent absolute et per se et directe a Deo, tam secundum fieri quam secundum esse.** — Quia omnis effectus dependet a sua causa secundum quod est causa eius. Ens autem per essentiam, quod est solus Deus, est causa non solum fiendi, sed etiam essendi, omnibus quae sunt per participationem. Sicut igitur *fieri* rei non potest remanere cessante actione agentis quod est causa effectus secundum *fieri*, ita nec *esse* rei potest remanere cessante actione agentis quod est causa effectus, non solum secundum *fieri*, sed etiam secundum *esse*. Inde D. Thomas, *Hebr.* cap. 1. lect. 2. : « Id quod de se nec stare nec ambulare potest, indiget portari. Omnis autem creatura de se nec subsistere nec operari potest... Portat ergo omnia Deus et quantum ad suum *esse*. Portat etiam omnia quantum ad *operari ;* quia subtracta influentia eius, cessat omnis motio causarum secundarum, cum ipse sit causa prima, et causa prima plus influit quam causa secunda. » Et *Ioann.* cap. 5. lect. 2. : « Licet in sabbato requieverit (Deus) a novis creaturis condendis, nihilominus tamen semper et continuo usque modo operatur, creaturas in *esse* conservando... Quia ea quae causam habent quantum ad *fieri* solum, cessante causa, subsistere possunt ; ea vero quae non solum *fieri*, sed etiam *subsistentiae* causam habent, continua conservatione causae indigent. »

[1] CAIETANUS ad hanc obiectionem : *Causa per se alicuius, causat illud in quocumque invenitur. Si ergo Deus est per se causa entis in quantum entis, causabit ens in seipso :* respondet sic : » De Deo constat, quod est causa per se primo entis in quantum entis ; et non sequitur : *Ergo causat ens in seipso ;* sed : *Ergo causat ens in quocumque invenitur secundum eandem rationem qua invenitur in causatis.* — Modo, falsum est, quod in Deo inveniatur secundum eandem rationem, cum ipse sit ens per essentiam, cetera non ; sed reliqua sunt quodammodo eiusdem rationis, in quantum entia ; quia sunt entia per participationem. — Et hoc bene nota : quoniam *Metaphysica haec multos latuit illustres viros.* » — *Comment.* in I. q. 104. a. 1.)

II

Nulla causa secunda, quantumvis perfecta, dat esse nisi in quantum agit in virtute Causae Primae.

Arg. 1. — Ex hoc quod esse est communis effectus omnium agentium. — *Esse* est communis effectus omnium agentium ; nam omne agens facit *esse* actu. Omnes siquidem causae creatae communicant in uno effectu qui est *esse*, licet singulae proprios effectus habeant in quibus distinguuntur. Calor enim facit *calidum esse*, et aedificator facit *domum esse*. Conveniunt ergo in hoc, quod causant *esse;* sed differunt in hoc, quod ignis causat *ignem*, et aedificator causat *domum*. Iam vero, cum aliquae causae, effectus diversos producentes, communicant in uno effectu praeter diversos effectus, oportet quod *illud commune* producant ex virtute alicuius superioris causae, cuius illud est proprius effectus. Et similiter, quando aliqua agentia diversa sub uno agente ordinantur, necesse est quod effectus, qui ab eis communiter fit, sit eorum secundum quod *uniuntur* in participando *motum* et *virtutem* illius agentis ; non enim plura faciunt *unum* nisi in quantum unum sunt ; sicut patet, quod omnes qui in exercitu sunt, operantur ad victoriam causandam, quam causant secundum quod sunt sub ordinatione ducis, cuius proprius effectus victoria est. Oportet ergo esse aliquam causam superiorem omnibus causis, cuius virtute omnes causae creatae causent *esse;* atque hunc effectum omnia alia agentia inferiora producunt, in quantum ordinantur sub primo agente et agunt in virtute ipsius. *Esse* igitur, quod est *communis effectus* omnium causarum et veluti *victoria* in agendo, est proprius effectus Primi Agentis, qui est solus Deus.

Arg. 2. — Ex hoc quod esse est ultimum in generatione et primum in intentione agentium. — In omnibus causis agentibus ordinatis, quod est ultimum in generatione et primum in intentione, est proprius effectus primi agentis ;

sicut *forma* domus, quae est proprius effectus aedificatoris, posterius provenit quam *praeparatio* coementi et lapidum et lignorum, quae fiunt per artifices inferiores qui subsunt aedificatori. Sed in omni actione *esse in actu* est principaliter intentum, et ultimum in generatione ; nam, eo habito, quiescit agentis actio et motus patientis. Est igitur *esse* proprius effectus Primi Agentis, sc. Dei ; et omnia quae dant *esse*, hoc habent in quantum agunt in virtute Dei.

Arg. 3. — Ex hoc quod esse est ultimum in bonitate et perfectione. — Illud quod in omnibus effectibus perfectissimum est, est *esse ;* nam quaelibet natura vel forma perficitur per hoc quod est actu, et comparatur ad *esse* sicut potentia ad actum. Sed ultimum in bonitate et perfectione inter ea in quae potest agens secundum, est illud in quod potest ex virtute agentis primi ; nam complementum virtutis agentis secundi est ex virtute agentis primi. Ipsum igitur *esse* est quod agentia secunda agunt in virtute Primi Agentis.

Arg. 4. — Ex hoc quod esse est primum in omnibus effectibus. — Secundum ordinem causarum est ordo effectuum. Primum autem in omnibus effectibus est *esse ;* nam omnia alia sunt determinationes ipsius. Omnes siquidem perfectiones contrahunt *esse* et pertinent ad perfectionem essendi ; et *esse*, cum sit perfectissimum omnium, comparatur ad omnia ut actus ; nihil enim habet actualitatem nisi in quantum est ; unde ipsum *esse* est actualitas omnium rerum et etiam ipsarum formarum. Igitur *esse* est proprius effectus primi agentis, et omnia alia agunt ipsum in quantum agunt in virtute primi agentis ; secunda autem agentia, quae sunt quasi particulantia et determinantia actionem Primi Agentis, agunt, sicut proprios effectus, *alias perfectiones* quae determinant *esse*.

Arg. 5. — Ex hoc quod esse est substantia vel natura Dei. — Quod est per essentiam tale, est propria causa eius quod est per participationem tale ; sicut ignis est causa omnium ignitorum. Deus autem solus est ens per essentiam suam,

omnia autem alia sunt entia per participationem ; nam in solo Deo *esse* est sua *essentia*. *Esse* igitur cuiuslibet existentis est proprius effectus eius, ita quod omne quod producit aliquid in *esse*, hoc facit in quantum agit in virtute Dei.

Observationes circa quinque supraposita argumenta. — 1. Quinque argumenta supraposita, quibus Angelicus Doctor, *III. C. Gent.* cap. 66. ostendit, quod nihil dat *esse* nisi in quantum agit in virtute divina, veniunt postremo reducenda ad argumentum quintum ; argumentum vero quintum, totum quantum est, innititur in hac fundamentali veritate : *Solus Deus est ens per essentiam ; omnia autem alia sunt entia per participationem.* Atque ex eo, quod natura Dei est ipsum *esse subsistens*, cum esse subsistens non sit nisi unum tantum, statim colligitur quod *esse* sive *actus essendi*, in quocumque alio inveniatur, oportet quod sit : *a*) *non subsistens*, sed *inhaerens* substantiae cuius est actus ; *b*) *quid commune* omnibus quae sunt actu ; *c*) *quid ultimum* in productione rerum, quia *esse* est terminus fieri ; *d*) *quid primum* in intentione agentis, quia ultimum in executione est primum in intentione ; *e*) *quid ultimum* in bonitate et perfectione, quia *esse* est actus omnium actuum et perfectionum ; *f*) *quid primum* in omnibus quae efficiuntur, quia nihil fit nisi quatenus participat *esse*, et omnes effectus participant *esse* et aliae perfectiones determinant *esse*, et *esse* est quod profundius inest omnibus rebus ; et *esse* quod participatur ab omnibus, nihil participat ; *g*) *quid unum* analogia et proportione, quia *esse* est id in quo omnia conveniunt et quod omnia participant iuxta numerum, pondus et mensuram formarum, quibus unaquaeque natura in sua propria essentia specifice constituitur.

2. Si attenta mente conspiciantur, eadem, quoad rei substantiam, sunt argumenta, quibus Angelicus Doctor pervenit ad concludendum demonstrative : 1° quod omnia, ut sint, indigent creari a Deo ; 2° et quod omnia indigent ut a Deo conserventur in *esse* ; 3° et quod omnia inferiora agentia non dant *esse* nisi in quantum agunt in virtute Dei. Hoc evidenter patebit, si ad invicem conferantur *Summa*

Theologica I. q. 44. a. 1. ; q. 61. a. 1. ; q. 65. a. 1. ; q. 104. a. 1. — *Summa C. Gent.* II. cap. 15. ; III. cap. 65. et 66. — *De Pot.* q. 3. a. 5. et 6. ; et q. 7. a. 2. — *Comp. Theol.* cap. 67.-68. — *De natura angelor.* cap. 7.

3. Atque ex iisdem argumentis procedit ultra Angelicus Doctor ad probandum : 1° quod in creaturis nec agere est *esse*, nec potentia operativa est substantia ; 2° quod Deus est causa operandi omnibus operantibus. Unde postquam *III. C. Gent.* cap. 66. ostendit, quod nihil dat *esse* nisi in quantum agit in virtute divina, incipit in subsequenti cap. 67. his verbis : « Ex hoc autem apparet, quod Deus est causa omnibus operantibus ut operentur. »

III

Deus est causa operandi omnibus operantibus ; et idem effectus est a Deo et a natura agente ; et totus ab utroque, secundum alium tamen modum.

PRIMO : **Deus est causa operandi omnibus operantibus.** — *Ratio* 1ª. — *Ex eo quod operari est quoddam esse.* — Omne enim operans est aliquo modo causa essendi, vel secundum esse substantiale vel secundum esse accidentale. Nihil autem est causa essendi nisi in quantum agit in virtute divina, ut ostensum est. Omne igitur operans operatur per virtutem Dei.

Ratio 2ª. — *Ex eo quod Deus dat et conservat virtutem operandi.* — Omnis operatio consequitur aliquam formam in operante et procedit immediate ab aliqua virtute operativa. Omnis autem virtus uniuscuiusque agentis est a Deo, sicut a principio omnis perfectionis, et conservatur a Deo qui semper virtutes rebus inditas causat et tenet in *esse*. Omnis igitur rei operatio in ipsum Deum reducitur sicut in causam.

Ratio 3ª. — *Ex eo quod Deus applicat omnem virtutem operandi ad operationem.* — Virtutes operativae applicantur ad

propriàs operationes per aliquem motum, vel corporis vel animae. Primum autem principium utriusque motus est Deus ; est enim primum movens omnino immobile ; et similiter *omnis motus* voluntatis, quo applicantur aliquae virtutes ad operandum, reducitur in Deum sicut in primum appetibile et in primum volentem. Cum ergo omnis applicatio virtutis ad operationem sit principaliter et primo a Deo, debet omnis operatio attribui Deo sicut Primo et Principali Agenti.

Ratio 4ª. — *Ex eo quod Deus est prima causa efficiens.* — Causa actionis magis est *id* cuius virtute agitur quam etiam *illud* quod agit, sicut principale agens magis agit quam instrumentum. Sed in ordine omnium causarum agentium, prima causa, in cuius virtute agunt omnes causae inferiores agentes, est ipse Deus. Deus igitur principalius est causa cuiuslibet actionis quam etiam secundae causae agentes ; et Ipse est qui operatur in omni operante per naturam et per voluntatem [1].

SECUNDO : **Et idem effectus est a Deo et a naturali agente.**

1º Quia idem effectus totus attribuitur instrumento, et principali agenti etiam totus ; atque sub Deo, qui est primum intelligens et primum volens, collocantur etiam omnes intellectus et omnes voluntates sicut instrumenta sub agente principali.

2º Quia divina causalitas se extendit ad omnes causas secundas quoad ipsarum *esse* et *posse* et *operari ;* et Deus est causa omnis virtutis operativae, et eius applicationis ad operandum, et eius quoque operationis.

3º Quia perfectius invenitur ordo in spiritualibus quam in corporalibus. In corporalibus autem omnis motus causatur a primo motu. Oportet igitur, quod in spiritualibus omnis voluntatis motus a prima voluntate causetur, quae est voluntas Dei.

TERTIO : **Et totus ab utroque, secundum alium tamen modum.** — 1º Quia idem effectus totus attribuitur causae

[1] *III. C. Gent.* cap. 67.

instrumentali et causae principali ; et tamen alio et alio modo, videlicet ab utraque causa immediate ; sed a causa instrumentali *immediate immediatione suppositi*, et a causa principali *immediate immediatione virtutis*. Virtus enim primi agentis invenitur immediata ad producendum effectum, quia ex se invenitur productiva effectus et coniungit virtutem agentis secundi cum sua propria operatione et effectu. Virtus vero agentis secundi accipit complementum ex virtute agentis primi, in cuius virtute transit de posse agere ad actualiter agendum.

2° Quia agentis primi proprius effectus est *esse ;* secundarum vero agentium proprii effectus sunt aliae perfectiones quae determinant *esse*. Unde ab utroque agente est totus effectus : a primo quidem, ut est *ens ;* a secundo autem, ut est *tale ens ;* ita tamen, quod Deus principalius est cuiuslibet actionis et cuiuslibet effectus causa quam etiam secundae causae agentes ; et quidquid est in actione de ratione entis et boni et perfecti, hoc totum est mediante voluntate a Primo Agente, qui Deus est.

3° Et quia *ens* non fit *tale ens* per aliquam differentiam quae extra essentiam entis sit, sed quia, cum *actum quendam* nominet, recipitur in subiecto cuius est actus, et se habet ad ipsum ut actus ad potentiam, et est aliquid diversum ab eo cui convenit et a potentia cuius actus est ; ideo a Deo est omnis effectus, et ut *ens* et ut *ens tale*, ut *esse* et ut *esse determinatum*. Unde in effectu nihil reperiri potest, quod a Deo primo et principaliter non causetur ; semper reperitur aliquid, quod a causa creata non efficitur nisi in virtute causae primae ; et potest aliquid inveniri quod a solo Deo sit causatum. Atque in isto etiam sensu habet veritatem illud nimirum, quod *esse est primum in omnibus effectibus ;* eo videlicet sensu, quo Angelicus Doctor scribit, *De natura angelor.* cap. 8. : « Id quod primum invenitur in unoquoque ente, maxime est commune omnibus ; quaecumque enim superadduntur, contrahunt id quod prius inveniunt ; nam quod posterius in re intelligitur, comparatur ad prius ut actus ad potentiam. Per actum autem potentia determinatur. Sic igitur oportet, ut id quod primum subsistit in unoquoque, sit effectus

supremae virtutis ; quanto autem aliquid est posterius, tanto reducatur ad inferioris causae virtutem. Oportet igitur, quod id quod primum subsistit in unoquoque, sicut in corporalibus *materia*, et in immaterialibus substantiis quod *potentiale* est, sit proprius effectus primae virtutis et universalis effectus agentis. Impossibile est igitur, quod ab aliquibus causis secundis aliqua producantur in *esse*, non praesupposito aliquo effectu superioris agentis ; et sic nullum agens post primum rem totam in *esse* producit, quod est producere ens simpliciter per se, et non per accidens, quod est *creare*. » Et in *De Causis*, lect. 18. : « Esse igitur, quod est primum, commune est omnibus... Est enim duplex modus causandi : Unus quidem, quo aliquid fit, praesupposito altero. Et hoc modo dicitur fieri aliquid per informationem, quia illud quod posterius advenit, se habet ad id quod praesupponebatur, per modum formae. Alio modo causatur aliquid nullo praesupposito. Et hoc modo dicitur aliquid fieri per creationem. Quia ergo *intelligere* praesupponit *vivere*, et *vivere* praesupponit *esse*, et *esse* nihil aliud praesupponit prius, inde est, quod Primum Ens dat *esse* omnibus per modum creationis. »

Quarto : **Quotuplici sensu verificetur illud axioma : Esse est proprius effectus Dei.** — Veritas enim huius axiomatici principii triplici potest modo intelligi : 1° Uno modo, quatenus est proprium solius Dei efficere rem secundum totam suam entitatem, quod dicitur creare rem seu facere illam ex nihilo sui. Creatio namque est ita propria actio ipsius Dei, ut impossibile est quod alicui creaturae conveniat creare, neque virtute propria neque instrumentaliter, ut declaratur I. q. 45. a. 5. Tunc *esse* significat totam entitatem rei existentis.

2° Alio modo, quatenus *id* quod primum subsistit in unoquoque, sicut in corporalibus *materia* et in immaterialibus substantiis quod *potentiale* est, est semper proprius effectus Primae Causae. Ex quo apparet evidenter, quod nullum ens creatum potest causare aliquid nisi praesupposito aliquo alio, cuius entitas est proprius etiam effectus solius

Dei. Et tunc *esse* significat realitatem, quae necessario praesupponitur ad omnem actionem creaturae ; huiusmodi *esse*, quod est effectus superioris agentis, est primum in effectibus omnibus, et omnibus commune.

3° Tertio denique modo, quatenus ens creatum est causa fiendi aliquid per informationem, et causat in hac vel illa re de novo producta *esse*, quod est terminus *fieri ;* atque huiusmodi *esse* est *actus* rei de novo productae, sive sit esse substantiale sive accidentale. Tunc *esse* significat id quod est *ultimum* in generatione ; et *ultimum* in bonitate et perfectione ; et *ultimum* inter ea in quae potest agens secundum ; et *illud* in quod agens secundum non potest nisi ex virtute Primi Agentis. Ac de hoc *esse* ait D. Thomas, *III. C. Gent.* cap. 66. : *Nihil dat esse nisi in quantum agit in virtute divina.*

IV

Sicut ex hoc, quod omnia entia componuntur ex potentia et actu in linea essendi, indigent causari a Deo, Primo Ente, ut sint : ita ex reali compositione potentiae et actus in linea operandi omnes causae secundae indigent physice praemoveri a Deo, Prima Causa, ut operentur.

§ 1.

Ratio prima fundamentalis : Quia solus Deus est suum esse, et in Deo essentia et esse identificantur.

Primo : **Solus Deus est Ens per essentiam.** — Quapropter necesse est dicere omne ens, quod quocumque modo est, a Deo esse tamquam a prima causa efficiente ; atque *esse*, sive substantiale sive accidentale, quod rebus creatis inest, non potest intelligi nisi ut deductum ab Esse Divino. Ex eo ipso, quod Deus est Ens per essentiam, necessario colligitur triplex veritas, nimirum :

a) *Veritas creationis.* Nam Ens per essentiam oportet ut sit unum essendi principium, a quo *esse* habent quaecumque sunt quocumque modo ; sive sint invisibilia et spiritualia, sive sint visibilia et corporalia [1].

b) *Veritas conservationis.* Nam Ens per essentiam oportet ut perpetuo causet ipsum *esse* rerum per continuationem actionis, qua primo dedit eis *esse*. *Esse* namque rerum non potest conservari sine causa essendi, sicut nec motus sine causa movendi [2].

c) *Veritas physicae praemotionis.* Nam Ens per essentiam est agens per essentiam ; agens vero per essentiam operatur in quolibet operante, et in quantum dat formas rebus, et in quantum conservat eas in *esse*, et in quantum applicat eas ad agendum, et in quantum est finis omnium actionum. Et quia forma rei est intra rem, et tanto magis quanto consideratur ut prior et universalior, et ipse Deus est proprie causa ipsius *esse* universalis in rebus omnibus, quod inter omnia est magis intimum rebus : ideo Deus in omnibus rebus est per essentiam et praesentiam et potentiam ; et Deus in omnibus intime operatur ; atque in Deo omnia constant ac subsistunt, tam in ordine essendi quam in ordine operandi. Portat ergo omnia Deus, et quantum ad suum *esse* et quantum ad *operari* [3].

Secundo : **Solus Deus est Actus Purus.** — Quapropter necesse est dicere omnia quaecumque agunt quocumque modo, a Deo agi ; omnia quaecumque movent quocumque modo, a Deo moveri ; omnia quaecumque quocumque modo transeunt de potentia in actum, reduci in actum a Deo, qui est Purus Actus et Primum Movens quod a nullo movetur et a quo moventur omnia, etiam quae movent seipsa. Unde omnes motus, tam corporales quam spirituales, tam naturales quam voluntarii, reducuntur in Primum Movens simpliciter, quod est Deus. Et ideo, quantumcumque natura

[1] I. q. 44. a. 1. ; q. 61. a. 1. ; q. 65. a. 1.
[2] I. q. 8. a. 1. ; q. 104. a. 1. — *I. Sent.* dist. 37. q. 1. a. 1.
[3] I. q. 105. a. 5.

aliqua, corporalis vel spiritualis, ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere nisi moveatur a Deo [1].

Tertio : **In solo Deo sua substantia est suum esse et suum agere, et suum agere est suum intelligere et suum velle.** — Quapropter necesse est dicere, quod scientia Dei, secundum quod habet voluntatem coniunctam, est causa rerum ; et quod scientia Dei se habet ad omnes res creatas sicut scientia artificis se habet ad artificiata ; et quod voluntas Dei, cum sit efficacissima, se extendit ut causa non solum ad id quod fit, sed etiam ad modum fiendi et essendi ; atque quod non modo fiunt ea quae Deus vult fieri, sed et quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Inde :

a) *Voluntas divina* est intelligenda ut extra ordinem entium existens, velut causa quaedam profundens totum ens et omnes eius differentias ; et ideo ex ipsa voluntate divina originantur necessitas et contingentia in rebus, et distinctio utriusque secundum rationem proximarum causarum ; et omnes effectus, tam contingentes quam necessarii, dependent a voluntate divina sicut a Prima Causa, quae transcendit ordinem necessitatis et contingentiae.

b) *Voluntas divina*, cum sit causa entis in quantum ens, est proinde causa cuiuscumque entitatis rerum, et pertingit sua efficacia ad effectum et ad omnes modos effectus. Reliquae enim causae non constituunt legem necessitatis vel contingentiae ; sed constituta a superiori causa utuntur. Haec autem causa superior, a qua ordo necessitatis et contingentiae in rebus provenit, est causa entis in quantum est ens, videlicet voluntas Entis per essentiam.

c) *Voluntas divina*, a qua sola virtus volendi causatur in creatura rationali, habet potestatem movendi omnem voluntatem ; non solum ut movetur ab obiecto, sed etiam ut voluntas creata movetur a seipsa quoad exercitium actus voluntarii ; non solum ab exteriori et per modum suadentis, sed ab interiori ex parte ipsius potentiae, per modum perficientis, interius inclinando et immutando et transmutando

[1] I. q. 2. a. 3. — I.-II. q. 109. a. 1.

de uno in aliud ; et sic ab interiori solus Deus efficaciter potest movere voluntatem ex parte ipsius potentiae ; et sic movendo non aufert quin actiones eius sint voluntariae, sed potius hoc in eis facit [1].

§ 2.

Ratio secunda fundamentalis : Quia in omnibus aliis, praeter Deum, differt essentia rei et esse eius.

Unde sequitur :

Primo : **Nec in angelo nec in aliqua creatura virtus vel potentia operativa est idem quod sua substantia vel essentia, nec actio est eius esse ; sed e contra, sicut ipsum esse est actualitas quaedam essentiae, ita operari est actualitas operativae potentiae.** — Quapropter necesse est dicere, quod sicut omnia indigent fieri et conservari in *esse* ex hoc quod in omnibus differt essentia rei et *esse* eius, ita omnia indigent reduci de potentia in actum ex hoc quod in omnibus creatis differt virtus agendi et agere. Haec sibi ad invicem sunt correlativa, nempe : essentia et *esse*, potentia et operatio. Unde D. Thomas, *Quodl.* 10. a. 5. : « In nulla substantia creata est idem *esse* et operatio ; hoc enim solius Dei est. Essentia autem est essendi principium, potentia vero operationis. » Igitur sicut in linea entis omnis substantia creata oportet ut completionem recipiat per hoc quod participat *esse*, ita in linea agendi omnis virtus creata oportet ut completionem accipiat per hoc quod participat *agere*. *Esse* est complementum substantiae existentis ; *operari* est complementum potentiae operativae. Nulla substantia creata ex se habet *esse*, sed indiget perduci ad *esse* ut existat ; similiter nulla potentia operativa creaturae ex se habet *actum* operationis, sed indiget moveri ac perduci ad *operari*, ut agat et operetur.

[1] I. q. 14. a. 8. ; q. 19. a. 8. ; q. 83. a. 1. ; q. 105. a. 4. et 5. ; q. 106. a. 2. ; q. 111. a. 2. — *I. Perihermen.* lect. 14. — *VI. Metaph.* lect. 3.

A Deo ergo, cuius substantia est *esse* et cuius potentia agendi est agere, omnia reducuntur de potentia in actum, tam in ordine essendi quam operandi.

SECUNDO : **Omne ens creatum, sicut est ens per participationem, ita est agens per participationem.** — Quamobrem, licet creatura habeat aliquam Dei similitudinem, participando bonitatem ipsius in quantum *est* et in quantum *agit*, non tamen ita quod per similitudinis perfectionem ad aequalitatem perveniat ; et ideo, sicut imperfectum indiget perfecto, ita virtus creaturae in agendo indiget operatione divina. Deus, Ens per essentiam, portat omnia quoad *esse;* Deus, Agens per essentiam, portat omnia quoad *operari*. Deus, Ens per essentiam, coniungit in productione entis *esse* et id quod *esse* recipit ; Deus, Agens per essentiam, coniungit virtutem omnis agentis creati cum sua propria operatione. Unde D. Thomas, *I. Sent.* dist. 37. q. 1. a. 1. ad 4. : « Operatio reducitur, sicut in principium, in duo : in ipsum agentem, et in virtutem agentis qua mediante exit operatio ab agente. Quanto autem agens est magis proximum et immediatum, tanto virtus eius est mediata, et primi agentis virtus est *immediatissima;* quod sic patet in terminis : Sint A, B, C, tres causae ordinatae, ita quod C sit ultima quae exercet operationem, constat tunc quod C exercet operationem per *virtutem suam;* et quod per virtutem suam hoc possit, hoc est per *virtutem* B, et ulterius per *virtutem* A. Unde si quaeratur : Quare C operatur, respondetur : per virtutem suam ; et quare per virtutem suam ? : propter virtutem B ; et sic quousque reducatur in virtutem Causae Primae, in quas docet Philosophus quaestiones resolvere *II. Posterior. Anal.* 22. et in *II. Physic.* 38. Et ita patet quod, cum Deus sit Prima Causa omnium, sua virtus est immediatissima omnibus. Sed quia ipsemet est sua virtus, ideo non tantum est immediatum principium operationis in omnibus, sed immediate in omnibus operans. » Et iterum, *III. C. Gent.* cap. 67. : « *Omnis applicatio* virtutis ad operationem est principaliter et primo a Deo ; applicantur autem virtutes operativae ad proprias operationes per aliquem motum, vel

corporis vel animae ; primum autem principium utriusque motus est Deus. » Et ibid. cap. 70. : « Virtus primi agentis invenitur *immediata* ad producendum effectum ; nam virtus infimi agentis non habet quod producat hunc effectum *ex se*, sed ex virtute superioris proximi, et virtus illius ex virtute superioris, et sic virtus supremi agentis invenitur *ex se* productiva effectus, quasi causa immediata. » En genuina et authentica declaratio *secundae viae* ex quinque, quibus Deum esse probari potest, I. q. 2. a. 3.

Tertio : **Omne agens creatum, quantumlibet perfectum ac liberum in agendo, est causa instrumentalis per ordinem ad Causam Primam qui est Deus.** — a) *Liberum arbitrium creatum est instrumentum sub Deo.* — Unde D. Thomas, *III. C. Gent.* cap. 147. : « Sub Deo autem, qui est primus intellectus et volens, ordinantur omnes intellectus et voluntates sicut instrumenta sub principali agente. » Et *IV. C. Gent.* cap. 41. : « Omnes enim homines comparantur ad Deum ut quaedam instrumenta, quibus operatur : *Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere*, secundum Apostolum (Philipp. 2, 13). Sed alii homines comparantur ad Deum quasi instrumenta extrinseca et separata ; moventur enim a Deo, non ad operationes proprias sibi tantum, sed ad operationes communes omni rationali naturae, ut est intelligere veritatem, diligere bona et operari iusta. Sed humana natura in Christo assumpta est ut instrumentaliter operetur ea quae sunt operationes propriae solius Dei, sicut est mundare peccata, illuminare mentes per gratiam et introducere in perfectionem vitae aeternae. Comparatur igitur humana natura Christi ad Deum sicut instrumentum proprium et coniunctum, ut manus ad animam. » Et similiter I.-II. q. 21. a. 4. ad 2. : « Homo sic movetur a Deo ut instrumentum, quod tamen non excluditur quin moveat seipsum per liberum arbitrium. » Et III. q. 7. a. 1. ad 3. : « Humanitas Christi est instrumentum Divinitatis, non quidem sicut instrumentum inanimatum, quod nulla modo agit, sed solum agitur ; sed tamquam instrumentum anima rationali animatum, quod ita agitur quod etiam agit. »

b) *Liberum arbitrium creatum est quid imperfectum et potentiale.* — *I. C. Gent.* cap. 82. : « Ad utrumlibet enim esse alicui virtuti potest convenire dupliciter : Uno modo, *ex parte sui ;* alio modo, *ex parte eius ad quod dicitur.* Ex parte quidem sui : quando nondum consecuta est suam perfectionem, per quam ad unum determinetur ; unde hoc in imperfectionem virtutis redundat, et ostenditur esse potentialitas in ipsa, sicut patet in intellectu dubitantis, qui nondum assecutus est principia ex quibus ad alterum determinetur. Ex parte autem eius ad quod dicitur, invenitur aliqua virtus ad utrumlibet esse, quando perfecta operatio virtutis a neutro dependet, sed tamen utrumque esse potest... Hoc autem ad imperfectionem virtutis non pertinet, sed magis ad eius eminentiam, in quantum utrumlibet oppositorum excedit, et ob hoc determinatur ad neutrum, se ad utrumlibet habens. »

c) *Liberum arbitrium creatum per hoc quod movetur a Deo, amittit suam imperfectionem et potentialitatem.* — Etenim liberum arbitrium creatum se habet ad Deum moventem sicut causa instrumentalis ad causam principalem. Causa autem instrumentalis acquirit suam agendi virtutem dupliciter, sc. : 1° quando accipit formam instrumenti ; 2° et quando movetur a principali agente ad effectum [1]. Unde per hoc quod movetur a Deo, liberum arbitrium creatum *determinatur quidem ad unum,* in quantum virtus eius se habet ad utrumlibet *ex parte sui ;* sed *determinari ad unum* hoc modo est amittere suam propriam potentialitatem et consequi suam *perfectionem* per quam ad unum determinetur, transeundo de potentia in actum. Non ergo liberum arbitrium creatum per divinam motionem *determinatur ad unum,* prout virtus eius se habet ad utrumlibet ex *parte eius ad quod dicitur,* in quantum utrumlibet oppositorum excedit, sed e contra, dum per divinam motionem accipit complementum suae propriae virtutis activae, accipit eo ipso actuale dominium proprii actus et actualem eminentiam, dum agit, supra ipsum proprii actus obiectum. Quod et ipse Angelicus

[1] III. q. 62. a. 1. ad. 2. ; q. 72. a. 3. ad 2.

Doctor explanat, *De Malo* q. 6. dicens : « Id quod primo movet voluntatem et intellectum est aliquid supra voluntatem et intellectum, sc. Deus ; qui cum omnia moveat secundum rationem mobilium, ut levia sursum et gravia deorsum, etiam voluntatem movet secundum eius conditionem, *non ut ex necessitate,* sed ut *indeterminate se habentem* ad multa. » Et ad 5. : « Voluntas aliquid confert, cum a Deo movetur ; ipsa enim est quae operatur, sed mota a Deo ; et ideo motus eius, quamvis sit ab extrinseco sicut a Primo Principio, non tamen est violentus. » Et ad 17. : « Voluntas, quando de novo incipit eligere, transmutatur a sua priori dispositione quantum ad hoc, quod prius erat *eligens in potentia,* et postea fit *eligens in actu;* et haec quidem transmutatio est ab aliquo movente, in quantum ipsa voluntas movet seipsam ad agendum, et in quantum etiam movetur ab aliquo exteriori agente, sc. a Deo. » Et iterum, ibid. q. 3. a. 2. ad 4. : « Manifestum est quod cum aliquid movet alterum, non ex hoc ipso, quod est movens, ponitur quod est primum movens ; unde non excluditur quin ab altero moveatur, et ab altero habeat similiter *hoc ipsum* quod movet. Similiter, cum aliquid movet seipsum, non excluditur quin ab alio moveatur, a quo habet *hoc ipsum* quod seipsum movet ; et sic non repugnat libertati, quod Deus est *causa actus* liberi arbitrii. »

En, quare etiam omnes causae liberae et omnia moventia seipsa veniunt postremo collocanda in illis *quinque viis* quibus Deum esse demonstrative probari potest. Quod D. Thomas iam expresse indicat, dum I. q. 2. a. 3. ad 2. respondet dicendum : *a*) « Necesse est ea, quae a natura fiunt, etiam in Deum reducere sicut in Primam Causam. » *b*) « Similiter etiam quae ex proposito fiunt, oportet reducere in aliquam altiorem causam, quae non sit ratio et voluntas humana ; quia haec mutabilia sunt et defectibilia. Oportet autem omnia mobilia et deficere possibilia reduci in aliquod Primum Principium Immobile et per se Necessarium, sicut ostensum est. »

V

Quid sit physica praemotio.

PRIMO : **Praemotio physica est vis, qua omnis causa secunda agit ad esse, ut instrumentum Primae Causae.** — Ita D. Thomas, *De Pot.* q. 3. a. 7. ad 7. : « Virtus naturalis, quae est rebus naturalibus in sua institutione collata, inest eis ut *quaedam forma habens esse ratum et firmum in natura.* Sed id quod a Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, est ut intentio sola *habens esse quoddam incompletum,* per modum quo colores sunt in aëre et virtus artis in instrumento artificis. Sicut ergo securi per artem dari potuit acumen, ut esset forma in ea permanens, non autem ei dari potuit quod vis artis esset in ea quasi quaedam forma permanens, nisi haberet intellectum, ita rei naturali potuit conferri virtus propria, ut forma in ipsa permanens, non autem *vis qua agit ad esse ut instrumentum Primae Causae,* nisi daretur ei quod esset universale essendi principium ; nec iterum virtuti naturali conferri potuit ut moveret seipsam, nec ut conservaret se in *esse.* Unde sicut patet, quod instrumento artificis conferri non potuit quod operaretur absque motu artis, ita rei naturali conferri non potuit quod operaretur absque operatione divina. »

SECUNDO : **Praemotio physica est illa applicatio omnis virtutis creatae ad operationem facta principaliter et primo a Deo, sine qua non posset vitari quin agens creatum esset Primum Agens.** — Ita D. Thomas, *II. Sent.* dist. 37. q. 2. a. 2. : « Hoc est de ratione primi principii, ut agere possit sine auxilio prioris agentis et influentia eius ; unde si voluntas humana actionem aliquam posset producere, cuius auctor Deus non esset, voluntas humana *rationem primi principii* haberet ; quamvis solvere hoc nitantur, dicentes quod voluntas, etsi per se possit actionem producere sine influentia prioris agentis, non tamen habet a se *esse,* sed ab alio ; quod etiam exigeretur ad rationem primi principii. Sed hoc videtur

hoc inconveniens, ut quod a sè *esse* non habet, a se *agere* possit, cum etiam per se *durare* non possit quod a se non est. Omnis etiam *virtus* ab *essentia* procedit, et *operatio* a *virtute;* unde cuius essentia ab alio est, oportet quod virtus et operatio ab alio sit. Et praeterea, quamvis per hanc responsionem evitaretur quod non esset primum simpliciter, non tamen posset vitari quin esset *primum agens*, si eius actio in aliquid prius agens non reduceretur sicut in causam. Secundo, quia cum actio peccati sit *ens quoddam*, non solum secundum quod privationes et negationes *entia* dicuntur, sed etiam secundum quod res in genere existentes entia sunt, eo quod et ipsae actiones in genere ordinantur, sequeretur, si actiones peccati a Deo non sunt, quod aliquod ens, essentiam habens, a Deo non esset ; et ita Deus non esset universalis causa omnium entium : quod est contra perfectionem primi entis. Primum enim in quolibet genere est causa eorum quae sunt post, ut *II. Metaph.* dicitur... Et ideo quidquid est in actu deficiente, sc. peccato, de ratione actus et entis et boni, totum hoc a primo agente, sc. Deo, procedit mediante voluntate ; sed ipse defectus, qui est in actu, hoc modo est a voluntate, quod a Deo non procedit... Et ideo non oportet, ut ad malum cooperari dicatur (Deus), quamvis actionis illius causa sit, in qua malum consistit, secundum quod influit agenti *esse*, *posse* et *agere* et quidquid perfectionis in agente est... Deus dicitur causa bonarum operationum non solum quantum ad essentiam actus, sed etiam quantum ad perfectionem secundum quam bonae dicuntur ; utrumque enim agenti influit : et ut *agat* et ut *bene agat*. Sed in malis actionibus, quamvis sit causa earum quantum ad essentiam, non tamen est causa quantum ad *defectum ;* et ideo absolute dicendus est causa bonorum operum, non autem peccatorum. »

Tertio : **Praemotio physica se habet in ordine agendi, ut esse in ordine essendi.** — Quod D. Thomas saepe saepius solet declarare diversis in locis. I. q. 14. a. 4. : « *Intelligere* est perfectio et actus intelligentis... prout *esse* est perfectio existentis. Sicut enim *esse* sequitur formam, ita *intelligere*

sequitur speciem intelligibilem. » I. q. 54. a. 1. : « *Actio* est proprie actualitas virtutis, sicut *esse* est actualitas substantiae vel essentiae. » *Comp. Theol.* cap. 30. : « Eodem modo comparatur intellectus ad intelligere, sicut essentia ad *esse*. » *De spirit. creatura*, a. 11. : « Manifestum est enim, quod diversi actus diversorum sunt ; semper enim actus proportionatur ei cuius est actus. Sicut autem ipsum *esse* est actualitas quaedam essentiae, ita operari est actualitas operativae potentiae seu virtutis. Secundum enim hoc, utrumque eorum est in actu : *essentia* quidem secundum *esse*, *potentia* vero secundum *operari*. Unde, cum in nulla creatura suum operari sit suum *esse*, sed hoc sit proprium solius Dei, sequitur quod nullius creaturae operativa potentia sit eius essentia ; sed solius Dei proprium est, ut sua essentia sit sua potentia. »

Quomodo *esse* consequitur formam creaturae et actuat essentiam eius ? D. Thomas respondet, I. q. 104. a. 1. ad 1. : « *Supposito influxu Dei*. » Quomodo *agere* consequitur virtutem creaturae et *operari* actuat eius operativam potentiam ? D. Thomas respondet, I. q. 105. a. 3., 4. et 5. : « *Supposito influxu Dei*. » Primus est influxus quo Deus in ratione Primi Entis influit continuo rebus omnibus ipsum *esse*, quod est ultima actualitas rerum in linea entis ; alter vero est influxus quo Deus in ratione Primi Agentis influit omnibus causis ipsum *agere*, quod est ultima actualitas in linea operandi. Per primum influxum, qui dicitur *creatio*, Deus, dans *esse*, producit simul *id* quod *esse* recipit ; ac per eius continuationem, quae dicitur *conservatio*, tenet res omnes in *esse* iam accepto. Per alterum influxum, qui dicitur *physica praemotio*, Deus applicat primo et principaliter virtutes et operativas potentias ad agendum ; ac per huiusmodi praemotionem continuatam omnis virtus agit et operatur in virtute Causae Primae : quae quidem coniungit virtutes omnes cum suis propriis actibus et vehementius ingreditur in effectum quam ipsa virtus causae secundae [1].

[1] I. q. 105. a. 5. — *De Pot.* q. 3. a. 7. — *III. C. Gent.* cap. 66. et 70. Apte ad rem Goudin, *Philosoph.* P. IV. q. 3. a. 4. *De praemotione*, inter alia plurima egregie dicta, scribit : « Dicimus ergo Deum,

ut primum et universalem omnium motorem, applicare physice et praevie omnes causas secundas ad agendum ; ita ut, sicut in ratione Primi Entis influit continuo rebus ipsum *esse*, quod est ultima actualitas in linea entis, idque per influxum praevium et physicum, utpote qui causat ipsam rerum existentiam, sicut probat S. Thomas, I. q. 105. : ita quoque in ratione Primae Causae ceteris omnibus influit ipsum *agere*, quod est ultima actualitas in linea operandi, active applicando virtutes operativas ad agendum, iuxta cuiusque naturam et conditionem. » *Art.* 6. — « Sicque habentur non modo profundissima ponendae praemotionis fundamenta, sed etiam germani thomistici characteres, per quos possit innotescere : nempe, ut sit vis quaedam activa, a Deo derivata in causas secundas, non ut perfectio stabilis, ad instar earum virium activarum quae habentur ut proprietates ; sed ut *motio transiens*, *ultimo complens* et *applicans* vim activam creaturarum, atque se habens in ordine agendi, ut *esse* seu existentia in ordine essendi... Ut enim *agere* se habet ad *agentia* sicut *esse* ad entia, ita influxus, quo Deus, tamquam primum agens, cetera movet ad *agere*, se habet ut ille quo, tamquam primus essendi fons, omnia entia conservat in *esse*... »

Cardinalis Gonzalez in sua *Philosoph.* L. VI. *Theodicea*, cap. 4. a. 3. : « Proprius effectus praemotionis physicae est complere et actuare vim agendi causae creatae, ipsamque applicare ad operationem. Id quod a Deo producitur et attingitur per praemotionem, est ipsa actualis operatio seu entitas actionis. »

Nemo tamen nec clarius, nec melius, nec cum tanta proprietate verborum, nec cum tali idearum altitudine ac profunditate simul atque magnificentia sermonis explicavit hanc quaestionem De influxu Causae Primae in omnes causas secundas, etiam liberas, sicut semel atque iterum tradidit, edocuit et declaravit D. Thomas. Vide opus nostrum *De gratia et libero arbitrio*, Pars I. q. 2., a. 2. ; q. 3. a. 2. ; — Pars II. cap. 4. et sqq. et praesertim cap. 10. — Pars III. Epilogus.

CAPUT SEPTIMUM

Ex reali compositione formae et esse, tamquam ex prima potentia et primo actu, procedit D. Thomas ad demonstrative probandum quod omnes formae subsistentes, ut angelus et anima rationalis, sunt incorruptibiles sive entia necessaria in essendo.

I

Argumenta D. Thomae.

PRIMO : **Diversae viae, per quas D. Thomas concludit incorruptionem formarum subsistentium.** — 1° Via *prima* ad ostendendum omnem formam subsistentem sive substantiam intellectualem esse incorruptibilem, est quia in substantiis intellectualibus non datur compositio ex *materia et forma;* ubi autem non est compositio formae et materiae, ibi non potest esse separatio earundem ; igitur nec corruptio. Omnis enim corruptio est per separationem formae a materia.

2° *Altera* vero via est quia substantiae intellectuales non possunt incipere esse nisi per potentiam primi agentis, videlicet per creationem ; quia nulla forma subsistens generatur aut ex potentia materiae educitur. Unde nonnisi per potentiam, per quam incipiunt esse, esse desinere possunt ; sed ex hac sola potentia, quae est in primo agente, secundum quod potest non influere eis *esse*, nihil potest dici corruptibile. Res enim dicuntur *necessariae* et *contingentes* secundum potentiam quae in eis est, et non secundum potentiam Dei : ut *II. C. Gent.* cap. 30. ostenditur.

3° *Tertia* autem via est naturale desiderium essendi, quod certe non potest esse inane ; quia natura nihil facit frustra. Et quamvis essendi desiderium suo modo omnibus

naturis insit, substantiis vero intellectualibus, quae cognoscunt omnes differentias temporis ac tempus quoque transcendunt, inest desiderium essendi semper.

4° *Quarta* vero via est quia nulla substantia intellectualis potest pati tali passione quae ducat ad corruptionem ; nam pati, recipere quoddam est ; et in substantia intelligibili nihil recipitur nisi intelligibiliter ; et quod sic recipitur, non corrumpit subiectum recipiens, sed perficit.

5° *Quinta* vero via est quia intellectus non perficitur per motum, sed per hoc quod est extra motum existens. Homo enim ipse, secundum intellectivam animam, perficitur scientia et prudentia, sedatis permutationibus et corporalibus animae passionibus. Si ergo secundum modum perfectionis alicuius rei oportet quod sit modus essendi, patet quod substantia intellectualis habet modum essendi proprium supra motum et supra tempus.

6° Denique, ut alias adhuc vias praetermittamus, via regalis et vere philosophica, ceterarum radix ac fundamentum, est modus quo se habent ad invicem in rebus cunctis *esse* et *forma* rei. Exinde depromit D. Thomas argumenta quae, utpote ex visceribus causae dessumpta, revera tangunt profundum quaestionis. Quorum :

Secundo : **Arg. 1^um^. — Ex hoc quod esse per se convenit formae.** — *a*) I. q. 50. a. 5. : « Quod enim convenit alicui *secundum se*, numquam ab eo separari potest ; ab eo autem cui convenit *per aliud*, potest separari, separato eo secundum quod ei conveniebat. Rotunditas enim a circulo separari non potest, quia convenit ei secundum seipsum ; sed aeneus circulus potest amittere rotunditatem per hoc quod circularis figura separatur ab aere. *Esse autem secundum se competit formae ;* unumquodque enim est *ens actu* secundum quod habet formam. *Materia* vero est *ens actu* per formam. Compositum igitur ex materia et forma desinit *esse actu* per hoc quod forma separatur a materia. Sed si ipsa *forma* subsistat in *suo esse*, sicut in angelis, non potest amittere *esse*. Ipsa igitur immaterialitas angeli est ratio quare angelus est incorruptibilis secundum suam naturam. »

b) I. q. 75. a. 6. : « Necesse est dicere animam humanam, quam dicimus intellectivum principium, esse incorruptibilem... Manifestum est enim quod id, quod secundum se convenit alicui, est inseparabile ab ipso. *Esse autem per se convenit formae, quae est actus.* Unde *materia* secundum hoc acquirit *esse in actu,* quod acquirit formam ; secundum hoc autem accidit in ea corruptio, quod separatur forma ab ea. Impossibile est autem, quod forma separatur a seipsa ; unde impossibile est, quod forma subsistens desinat esse. »

c) *II. C. Gent.* cap. 55. : « Quod per se alicui competit, de necessitate et semper et inseparabiliter ei inest ; sicut *rotundum* per se quidem inest circulo, per accidens autem aeri ; unde aes quidem fieri *non rotundum* est possibile ; circulum autem non esse rotundum, est impossibile. *Esse autem per se consequitur ad formam ;* per se enim dicimus, quod secundum ipsum ; unumquodque autem habet *esse* secundum quod habet formam. Substantiae igitur ipsae quae non sunt formae, possunt privari *esse,* secundum quod amittunt formam ; sicut aes privatur rotunditate, secundum quod desinit esse circulare. Substantiae vero quae sunt ipsae formae, numquam possunt privari *esse ;* sicut si aliqua substantia esset circulus, nunquam posset fieri non rotunda. Ostensum est autem supra, quod substantiae intellectuales sunt ipsae formae subsistentes. Impossibile est igitur, quod ipsae esse desinant. »

Tertio : **Arg. 2^{um}. — Ex hoc quod esse et forma se habent ad invicem sicut actus et potentia.** — *II. C. Gent.* cap. 55. : « Adhuc : In omni corruptione, remoto actu, manet potentia ; non enim corrumpitur aliquid in *omnino non ens ;* sicut nec generatur aliquid ex *omnino non ente.* In substantiis autem intellectualibus actus est ipsum *esse ;* ipsa autem substantia est sicut potentia. Si igitur substantia intellectualis corrumpatur, remanebit post suam corruptionem : quod est omnino impossibile. Omnis igitur substantia intellectualis est incorruptibilis. »

Quarto : **Arg. 3^{um}. — Ex hoc quod forma subsistens est**

proprium susceptivum ipsius esse. — *II. C. Gent.* cap. 55. : Item : In omni quod corrumpitur, oportet quod sit *potentia ad non esse;* si quid igitur est, in quo non est potentia ad *non esse,* hoc non potest esse corruptibile. In substantia autem intellectuali non est potentia ad *non esse;* manifestum est enim ex dictis (cap. 54.) quod substantia completa est *proprium susceptivum* ipsius *esse;* proprium autem susceptivum alicuius actus ita comparatur ut potentia ad actum illum, quod nullo modo est in potentia ad oppositum ; sicut ignis ita comparatur ad calorem ut potentia ad actum, quod nullo modo est in potentia ad frigus ; unde nec in ipsis substantiis corporalibus est *potentia ad non esse,* in ipsa substantia completa, nisi ratione materiae ; in substantiis autem intellectualibus non est materia, sed ipsae sunt substantiae completae simplices. Igitur in eis non est potentia ad *non esse;* sunt igitur incorruptibiles. »

Quinto : **Arg. 4^{um}. — Ex hoc quod forma subsistens tenet locum potentiae primae et subiecti respectu ipsius esse.** — *II. C. Gent.* cap. 55. : « Praeterea : In quibuscumque est compositio potentiae et actus, id quod tenet locum *primae potentiae* sive *primi subiecti,* est incorruptibile ; unde etiam in substantiis corruptibilibus materia prima est incorruptibilis. Sed in substantiis intellectualibus, id quod tenet locum potentiae primae et subiecti, est ipsa earum substantia completa. Igitur substantia ipsa est incorruptibilis. Nihil autem est corruptibile nisi per hoc quod sua substantia corrumpitur. Igitur omnes intellectuales naturae sunt incorruptibiles. »

II

Relationes inter esse et formam, iuxta D. Thomam.

Primo : **Esse et forma non sunt idem, sed realiter distinguuntur in creatis.** — Quod multipliciter probatur a D. Thoma. *a*) *II. C. Gent.* cap. 52. Ubi septem argumentis ostenditur, quod nullius substantiae creatae suum *esse* est

sua *substantia*. Etenim ens, cuius substantia est *esse* : 1° non potest esse nisi unum tantum ; 2° esset omnino infinitum ; 3° esset non causatum ; 4° esset ens per essentiam ; 5° esset actus purus ; 6° esset Deus.

b) *II. C. Gent.* cap. 53. Ubi ostenditur quod in substantiis intellectualibus creatis est compositio formae subsistentis et *esse*, ita quod in substantia intellectuali creata inveniuntur *duo :* sc. *substantia ipsa* et *esse* eius quod non est ipsa substantia ; sed substantia est subiectum seu potentia participans *esse ;* et *esse* participatum inest substantiis creatis ut quidam actus earum, et est complementum substantiae existentis.

c) *II. C. Gent.* cap. 54. Ubi in terminis dicitur : « *Quia nec forma est ipsum esse*... In substantiis autem intellectualibus, quae non sunt ex materia et forma compositae, sed in eis ipsa forma est substantia subsistens, forma est *quod est ;* ipsum autem *esse* est *actus* et *quo est ;* et propter hoc in eis est unica tantum compositio actus et potentiae, quae sc. est ex substantia et *esse*. »

Secundo : **Esse contrahitur ad esse tale per formam in qua recipitur, sicut actus in subiectiva potentia.** — Quod passim ubique a D. Thoma traditur. Unde : *a*) *II. C. Gent.* cap. 52. : « *Esse* autem, in quantum est *esse*, non potest esse diversum ; potest autem diversificari per aliquid quod est praeter *esse*, sicut *esse* lapidis est aliud ab *esse* hominis. »

b) I. q. 3. a. 5. : « Omnia quae sunt in genere uno, communicant in quidditate vel essentia generis, quod praedicatur de eis in eo *quod quid est ;* differunt autem secundum *esse*. Non enim idem est *esse* hominis et equi, nec huius hominis et illius hominis. Et sic oportet, quod quaecumque sunt in genere, differant in eis *esse* et *quod quid est*, id est, *essentia*. In Deo autem non differunt, ut ostensum est. »

c) *II. C. Gent.* cap. 54. : « Ipsum *esse* non est proprius actus materiae, sed substantiae totius... Nec *forma* est ipsum *esse*, sed se habent secundum ordinem ; comparatur enim forma ad ipsum *esse* sicut lux ad lucidum vel albedo ad album esse. »

Ex quibus habetur : 1° quod *esse* specificatur et fit *tale*

esse per formam in qua recipitur ; et *tale esse* est nobilius vel minus nobile iuxta gradum nobilitatis formarum, quae aut sunt ipsae species rerum completae, sicut contingit in formis separatis a materia, aut determinant ad speciem essentiam completam rei, ut contingit in formis materiae unitis. 2° Quod ratione formae, in qua *esse* recipitur, *esse* fit diversum specie ; quapropter non est idem *esse* hominis et equi. Si autem formae multiplicantur intra eandem naturam specificam, quia recipiuntur in materia, distinctio numerica formarum causat distinctionem numericam eiusdem *esse specifici*, quod per formam inhaeret materiae vel composito ; quapropter non est idem *esse* huius hominis et illius hominis. 3° Quod sic se habet in ordine substantiali forma ad *esse*, sicut in ordine accidentali forma lucis vel lux ad *lucidum esse*, et calor ad *calidum esse*, et albedo ad *album esse*, et circulus seu forma circuli ad *rotundum esse*. Unde omne esse procedit ab aliqua forma ; et ita procedit, quod a *tali forma* semper procedit *tale esse ;* et *tale esse* semper concomitatur *talem formam*. 4° Quod huiusmodi relatio inter formam et *esse* est ita necessaria, quod trahit secum naturalem inseparabilitatem, ita quod, si detur albedo, necessario datur *album esse ;* si lux, *lucidum esse ;* si terminus quantitatis, qui est sicut *forma* ipsius, est forma circuli, ad talem formam circa quantitatem sequitur *rotundum esse*. Et ita pariter in ordine substantiali, ad talem formam, sive angeli sive hominis sive equi, vel *angelum esse* vel *hominem esse* vel *equum esse*. At quia tale *esse* est substantiale, ideo pertinet et ad naturam per quam specificatur, et ad hypostasim quae habet tale *esse ;* consequenter *esse* praedicatur de angelo et de quacumque re subsistente ut actus proprius ipsius ; et sic dicitur : *angelus est, homo est*, et sic de aliis substantiis completis seu formis subsistentibus ; et hoc est *esse simpliciter*, quod de formis accidentalibus vel substantialibus non subsistentibus, absque consortio materiae, praedicari non potest [1]. Idcirco :

[1] *Esse* enim proprie et vere dicitur de supposito subsistente ; accidentia enim et formae non subsistentes dicuntur esse in quan-

TERTIO : **Ipsum esse comparatur ad ipsam formam, per quam diversificatur, ut actus ad potentiam.** — Quod D. Thomas simul in eodem loco : *a*) *II. C. Gent.* cap. 54. adiungit : « Nec forma est ipsum *esse*, sed se habent secundum ordinem ; comparatur enim forma ad ipsum *esse* sicut lux ad lucidum vel albedo ad album esse ; ad ipsam etiam formam comparatur ipsum *esse* ut actus. »

b) I. q. 4. a. 1. ad 3. : « Ipsum *esse* est perfectissimum omnium ; comparatur enim ad omnia ut actus ; nihil enim habet actualitatem nisi in quantum est ; unde ipsum *esse* est actualitas omnium rerum et etiam ipsarum formarum. Unde non comparatur ad alia sicut recipiens ad receptum, sed magis sicut receptum ad recipiens ; cum enim dico *esse* hominis vel equi vel cuiuscumque alterius, ipsum *esse* consideratur ut formale et receptum, non autem ut illud cui competit *esse*. »

c) *De Anima*, a. 6. ad 2. : « Ipsum *esse* est actus ultimus qui participabilis est ab omnibus ; ipsum autem nihil participat ; unde, si sit aliquid quod sit ipsum *esse* subsistens, sicut de Deo dicimus, nihil participare dicimus. Non autem est similis ratio de aliis formis subsistentibus, quas necesse est participare ipsum *esse*, et comparari ad ipsum ut potentiam ad actum. »

QUARTO : **Forma in substantiis ex materia et forma compositis est principium seu causa formalis essendi ipsi composito substantiali.** — Ita D. Thomas : *a*) *II. C. Gent.* cap. 54. : « Comparatur enim forma ad ipsum *esse* sicut lux ad lucidum et albedo ad album esse... Per hoc enim in compositis ex materia et forma, forma dicitur esse *principium essendi*, quia est complementum substantiae cuius actus est ipsum *esse* ; sicut diaphanum est aëri principium lucendi, quia facit eum proprium subiectum luminis. Unde in compositis ex materia et forma, nec materia nec forma potest dici

tum eis aliquid subsistit ; sicut albedo dicitur *ens* in quantum eâ est aliquid *album*. — *Q. Disp. De Unione Verbi Incarnati*, a. 4. et alibi saepenumero.

ipsum quod est, nec etiam ipsum *esse;* forma tamen potest dici *quo est*, secundum quod est essendi principium. Ipsa autem tota substantia est *ipsum quod est;* et ipsum *esse* est quo substantia denominatur *ens.* »

b) *De Anima*, a. 6. : « In substantiis enim ex materia et forma compositis tria invenimus, sc. : *materiam*, *formam*, et ipsum *esse*. Cuius quidem principium est forma ; nam *materia* ex hoc quod recipit *formam*, participat *esse*. Sic igitur *esse* consequitur ipsam formam. Nec tamen forma est suum *esse*, cum sit eius principium. Et licet materia non pertingat ad *esse* nisi per formam, forma tamen, in quantum est forma, non indiget materia ad suum *esse*, cum ipsam formam consequatur *esse;* sed indiget materia, cum sit talis forma, quae per se non subsistit. Nihil ergo prohibet esse aliquam formam a materia separatam, quae habeat *esse*, et *esse* sit in huiusmodi forma. Ipsa enim essentia formae comparatur ad *esse* sicut potentia ad proprium actum. Et ita in formis per se subsistentibus invenitur et potentia et actus, in quantum ipsum *esse* est actus formae subsistentis, quae non est suum *esse*. Si autem aliqua res sit, quae sit suum *esse*, quod proprium Dei est : non est ibi potentia et actus, sed *Actus Purus.* »

QUINTO : **Substantiae quae sunt formae subsistentes, non habent causam formalem sui esse.** — *a*) I. q. 61. a. 1. ad 2. : « Substantiae quae sunt formae subsistentes, non habent causam aliquam formalem sui *esse* et suae unitatis ; nec causam *agentem* per transmutationem materiae de potentia in actum ; sed habent causam producentem totam substantiam. » Ac similiter I. q. 75. a. 5. ad 3.

b) *De Pot.* q. 6. a. 6. ad 4. : « Magis tamen credimus, quod non sint angeli ex materia et forma compositi, sed sint formae tantum per se stantes. Nec oportet, quod propter hoc non sint creati ; forma enim est principium essendi ut *quo aliquid est*, cum tamen et *esse* formae et *esse* materiae in composito sit ab uno agente. Si ergo sit aliqua substantia creata quae sit forma tantum, potest habere principium essendi efficiens, non formale. »

c) *VIII. Metaph.* lect. 4. : « Id quod est separatum omnino a materia, quod est suum *quod quid erat esse*, statim est *unum*, sicut statim est *ens;* non enim est in eo materia expectans formam, a qua habeat *unitatem* et *esse;* et ideo in talibus non est aliqua causa movens ad hoc quod sit unum. » Vide etiam *De spirit. creat.* a. 1. ad 5.

Sexto : **Omnis forma subsistens creata habet rationem subiecti seu potentiae vel causae materialis respectu sui esse.** — Hoc patet : *a*) Ex omnibus quae D. Thomas probat, ostendit ac dilucidat *II. C. Gent.* cap. 52., 53., 54. et 55. ubi firmiter stabilitur, quod omnis substantia creata, sive sit composita ex materia et forma, sive sit forma tantum sine consortio materiae subsistens, se habet ad suum *esse* sicut *potentia* ad *actum*, sicut *proprium susceptivum* ipsius *esse*, sicut *subiectum* eius quod est *esse*.

b) I. q. 50. a. 2. ad 3. : « Subtracta ergo materia, et posito quod ipsa forma subsistat non in materia, adhuc remanet comparatio formae ad ipsum *esse* ut potentiae ad actum. Et talis compositio intelligenda est in angelis. » I. q. 75. a. 5. ad 4. : « In substantiis vero intellectualibus est compositio ex actu et potentia ; non quidem ex materia et forma, sed ex forma et *esse* participato. » I. q. 90. a. 2. ad 1. : « In anima est sicut *materiale* ipsa simplex essentia ; *formale* autem est *esse* participatum ; quod quidem ex necessitate simul est cum essentia animae, quia *esse* per se consequitur ad formam. »

c) *De spirit. creat.* a. 1. : « Omne igitur quod est post primum ens, cum non sit suum *esse*, habet *esse* in aliquo receptum, per quod ipsum *esse* contrahitur ; et sic in quolibet creato aliud est *natura* rei quae participat *esse*, et aliud ipsum *esse* participatum. Et cum quaclibet res participet per assimilationem primum actum in quantum habet *esse*, necesse est quod *esse* participatum in unoquoque comparetur ad naturam participantem ipsum, sicut actus ad potentiam. In natura igitur rerum corporearum materia non *per se* participat ipsum *esse*, sed per formam ; forma enim adveniens materiae facit ipsam *esse actu*, sicut anima corpori.

Unde in rebus compositis est considerare duplicem actum et duplicem potentiam : Nam primo quidem materia est ut potentia respectu formae, et forma est actus eius ; et iterum *natura*, constituta ex materia et forma, est ut *potentia* respectu ipsius *esse*, in quantum est susceptiva eius. Remoto igitur fundamento materiae, si remaneat aliqua forma determinatae naturae per se subsistens, non in materia, adhuc comparabitur ad suum *esse* ut potentia ad actum. Non dico ut *potentiam separabilem* ab actu, sed quam semper suus actus comitetur. Et hoc modo, natura spiritualis substantiae, quae non est composita ex materia et forma, est ut potentia respectu sui *esse ;* et sic in substantia spirituali est compositio potentiae et actus ; et per consequens, formae et materiae, si tamen omnis potentia nominetur *materia*. Sed tamen hoc non est proprie dictum secundum communem usum nominum. »

Septimo : **Omnis forma subsistens ita est potentia ad esse, quod nullo modo est potentia ad oppositum.** — *a*) *II. C. Gent.* cap. 55. : « Substantia completa est proprium susceptivum ipsius *esse ;* proprium autem susceptivum alicuius actus ita comparatur ut potentia ad actum illum, quod nullo modo est in potentia ad oppositum ; sicut ignis ita comparatur ad calorem, quod nullo modo est in potentia ad frigus. »

b) *Compend. Theol.* cap. III. : « Manifestum est autem, quod duobus modis aliqua bonitas inseparabiliter inest creaturae : 1° Uno modo, ex hoc quod *ipsa bonitas est de essentia eius ;* 2° alio modo, ex hoc quod est *determinata ad unum*. Primo ergo modo in substantiis simplicibus ipsa bonitas, quae est *forma*, inseparabiliter se habet ad ipsas, cum ipsae essentialiter sint formae. Secundo autem modo bonum, quod est *esse*, amittere non possunt. Non enim forma est sicut materia quae se habet ad *esse* et ad *non esse ;* sed *forma* consequitur *esse*, etsi etiam non sit ipsum *esse*. Unde patet, quod substantiae simplices bonum naturae, in qua subsistunt, amittere non possunt, sed immutabiliter se habent in illo. Substantiae vero compositae, quia non sunt

suae formae nec suum *esse*, bonum naturae amissibiliter habent ; nisi in illis, in quibus *potentia* materiae non se habet ad diversas formas, neque ad *esse* et *non esse*, sicut in corporibus coelestibus patet. »

III

Quonam sensu verum sit, quod in rebus creatis :
1° Esse per se convenit formae :
2° Esse per se consequitur formam.

PRIMO : **Esse non convenit per se formae quia sit eius essentia aut pars essentiae.** — Patet ex dictis : 1° quia solius Dei forma vel natura est *esse ;* 2° quia *esse* nec est genus nec species nec differentia, ac perinde nequit praedicari de creaturis sicut essentia completa vel ut pars essentiae ; 3° quia, ut iam ostensum manet, *esse* et *forma* in creaturis non sunt idem, sed faciunt compositionem in re. Unde D. Thomas, *Quodl.* 2. a. 3. : « Si ergo in angelo est compositio ex essentia et *esse*, non tamen est compositio sicut ex partibus substantiae, sed sicut ex substantia et eo quod adhaeret substantiae. » Et *Quodl.* 9. a. 6. : « Sed quia substantia angeli non est suum *esse* (hoc enim soli Deo competit, cui *esse* debetur ex seipso et non ab alio), invenimus in angelo et *substantiam* sive *quidditatem* eius quae subsistit, et *esse* eius quo subsistit ; quo sc. actu essendi dicitur esse, sicut actu currendi dicimur currere. Et sic dicimus angelum esse compositum ex *quo est* et *quod est*... Ipsa substantia angeli est per se subsistens, quod materiae non competit... Ipsa substantia angeli quodammodo se habet ad *esse* eius, ut materia ad formam. » Et *Quodl.* 12. a. 5. : « *Esse* est complementum omnis formae, quia per hoc completur quod habet *esse ;* et habet *esse*, cum est actu ; et sic nulla forma est nisi per *esse*. Et sic dico, quod esse substantiale rei non est accidens, sed actualitas cuiuslibet formae existentis, sive sine materia

sive cum materia... *Accidens* dicitur large omne quod non est *pars essentiae;* et sic est *esse* in rebus creatis, quia in solo Deo *esse* est eius *essentia.* »

SECUNDO : **Esse non convenit per se formae quasi fluat ex ipsa rei creatae essentia veluti proprietas quaedam eius.** — Et ratio est in promptu ; quia omne proprium, necessario fluens ex principiis essentialibus alicuius rei, praesupponit iam ipsam essentiam rei in actu ; et nulla essentia rei est in actu nisi per hoc quod habet *esse.* Si ergo nulla forma est nisi per *esse,* et esse substantiale rei est actualitas cuiuslibet formae existentis, sive sine materia sive cum materia : evidenter infertur *esse* sive actum existendi non posse originem trahere ex ipsis principiis essentialibus rei, et dimanare veluti proprium ex essentia vel forma rei. Proprium rei, necessario consequens eius essentiam, supponit essentiam iam in actu constitutam ; et *esse* est primus actus essentiae seu formae subsistentis. Unde D. Thomas, I. q. 3. a. 4. : « Quidquid est in aliquo, quod est praeter essentiam eius, oportet esse causatum : vel a principiis essentiae, sicut accidentia propria consequentia speciem, ut *risibile* consequitur hominem et causatur ex principiis essentialibus speciei ; vel ab aliquo exteriori, sicut calor in aqua causatur ab igne. Si igitur ipsum *esse* rei sit aliud ab eius essentia, necesse est quod *esse* illius rei sit causatum ab aliquo exteriori vel a principiis essentialibus eiusdem rei. Impossibile est autem, quod *esse* sit causatum tantum ex principiis essentialibus rei ; quia nulla res sufficit ad hoc quod sit sibi *causa essendi,* si habeat *esse* causatum. Oportet ergo quod illud, cuius *esse* est aliud ab essentia sua, habeat *esse* causatum ab alio. Hoc autem non potest dici de Deo ; quia Deum dicimus esse primam causam efficientem. Impossibile est ergo, quod in Deo sit aliud *esse* et aliud eius essentia. »

Igitur cum in omnibus, praeter Deum, sit aliud *esse* et aliud essentia : 1° omnis res creata habet *esse* causatum ab alio, qui est Prima Causa efficiens, sc. Deus ; 2° nulla res creata sufficit ad hoc quod sit sibi causa essendi ; 3° *esse* rei creatae non consequitur eius formam, velut quaedam pro-

LIBRARY

prietas eius consequens speciem rei, ut *risibile* consequitur hominem et causatur ex principiis essentialibus speciei ; 4° impossibile est, quod *esse*, quod sequitur ad formam, sit causatum *tantum* ex principiis essentialibus rei.

TERTIO : **Esse non convenit formae quasi sit aliquid per se superadditum essentiae vel formae rei ad modum accidentis.**

Ratio 1ª. — D. Thomas, *IV. Metaph.* lect. 1. : « Quod autem *ens* et *unum* praedicentur de substantia cuiuslibet rei *per se*, et non secundum accidens, sic potest probari : Si enim praedicarentur de substantia cuiuslibet rei per aliquod *ens* ei additum, de illo iterum necesse est praedicari *cns ;* quia unumquodque est unum et ens. Aut ergo iterum de hoc praedicatur *per se*, aut per aliquid aliud additum. Si per aliquid aliud, iterum esset quaestio de illo addito ; et sic erit procedere usque ad infinitum. Hoc autem est impossibile. Ergo necesse est stare in primo, sc. quod substantia rei sit *una et ens per seipsam*, et non per aliquid additum. »

Ratio 2ª. — D. Thomas ibid. : « Sciendum est autem, quod circa hoc Avicenna aliud sensit. Dixit enim, quod *unum* et *ens* non significant *substantiam* rei, sed significat aliquid *additum*. Et de *ente* quidem hoc dicebat, quia in qualibet re, quae habet *esse* ab alio, aliud est *esse* rei et *substantia* sive essentia eius ; hoc autem nomen *ens* significat ipsum *esse*. Significat igitur (ut videtur) *aliquid additum* essentiae. » Ad quod respondens Angelicus Doctor adiungit, quod in hoc Avicenna « non videtur dixisse recte... *Esse* enim rei, quamvis sit aliud ab eius essentia, non tamen est intelligendum quod sit aliquod superadditum ad modum accidentis, sed quasi *constituitur per principia essentiae*. Et ideo hoc nomen *ens*, quod imponitur ab ipso *esse*, significat idem cum *homine* quod imponitur ab ipsa essentia. »

Ratio 3ª. — *Quodl.* 2. a. 3. ad 2. : « *Esse* est *accidens*, non quasi per accidens se habens, sed quasi actualitas cuiuslibet substantiae ; unde ipse Deus, qui est sua actualitas, est suum *esse*. » Et *Quodl.* 12. a. 5. : « Opinio Avicennae fuit, quod *unum* et *ens* semper praedicant accidens. Hoc autem

non est verum ; quia unum, prout convertitur cum ente, signat substantiam rei, et similiter ipsum ens ; sed unum, prout est principium numeri, signat accidens. »

QUARTO : **Esse convenit per se formae quasi quid superadditum per modum complementi et actualitatis.** — *a*) *Quodl.* 12. a. 5. : « Unumquodque quod est in potentia et in actu, fit actu per hoc quod participat actum superiorem. Per hoc autem aliquid maxime fit actu, quod participat per similitudinem Primum et Purum Actum. Primus actus est Esse subsistens per se ; unde completionem unumquodque recipit per hoc quod participat *esse ;* unde *esse* est complementum omnis formae ; quia per hoc completur, quod habet *esse ;* et habet *esse*, cum est actu ; et sic nulla forma est nisi per *esse*. Et sic dico, quod esse substantiale rei non est accidens, sed actualitas cuiuslibet formae existentis, sive sine materia sive cum materia. »

b) I. q. 6. a. 3. ad 2. et ad 3. : « Licet unumquodque sit bonum in quantum habet *esse*, tamen essentia rei creatae non est ipsum *esse*. Et ideo non sequitur, quod res creata sit bona per suam essentiam. Bonitas rei creatae non est ipsa eius essentia, sed aliquid *superadditum :* vel ipsum *esse* eius, vel aliqua perfectio superaddita, vel ordo ad finem. Ipsa tamen bonitas sic superaddita dicitur bona sicut et ens. »

c) *II. C. Gent.* cap. 52. : « Substantia uniuscuiusque est *ens per se*, et non per aliud ; unde esse lucidum actu non est de substantia aëris, quia est ei per aliud. Sed cuilibet rei creatae suum *esse* est ei per aliud ; alias non esset creatum. Nullius igitur substantiae creatae suum *esse* est sua substantia. » Consequenter : « *Esse* non dicitur *accidens* quod sit in genere accidentis, si loquamur de *esse* substantiae (est enim actus essentiae) ; sed per quandam similitudinem ; quia non est pars essentiae, sicut nec accidens. » *De Pot.* q. 5. a. 4. ad 3.

QUINTO : **Esse convenit per se formae tamquam quid sibi intimius et immediatius inter omnia.** — *a*) I. q. 8. a. 1. : « *Esse* autem est illud quod est magis intimum cuilibet, et

quod profundius omnibus inest, cum sit formale respectu omnium quae in re sunt, ut ex supradictis patet, q. 7. a. 1. »

b) *II. Sent.* dist. 1. q. 1. a. 4. : « *Esse* autem est magis intimum cuilibet rei quam ea per quae *esse* determinatur ; unde et remanet, illis remotis. » — *De Anima*, a. 9. : « Inter omnia, *esse* est illud quod immediatius et intimius convenit rebus. »

c) *De natura accidentis*, cap. 1. : « *Esse* formalius se habet ad rem constituendam in genere entis quam ipsa forma rei quae hoc ipsum *esse* dat, vel materia cui datur, ex quibus compositum resultat, cuius est hoc *esse* ut entis. Intimius ergo ad rem ipsam, quae est ens, inter omnia est ipsum *esse* eius ; et post ipsum, ipsa forma rei qua res habet ipsum *esse*. Et ultimo, ipsa materia quae, licet sit fundamentum in re, inter omnia ab ipso tamen *esse* rei magis distat. Cui propinquissimum est ipsa res ut cuius est, cum per rem insit et formae et materiae ; nisi in homine, ubi *esse* formae communicatur toti ; et illud *esse* est formae a qua est, quia ipsa est principium ipsius *esse* ; et ultimo est ipsius materiae ut eius in quo recipitur. »

d) *De pluralitate formarum* : « *Esse* per se consequitur formam immediatius etiam quam prima passio suum subiectum proprium : *esse* enim est actualitas formae. Quod autem per se consequitur aliquid, non potest auferri per naturam, ipso manente ; unde nec propria passio potest separari per naturam a suo subiecto, dum subiectum manet. »

Sexto : **Esse consequitur per se et necessario formam, supposito tamen influxu Dei.** — *a*) I. q. 9. a. 2. : « Sicut autem ex voluntate Dei dependet quod res in *esse* producit, ita ex voluntate eius dependet quod res in *esse* conservat. Non enim aliter eas in *esse* conservat, quam semper eis *esse* dando... Sicut igitur in potentia creatoris fuit, ut res essent in seipsis, ita in potentia creatoris est, postquam sunt in seipsis, ut non sint. Sic igitur per potentiam quae est in altero, sc. in Deo, sunt mutabiles, in quantum ab ipso ex nihilo potuerunt produci in *esse*, et de *esse* possunt reduci in *non esse*... Substantiae vero incorporeae, quia sunt ipsae formae subsistentes,

quae tamen se habent ad *essè* ipsarum sicut potentia ad actum, non compatiuntur secum privationem huius actus ; quia *esse* consequitur formam, et nihil corrumpitur nisi per hoc quod amittit formam. Unde in ipsa forma non est *potentia ad non esse*. Et ideo huiusmodi substantiae sunt immutabiles et invariabiles secundum *esse*. »

b) I. q. 104. a. 1. ad 1. : « *Esse* per se consequitur formam creaturae, supposito tamen influxu Dei ; sicut lumen sequitur diaphanum aëris, supposito influxu solis. Unde *potentia ad non esse* in spiritualibus creaturis et corporalibus coelestibus magis est in Deo, qui potest subtrahere suum influxum, quam in forma vel materia talium creaturarum. »

Corollaria.

1^{um} Iuxta suprapositam D. Thomae doctrinam, *tota essentia rei intelligitur ut principium susceptivum ipsius esse*. Comparatur enim essentia rei creatae ad *esse* sicut potentia ad actum. Tota ergo substantia rei sive substantia praeintelligitur ipsi *esse*.

2^{um} *Esse* autem rei est aliud ab essentia sive substantia eius ; *esse* enim est sicut lux ; substantia vero, vel saltem pars substantiae quae est forma, est sicut diaphanum ; nam sicut diaphanum est aëri principium lucendi, forma substantialis est complementum substantiae corporeae, cuius actus est ipsum *esse*. Forma facit materiam subiectum proprium essendi, sicut diaphanum facit aër subiectum proprium luminis. Et sicut esse lucidum actu non est de substantia aëris, sic etiam nullius substantiae creatae *esse* est sua substantia.

3^{um} Si autem forma est subsistens, ipsa sola est proprium susceptivum ipsius *esse ;* et tenet locum potentiae primae seu primi subiecti respectu ipsius *esse*, quod est primus et proprius actus illius ; unde resultat compositio ex duobus : ex forma participante *esse*, et *esse* participato.

4^{um} *Esse*, quod est actus formae subsistentis vel totius essentiae rei existentis, non est intelligendum quod sit

aliquid superadditum ad modum accidentis, sed *quasi constituitur per principia essentiae*. Attamen ipsum *esse* rei, quamvis sit quasi constitutum per principia essentialia eiusdem rei, impossibile est quod sit causatum tantum ex principiis essentialibus rei ; quia nulla res sufficit ad hoc quod sit sibi *causa essendi*, si habeat *esse* causatum. Unde quod causatur et quod in *esse* constituitur, nec est *esse* solum nec solum substantia vel principia essentialia rei, sed compositum ex essentia et *esse*. Quapropter D. Thomas, *Quodl.* 3. a. 1. « Omne enim quod est actu, vel est ipse actus, vel est potentia participans actum. »

5^{um} Igitur ad constitutionem entis creati requiruntur duo : potentia participans actum, et ipse actus participatus ; substantia et *esse* quod est complementum substantiae existentis ; forma subsistens et *esse* quo subsistit ; principia essentialia rei et *esse* quod est complementum omnis formae. *Esse* namque subsistens per se est actus purus ; et non est nisi Unum tantum, quod est Deus.

6^{um} Forma est respectu materiae, quod est figura respectu quantitatis. Per figuram enim, quae consistit in terminatione quantitatis et quae est quasi quaedam forma circa quantitatem, materia corporis seu ipsum corpus recipit quoddam *esse* accidentale ; et tale *esse* per se quidem inest tali formae ; sic per formam circuli, qua terminatur aes, aes accipit *esse rotundum*, quod quidem *esse* per se concomitatur formam circularem de necessitate et semper et inseparabiliter. Simili modo in ordine entitativo substantiali, forma est quasi terminus materiae, disponens ac perficiens eam ad recipiendum *esse*, quod est actus formae ; et qualis est forma, tale erit *esse ;* et *esse* non amittitur nisi amittatur forma. Unde nulla res amittit suum *esse* nisi per separationem formae a materia.

7^{um} *Esse* est actus formae ; et forma est actus materiae ; sed actuat materiam per suam propriam entitatem formalem, et sic est causa formalis essendi materiae ; et tale *esse* specificatum est quod dicitur *effectus formalis* in materia. Unde I. q. 42. a. 1. ad 1. : « Primus autem effectus formae est *esse ;* nam omnis res habet *esse* secundum suam formam. Secundus

autem effectus est operatio ; nam omne agens agit per suam formam. » Et *II. Sent.* dist. 15. q. 3. a. 1. ad 5. : « *Esse* rei consequitur principia essentialia, sicut operatio virtutem. » Unde respectu talis *esse*, quod anima dat corpori in quantum facit ipsum actu animatum, quod est dare ei complementum naturae et speciei, forma habet causalitatem activam et formaliter efficientem, quemadmodum ad operationem agit per suam virtutem [1].

8^um^ Verumtamen respectu *esse*, quod est complementum formae, forma non habet nisi rationem potentiae subiectivae, rationem proprii susceptivi ipsius *esse*. Quapropter D. Thomas, *De Anima*, a. 14. ad 4. : « Esse comparatur ad formam sicut per se consequens ipsam ; non autem sicut effectus ad virtutem agentis, ut, puta, motus ad virtutem moventis. » Si qua tamen causalitas attribuenda est formae, erit causalitas materialis et veluti dispositiva, qualis est in recipiente relate ad receptum, in participante ad participatum, in propria potentia ad proprium actum ; quemadmodum diaphaneitas ad lumen suscipiendum. Dantur quidem et in hoc diversi gradus perfectionis et nobilitatis in participando et recipiendo ipsum *esse*, qui sunt diversi gradus nobilitatis ac perfectionis in ipsis formis. Formae enim sunt sicut numeri et sicut figurae geometricae. Quamobrem D. Thomas, *De Pot.* q. 5. a. 4. ad 1. : « Quantum unicuique inest de forma, tantum inest ei de virtute essendi. »

9^um^ Sed huiusmodi potentia quae est forma, ita est propria susceptiva actus qui est *esse*, ut nullo modo sit potentia ad oppositum. In hoc enim stat ratio propria formae, ut sit *potentia determinata ad unum ;* et ita se habeat ad *esse*, ut de se, ratione sui, ipsa manente, *esse* sequatur illam de necessitate et semper et inseparabiliter. Unde forma consequitur *esse*, et *esse* consequitur formam, etsi etiam forma non sit ipsum *esse*. Sunt enim ad invicem actus et potentia inseparabiles secundum propriam rationem utriusque. Est hoc quod D. Thomas declarat, dum ait : « Proprium suscep-

[1] III. q. 17. a. 2. ad 4. — Vide CAIETANI *Comment.* ibid. et in I. q. 76. a. 1. « Quemadmodum, etc. »

tivum alicuius actus ita comparatur ut potentia ad actum illum, quod nullo modo est in potentia ad oppositum ; sicut ignis ita comparatur ad calorem ut potentia ad actum, quod nullo modo est in potentia ad frigus. » Et rursum : « Substantiae quae sunt ipsae formae, numquam possunt privari *esse;* sicut si aliqua substantia esset circulus, numquam posset fieri non rotunda. » Et I. q. 90. a. 2. ad 1. : « In anima est, sicut *materiale*, ipsa simplex *essentia; formale* autem in ipsa est *esse* participatum, quod quidem ex necessitate simul est cum *essentia* animae ; quia *esse* per se consequitur ad formam. »

IV

Entia contingentia et necessaria in essendo.

Primo : **Tertia via ad demonstrandam existentiam Dei.** *a*) Tertia via ex quinque, quibus Deum esse demonstrative probari potest, est sumpta ex *possibili* et *necessario*. Per illam ascendens Angelicus Doctor, I. q. 2. a. 3., pervenit ad necessitatem ponendi « aliquid quod sit per se Necessarium, non habens causam necessitatis aliunde, sed quod est causa necessitatis aliis : quod omnes dicunt *Deum*. »

b) Deinde, q. 3. a. 4., ex hoc quod per se necessarium non habet causam nec sui *esse* nec suae necessitatis in essendo, concludit quod de ratione Entis per se necessarii in essendo est identitas essentiae et *esse*. Substantia vel natura entis per se necessarii est suum ipsum *esse* subsistens.

c) Postea, q. 11. a. 3. concludit quod ens necessarium, non habens aliunde causam suae necessitatis in essendo, non potest esse nisi *Unum* tantummodo. Unde etiam *I. C. Gent.* cap. 22. : « Unumquodque est per suum *esse*. Quod igitur non est suum *esse*, non est per se *necesse esse*. Deus autem est per se *necesse esse ;* ergo Deus est suum *esse*. » Atque ibid. cap. 42. : « Eius quod est necesse esse, sua quidditas est suum *esse*... Non est ergo possibile ponere plura,

quorum quodlibet sit necesse esse per seipsum... *Esse* proprium cuiuslibet rei est tantum unum. Sed Deus est *esse* suum. Impossibile igitur est esse nisi unum Deum. »

d) Denique, I. q. 44. a. 1. concludit Ens necessarium per se, non habens causam suae necessitatis aliunde, esse Primam Causam efficientem omnium entium quae sunt vel possunt esse necessaria in essendo, non tantum in quantum sunt, verum etiam in quantum sunt tali modo, videlicet necessario. Etenim « necesse est dicere omne ens, quod quocumque modo est, a Deo esse. »

SECUNDO : **Omnia entia creata, necessaria in essendo, sunt necessaria per participationem ; et, absolute loquendo, possunt non esse, non tamen per corruptionem, sed per anihilationem.** — Ut ex professo declaratur I. q. 9. a. 2., solus Deus est omnino immutabilis ; quia solus Deus est Ens per essentiam et non habet causam sui *esse* nec suae necessitatis in essendo ; et eius, quod est *necesse esse*, sua quidditas est suum *esse ;* et ipsa necessitas essendi est essentia eius. Unde Deus non solum est aeternus, sed est sua aeternitas et sua immutabilitas in essendo et in operando, cum essentia sua sit suum *esse*, et suum *esse* sit suum agere, et suum agere sit suum intelligere et suum velle. Omnia vero alia, etiam quae dicuntur *necessaria in essendo*, per potentiam quae est in Deo, sunt mutabiles, in quantum ab ipso Deo ex nihilo potuerunt produci in *esse*, et de *esse* possunt reduci in *non esse*. Sicut enim ex voluntate Dei dependet quod res necessarias in essendo produxit, ita ex voluntate eius dependet quod huiusmodi res in *esse* necessario permaneant ; nam Deus non aliter res in *esse* conservat, quam semper eis *esse* dando ; quapropter, si Deus suam actionem subtraheret, non influendo *esse*, omnia in nihilum redigerentur. Ergo necessaria, habentia causam efficientem suae necessitatis in essendo, sunt necessaria per participationem ; sicut entia habentia causam sui *esse*, sunt per participationem entia. Unde, absolute loquendo, necessaria entia possunt desinere *esse*, possunt in nihilum redigi ; non tamen possunt corrumpi. Sunt quidem et dicuntur *necessaria*, quia nulla in eis est *potentia* ad *non esse*, nec ulla

potentia activa in agentibus creatis ad auferendum ab eius essentiis actum existentiae.

TERTIO : **Quod entia necessaria creata possint simpliciter non esse, provenit, tamquam ex prima radice, ex reali compositione essentiae et esse.** — Triplex ratio huius possibilitatis affertur a D. Thoma, *De Pot.* q. 5. a. 3., quarum :

1ª *Sumitur ex intrinsecis constitutivis entis creati.* — « Creaturas autem simpliciter non esse, non est in se impossibile, quasi contradictionem implicans ; alias ab aeterno fuissent. Et hoc ideo est, quia non sunt suum *esse;* ut sic cum dicitur : *Creatura non est omnino,* oppositum praedicati includatur in definitione, ut sic dicatur : *Homo non est animal rationale;* huiusmodi enim contradictionem implicant et sunt secundum se impossibilia. »

2ª *Ex libera voluntate Dei Creatoris.* — « Similiter Deus non producit creaturas ex necessitate naturae, ut sic potentia Dei determinetur ad *esse* creaturae, ut in alia q. 3. a. 21. est probatum. »

3ª *Ex hoc quod Deus dat bona creaturis, sed bonorum creaturarum non indiget.* — « Similiter etiam nec bonitas Dei a creaturis dependet, ut sine creaturis esse non possit ; quia per creaturas nihil bonitati divinae adiungitur. Relinquitur ergo, quod non est impossibile Deum res ad *non esse* reducere, cum non sit necessarium eum rebus *esse* praebere nisi ex suppositione suae ordinationis et praescientiae ; quia sic ordinavit et praescivit, ut res in perpetuum in *esse* teneret. »

QUARTO : **Quod entia necessaria creata habeant necessitatem essendi, hoc est eis a Deo ; sed tamen huiusmodi necessitas essendi oritur, tamquam ex propria ac immediata causa, ex ipsamet reali compositione formae subsistentis et ex esse quod est complementum formae et quo forma subsistens subsistit.**

a) Ratio quare necessitas essendi est entibus necessariis a Deo. — Quoniam solus Deus est ens per se necessarium, non habens causam suae necessitatis in essendo, et est causa tam essendi quam modi essendi omnibus quae sunt, quo-

cumque modo sint. Unde, quamvis ipsis rebus creatis secundum suam naturam competat necessitas essendi, possibilitate non essendi ab earum natura sublata, « nec tamen per hoc removetur quin necessitas sit eis a Deo ; quia unum necessarium alterius causa esse potest, ut dicitur *V. Metaph.* » (*De Pot.* q. 5. a. 5. ; I. q. 44. a. 1. ad 2.)

b) *Ratio quare realis compositio formae subsistentis et esse est causa immediata atque intrinseca rebus suae necessitatis in essendo.* — Haec quidem ratio radicitus declaratur a D. Thoma per quatuor argumenta supra ad litteram transcripta, quorum tertium complet primum, et quartum secundum. Primum itaque, cuius complementum est tertium, fundatur in hac propositione : *Esse per se consequitur ad formam*, sive : *esse per se competit formae.* Et quoniam quod per se alicui competit, de necessitate et semper et inseparabiliter ei inest, statim legitima adest consequentia : *Esse inest substantiis creatis, quae sunt ipsae formae subsistentes, de necessitate et semper et inseparabiliter.* Unde omnes substantiae intellectuales, ut angeli et animae humanae, cum sint formae subsistentes, sunt incorruptibiles, eo quod in formis subsistentibus in *esse* suo non est *possibilitas ad non esse.* Angeli ergo et animae rationales sunt entia necessaria in essendo. En argumentum, omnium argumentorum princeps, ad ostendendum quod angeli et animae humanae possident intrinsece in suis propriis naturis *necessitatem essendi*, seu perpetuam immortalitatem ; etenim, cum vivere in viventibus sit *esse*, necessitas essendi est necessitas vivendi in perpetuum, sine fine, absque termino a parte post.

Profundum certe argumentum, quod D. Thomas illustrat per exemplum *formae* et *esse* in linea accidentis ! Figura circularis, quae consistit in terminatione quantitatis sic et non alio modo, est *quaedam forma* circa quantitatem ; et ad hanc formam sequitur per se, de necessitate et inseparabiliter, *esse rotundum*, quod est quoddam *esse accidentale*, quod minime potest separari a *forma* circuli, quae consistit in determinata figura quantitatis. Ita pariter, et servata proportione servanda, in linea substantiae ad omnem formam sequitur *esse*, et ad hanc et talem formam hoc et tale

esse quod est actus formae atque eiusdem complementum ; et sequitur semper et de necessitate et inseparabiliter ; idcirco, si substantiae rerum sunt ipsae formae subsistentes, numquam possunt privari *esse*.

Ratio autem inseparabilitatis inter formam et *esse* quod per se consequitur ad formam, est ipsamet ratio compositionis ex forma et *esse* quod complet formam subsistentem in suo proprio *esse*. Qualis vero sit huiusce compositionis ratio, declaratur per argumentum tertium. Est quidem compositio potentiae et actus ; at forma subsistens ita est potentia essendi, quod est proprium susceptivum ipsius *esse ;* proprium autem susceptivum alicuius actus ita comparatur ut potentia ad actum illum, quod nullo modo est in potentia ad oppositum ; sicut ignis ita comparatur ad calorem ut potentia ad actum, quod nullo modo est in potentia ad frigus. In compositione ergo formae subsistentis et *esse*, forma est quidem realis et subiectiva potentia, sed potentia determinata ad unum, potentia se habens ad *esse*, et nullo modo potentia ad oppositum. Ideoque *ultimum quare* ad explicandam inseparabilitatem in compositione formae et *esse*, est differentia inter quidditatem formae et quidditatem materiae per ordinem ad *esse*. Utraque enim est potentia ad *esse ;* attamen forma non est sicut materia quae ex hoc, quod est potentia ad formam, se habet ad *esse* et ad *non esse;* sed forma consequitur *esse*, etsi etiam non sit ipsum *esse*.

Unde D. Thomas, *De Pot.* q. 5. a. 3. : « Potentia enim ad *esse* et *non esse* non convenit alicui nisi ratione materiae, quae est pura potentia. Materia etiam, cum possit esse sine forma, non potest esse in potentia ad *non esse*, nisi quatenus existens sub una forma est in potentia ad aliam formam. Dupliciter ergo potest contingere, quod in natura alicuius rei non sit possibilitas ad *non esse*. Uno modo per hoc, quod res illa sit forma tantum subsistens in *esse* suo, sicut substantiae incorporeae, quae sunt penitus immateriales. Si enim forma ex hoc quod inest materiae, est principium essendi in rebus materialibus, nec res materialis potest *non esse* nisi per separationem formae ; ubi ipsa forma in *esse* suo subsistit, nullo modo poterit non esse ; sicut nec *esse* potest a

seipso separari. Alio vero modo per hoc, quod in materia non sit potentia ad aliam formam, sed tota materiae possibilitas ad unam formam terminetur ; sicut est in corporibus coelestibus, in quibus non est formarum contrarietas. Illae ergo solae res in sua natura possibilitatem habent ad *non esse*, in quibus est materia contrarietati subiecta. »

Haec est igitur ratio inseparabilitatis inter formam et *esse*, quia *tota formae possibilitas* terminatur ad unum *esse*, cuius forma est proprium susceptivum ; idcirco *esse*, quod per se consequitur ad formam et comparatur ut proprius actus eius, ab ea est inseparabilis nec potest removeri ab ea. Quod Angelicus Doctor sic adhuc magis declarat, *De anima* a. 14. : « Manifestum est autem, quod *esse* per se consequitur formam ; unumquodque enim habet *esse* secundum propriam formam ; unde *esse* a forma nullo modo separari potest. Corrumpuntur igitur composita ex materia et forma per hoc quod amittunt formam ad quam consequitur *esse*. Ipsa autem forma per se corrumpi non potest ; sed per accidens, corrupto composito, corrumpitur, inquantum deficit *esse* compositi, quod est per formam, si forma sit talis quae non sit habens *esse*, sed sit solum quo compositum est. Si ergo sit aliqua forma quae sit habens *esse*, necesse est illam formam incorruptibilem esse ; non enim separatur *esse* ab aliquo habente *esse* nisi per hoc quod separatur forma ab eo. Unde si id quod habet *esse*, sit ipsa forma, impossibile est quod *esse* separetur ab eo. »

Quinto : **Solutio obiectionis Avicennae. — Sed si forma subsistens, et esse quo subsistit, faciunt realem compositionem : ergo poterunt separari ; ergo forma poterit amittere esse, sicut materia potest amittere formam.** — Ita opinabatur Avicenna, qui ex reali compositione essentiae et *esse* in omnibus, praeter Deum, inferebat quod omnis forma, etiam subsistens, quantum de sua natura est, habebat possibilitatem ad *non esse*. *De Pot.* q. 5. a. 3. : « Avicenna namque posuit *VIII. Metaph.* cap. 6., quod quaelibet res, praeter Deum, habebat in se possibilitatem ad *esse* et *non esse*. Cum enim *esse* sit praeter essentiam cuiuslibet rei creatae, ipsa

natura rei creatae, per se considerata, possibilis est ad *non esse;* necessitatem vero essendi non habet nisi ab alio, cuius natura est suum *esse* ; et hoc Deus est. »

Ad quod respondet ipse D. Thomas per secundum et quartum argumentum ex quatuor supra allatis. Utique, etiam substantiae intellectuales, seu formae subsistentes in suo proprio *esse*, componuntur ex duobus, nempe : ex substantia et ex eo quod adhaeret substantiae ut actus eius ; ex forma participante *esse*, et ex *esse* participato quod est ipsius formae complementum. Sed ex huiusmodi compositione ostendit Angelicus Doctor omnes substantias seu intellectuales naturas esse *incorruptibiles*. Quare ? Quia in omni corruptione, remoto actu, manet potentia ; non enim corrumpitur aliquid in omnino *non ens ;* unde in substantiis corruptibilibus materia prima, quae tenet locum primae potentiae et primi subiecti, est incorruptibilis. Iam vero subiungit D. Thomas : « In substantiis intellectualibus actus est ipsum *esse ;* id vero quod tenet locum potentiae primae et subiecti, est ipsa earum substantia completa. Si igitur substantia intellectualis corrumpatur, remanebit post suam corruptionem, quod est omnino impossibile. » Unde Angelicus Doctor, ex hoc ipso quod in substantiis intellectualibus differunt *id quod est* et *esse*, et ex hoc perinde quod in omni substantia intellectuali sunt *duo*, sc. substantia ipsa et *esse* eius quod est complementum substantiae existentis, legitime infert et deducit, quod omnes intellectuales naturae sunt incorruptibiles. Quapropter quatuor argumenta ex visceribus rerum deprompta, quibus D. Thomas, *II. C. Gent.* cap. 55. demonstrat substantias intellectuales esse incorruptibiles, fundantur supra doctrinam philosophicam de reali compositione substantiae et *esse* in omnibus rebus creatis, quam immediate antea, *II. C. Gent.* cap. 52., 53. et 54. ex professo a radice explicaverat.

Substantia completa et actus eius, forma subsistens et *esse*, faciunt realem compositionem : ergo non sunt idem ; ergo sunt duo ; ergo poterunt separari. — Absolute loquendo, possunt separari ; at nonnisi per subtractionem illius divini influxus seu virtutis, qua Deus, causa fiendi et essendi

rerum omnium, dum dat *esse* rebus, producit simul *id* quod *esse* recipit. Per subtractionem ergo illius divinae virtutis, qua forma subsistens et *esse*, quo subsistit, coniunguntur, possunt certe separari ; sed tunc intellectuales naturae non corrumperentur, sed in nihilum redigerentur.

Sexto : **Solus Deus est immortalis per essentiam ; naturae vero vel substantiae intellectuales creatae sunt immortales per participationem.** — 1° « Esse per se consequitur ad formam ; per se enim dicimus, quod secundum ipsum ; unumquodque autem habet *esse* secundum quod habet formam... Quod per se alicui competit, de necessitate et semper et inseparabiliter ei inest ; sicut rotundum per se quidem inest circulo, per accidens autem aëri. » (*II. C. Gent.* cap. 55.) « Omne enim quod alicui convenit, non secundum quod ipsum est, per aliquam causam convenit ei, sicut album homini ; nam quod causam non habet, primum et immediatum est ; unde necesse est, quod sit per se et secundum quod ipsum... Quod enim de aliquo secundum quod ipsum dicitur, ipsum non excedit ; sicut habere tres angulos duobus rectis aequales non excedit triangulum de quo praedicatur, sed est eidem convertibile. Si igitur aliquid duobus conveniat, non convenit utrique secundum quod ipsum est. Quod alicui convenit ex sua natura et non ex aliqua causa, minoratum in eo et deficiens esse non potest. » (*II. C. Gent.* cap. 15.)

2° In substantiis intellectualibus seu formis subsistentibus creatis : *Esse per se consequitur formam : a*) supposito tamen influxu Dei, sicut lumen sequitur diaphanum aëris, supposito influxu solis ; *b*) quia est actus primus et immediatus formae ; quia, cum sit actualitas ipsius formae, immediatius adhuc sequitur illam quam prima passio suum subiectum proprium ; *c*) quia convenit formae secundum quod ipsa est, et non per *aliquam causam formalem ;* ac perinde convenit tamquam quid primum et immediatum ei ; *d*) quia forma est proprium susceptivum ipsius *esse*, et est potentia determinata ad *esse*, et comparatur proinde ut potentia ad actum essendi, ita quod nullo modo est in potentia ad oppositum ; *e*) quia, supposita causa efficiente, ad cuius influxum

forma recipit *esse*, et *esse* recipitur in forma, resultat talis compositio ex forma participante *esse* et ex *esse* participato per formam, ut neque *esse* excedit rationem formae, nec ratio potentialis formae se habet ad oppositum, sed ita adaequantur ad invicem tamquam propria potentia et proprius actus, ut *esse* insit formae de necessitate et semper et inseparabiliter ; et nullo modo talis compositio dissolvi potest per separationem ab invicem, nisi cessante virtute causae primae quae est causa essendi, et quae simul, dans *esse*, producit formam quae *esse* recipit et in suo *esse* subsistit. Quamobrem naturae intellectuales creatae sicut habent Deum causam sui *esse*, habent ipsum Deum causam suae necessitatis in essendo ; et quemadmodum sunt *entia necessaria per participationem*, sic sunt quoque per *participationem immortales*.

3° In Deo autem *Esse per se consequitur formam* : *a*) quia, cum in Deo non sit aliud *esse* et aliud essentia, forma Dei est ipsum suum *esse* subsistens ; et solius Dei *esse* est sua substantia vel natura [1].

b) Quia convenit Deo secundum quod ipse est, et Deus non habet *esse* causatum ; unde non modo excludit causam formalem sui *esse*, sed etiam causam efficientem et influentem *esse*, cum ipse nullam habeat causam essendi et sit causa essendi omnibus. Atque ita in Deo *esse* non potest esse minoratum et deficiens, quoniam Deo convenit *esse* ex sua natura, et non ex aliqua causa ; et *esse* est eidem convertibile ; nam *esse* Dei est Deus, et Deus est suum *esse* [2].

c) Quia *esse* in Deo non inest formae vel naturae quae sit aliud ab eo, sed est « esse per se stans » ; et « aeternitas est idem cum substantia aeterni » ; et « ipsa necessitas essendi est essentia eius » ; et « eius quod est necesse esse, sua quidditas est suum *esse* » ; et Deum non esse est in se impossibile, quasi contradictionem implicans ; et hoc ideo est, quia

[1] I. q. 3. a. 4. ; q. 7. a. 1. ; q. 13. a. 11.
[2] I. q. 2. a. 3. ; q. 3. a. 4. ; q. 44. a. 1.–4.

est suum *esse* ; et praedicatum est idem cum subiecto ; nam essentia Dei est *esse* [1].

Unde sicut solus Deus est ens per essentiam, solus Deus est per essentiam Immortalis : *Qui solus habet immortalitatem*, ut ait Apostolus, I. *Tim.* 6, 16.

Atque horum omnium suprema ratio indicatur a D. Thoma, *De Verit.* q. 3. a. 1. ad 8. : « Sicut Deus, quia non potest *non esse*, non indiget essentia quae sit aliud quam suum *esse*, ita, quia non potest deficere in cognoscendo vel operando, non indiget alia regula a seipso ; sed propter hoc non potest deficere, quia ipse est sui ipsius regula ; sicut propter hoc non potest *non esse*, quia sua *Essentia* est suum *Esse*. »

[1] I. q. 2. a. 1. et q. 3. a. 4. — *I. C. Gent.* cap. 22. et 42. ; *II. C. Gent.* cap. 15. et 52. — *Quodl.* 10. a. 4. ad 4.

CAPUT OCTAVUM

Ex identitate esse et essentiae in Deo ac reali utriusque compositione in omnibus aliis quae sunt praeter Deum, oriuntur et manifestantur profunditas simul atque unitas harmonica quae splendide fulgent in doctrina philosophica D. Thomae.

I

Ordo ontologicus rerum.

§ 1.

Actus purus omnino in linea essendi.

Primo : **Natura Dei est ipsamet natura essendi.** — Invenitur enim in omnibus rebus *natura entitatis*, in quibusdam magis nobilis, in quibusdam minus ; ita tamen, quod ipsarum rerum naturae non sunt hoc ipsum *esse* quod habent ; alias *esse* esset de intellectu cuiuslibet quidditatis, quod falsum est, cum quidditas cuiuslibet rei possit intelligi etiam non intelligendo de ea *an sit*. Unde oportet, quod ab aliquo *esse* habeant ; ac perinde oportet devenire ad aliquid, cuius *natura* sit ipsum suum *esse*. Illud igitur verissime et primo dicitur *Ens*, cuius *esse* est ipsum *quod est;* quia omne *esse* eius est non receptum, sed per se subsistens. Alia autem entia dicuntur per posterius, in quantum aliquod *esse* participant quod non est idem quod ipsa sunt ; et haec procedunt usque ad ultima entium. Ab ultimis itaque entium per viam diversimode participantium *esse* ascendendo, necesse est pervenire ad aliquid cuius substantia est ipsa natura

essendi, videlicet Deum, cuius essentia est ipsum Esse Subsistens [1]. Ideoque :

SECUNDO : **Esse est maxime proprium nomen Dei.** — Quia Dei solius proprium est, quod sua substantia non sit aliud quam suum *esse*. Unumquodque enim denominatur a sua forma ; forma autem Dei est ipsum suum *esse*. Talis autem forma, quae est ipsum suum *esse* et non recipitur ab aliquo priori nec communicatur alicui posteriori, solus Deus est. Et ideo ipse solus est infinitus absolute et omnibus modis ; ipse solus omnino simplex, et maxime unus ; et ipse solus per ipsam suam puritatem individuatur et est *Esse* distinctum ab omni *esse*. Et quia essentia Dei est suum *esse*, non accipit *esse* per supposita in quibus est ; sed *esse* aequaliter respicit naturam et rem naturae ; et in Deo solum idem est *esse* et natura et suppositum omnibus modis ; ipsumque divinum *esse* est ipsius Dei existentis substantia. Primum itaque principium, omnium rerum effectivum, qui est Deus, est secundum universalem modum essendi, cum habeat essentiam quae est ipsum *esse* subsistens. Unde et perfectiones vel nobilitates, quae sunt in omnibus generibus, habet modo excellentiori omnibus rebus ; quia in eo omnes unum sunt, sed in aliis diversitatem habent [2].

TERTIO : **Identitas ergo substantiae et esse constituit notam characteristicam qua Deus differt a creaturis.** — Ea namque quae ad essentiam divinam pertinent, quaeque lumine naturae cognosci possunt, reducuntur ad illa quinque praedicata, in quibus finem accipiunt *viae* illae quinque [3] inchoatae ex parte motus, ex parte effectus, ex contingentia rerum, ex diversis rerum gradibus atque ex rerum inanima-

[1] I. q. 2. a. 3. *via quarta ;* q. 3. a. 4. ; q. 45. a. 5. ad 1. — *II. Sent.* dist. 1. q. 1. et dist. 37. q. 1. a. 2. — *De Ente et Essent.* cap. 5.

[2] I. q. 4. a. 2. ; q. 13. a. 11. — *I. C. Gent.* cap. 22. et *III.* cap. 20. — *De Ente et Ess.* cap. 6. — *I. Sent.* dist. 2. q. 1. a. 3. et dist. 4. q. 1. a. 1. ad 2. — *De Pot.* q. 2. a. 1. — *De nat. angelor.* cap. 6.

[3] I. q. 2. a. 3.

tarum operatione ad finem ordinata. Per has quippe vias vere concluditur inveniri in rerum natura quaedam praedicata essentialia, quae secundum veritatem ita sunt propria Dei, ut aliis rebus communicari non valeant. Existere enim in termino illarum viarum primum movens immobile, primam causam efficientem, primum necessarium, maximum ens, primum intelligens, argumenta illa valent certe demonstrare. Unum tamen adhuc non rigorose, id est, immediate ac explicite ostendunt, nimirum *quomodo* vel *qualiter* sit illud movens, et causans, et mensurans, et ordinans cuncta creata in suo *esse* ac operari. Hoc autem fit a D. Thoma in subsequentibus quaestionibus usque ad tractatum de *Deo Trino*. Radix itaque omnium quae ab Angelico Doctore traduntur in sua prima consideratione de *Deo Uno*, continentur virtualiter et initiative in articulo tertio secundae quaestionis ; ita ut ceterae quae subsequuntur quaestiones nihil sunt aliud nisi explanationes quinque illarum *viarum*, quibus Deum demonstrative probari potest. Atque aurea clavis ad has quinque vias explanandas lateque adaperiendas porrigitur a D. Thoma in articulo quarto tertiae quaestionis, dum multipliciter ostendit impossibile esse quod *in Deo sit aliud esse et aliud essentia eius*. En secretum ad inveniendum *quomodo sit* vel potius *quomodo non sit* illud movens, illud causans, illud necessarium, illud maxime ens, illud intelligens ! En scientificum fundamentum integri tractatus de *Deo Uno !* En lapis angularis omnium postea dicendorum de divinis perfectionibus, videlicet identitas essentiae et existentiae in Deo !

Illud ergo *Primum Movens*, quod a nullo movetur, et quod omnes intelligunt *Deum*, dum omnia movet, debet esse omnino immutabile, firmiter et quiete se habens in essendo et in operando, suaque ipsiusmet duratio, suaque aeternitas, interminabilem vitam totaliter ac simul possidens : quoniam *impossibile est, quod in Deo sit aliud esse et aliud essentia eius*.

Illa *Prima Causa* efficiens, quam omnes *Deum* nominant, oportet ut sit causa nullo modo causata, sed continens in sua propria essentia radicem ac rationem sufficientem suae propriae existentiae ; causa infinitae virtutis, totaliter actus,

secundum se totam agens, potens producere suos effectus secundum totam eorum entitatem ; et unde omnis alia virtus agendi originem ducat, et sine cuius immediato influxu nihil possit fieri, et a qua omne ens, quomodocumque sit, procedat et causetur : quoniam *in Deo non est aliud esse et aliud eius essentia.*

Illud per se *Necessarium*, quod omnes dicunt *Deum*, ita debet esse necessarium, ut et aliis conferat necessitatem, quam contingentiae mixtam participant ; nullaque potentia illi competat nisi potentia absolute et integre activa, quae sit unum cum actu puro ; atque in illo *posse esse* et *actualiter esse* prorsus identificetur ; ac formaliter possideat in entitate ipsa propriae naturae necessitatem existendi, ita ut ipsius essentia sit *necesse esse* : quoniam *in Deo non est aliud esse et aliud essentia eius.*

Illud maxime *Ens*, quod omnibus entibus est causa essendi et bonitatis et cuiuslibet perfectionis, quodque dicimus *Deum*, debet omni quidem simplicitate gaudere ; habere *esse* omnium rerum effective et exemplariter ; nullaque carere nobilitate quae in aliquo genere inveniatur. Ei oportet competere totam rationem boni et appetibilis ; ab eo effluere, sicut a suo proprio fonte, omnes perfectiones desideratas ; in eo essentialiter atque excellentissimo modo omne quod est, in quantum est, eminere ; esse sine limite simpliciter perfectum et infinitum ; esse in omnibus rebus, dans eis *efficienter* vitam et inspirationem et omnia ; esse maxime unum, maximeque proinde indivisum in se et divisum ab aliis ; non habere *esse* determinatum per aliquam naturam cui adveniat, sed habere pro forma et natura ipsum *Esse Subsistens* ; et, velut pelagus substantiae infinitum, nominari maxime proprio nomine *Qui est* : quoniam *in Deo non est aliud esse et aliud essentia eius.*

Denique tandem, illud *Intelligens*, a quo omnes res naturales ordinantur in finem, et quod dicimus *Deum*, debet esse in summo cognitionis ; non perfici per intelligibile, neque assimilari ei, sed esse suum intelligere ; et seipsum per seipsum et in seipso intelligere omnia. Necesse est intellectum, et intelligens, et id quod intelligitur, et speciem intelligibilem,

et ipsum intelligere, in eo esse omnino unum et idem ; eiusque scientiam esse causam effectivam rerum, secundum quod habet adiunctam voluntatem ; eiusdemque intuitum ferri ab aeterno supra omnia prout sunt in sua praesentialitate ; nihil posse existere quod antea non fuisset in decreto suae voluntatis, quae sua actione diffundit totum ens et omnes differentias entis ; suamque voluntatem adeo esse efficacissimam, ut non solummodo fiant ea quae vult fieri, sed etiam ut eo modo fiant quo ea fieri vult ; eiusque amore infundere et creare bonitatem in ipsis rebus ; atque in suo intellectu praeexistere rationem omnium et singulorum, etiam minimorum ; cunctasque causas suis propriis effectibus per suam voluntatem praefici, et ad illos producendos virtutem dari, conservari et applicari ; omnemque virtutem causarum secundarum nonnisi in virtute ipsius propriis effectibus coniungi. Oportet etiam ipsum omnia et singula ordinare in suos fines, et in omnibus attingere a fine usque ad finem fortiter ac disponere omnia suaviter, et in finem inferiora per superiora conducere propter abundantiam suae bonitatis, cuius omnipotentia parcendo maxime et miserando manifestatur. Opus est demum illud Intelligens per naturam suam esse essentialiter bonum, potens, sanctum, altissimum, ex cuius essentialis beatitudinis participatione res universae consequi valeant id quod est optimum : Quoniam *in Deo essentia et esse sunt idem; ac cum Deus sit ipsum Esse Subsistens, nihil de perfectione essendi potest ei deesse* [1].

§ 2.

Potentia pura omnino in linea essendi.

Primo : **Quid sit materia prima.** — Si Aristotelem audiamus, materia secundum se non est quid, nec quantitas, nec aliquid aliud eorum quibus ens determinatur ; dicitur tamen *primum subiectum* ex quo per generationem substantialem fit aliquid ; et si corrumpitur, in hoc abibit *ultimum*.

[1] I. q. 3. a. 4. et q. 4. a. 2.

Quod S. Augustinus ita ingeniose declarat : « Non aliquid, non color, non figura, non corpus, non spiritus, non tamen omnino nihil. Quiddam inter formatum et nihil ; nec formatum, nec nihil ; informe prope nihil ; informe quiddam, per quod fit transitus de forma in formam. Si dici posset : *Nihil aliquid, quod est et non est,* hoc eam dicerem. » — D. Thomas denique sic eam describit : « Materia est prope rem, et est aliqualiter, quia est in potentia ad rem ; et est aliqualiter substantia rei, quia intrat in constitutionem substantiae. Materia secundum suam substantiam est *potentia ad esse substantiale ;* est *ens in potentia ;* est primum motus et mutationis subiectum ; est primum subiectum stans, non solum motibus qui sunt secundum accidentia, sed etiam mutationibus quae sunt secundum substantiam ; de se est in potentia tantum ; ipsa non est aliquid nisi per formam per quam fit actu [1]. »

Secundo : **Dei et materiae primae opposita praedicata.** — 1° Materia prima est potentia pura in linea essendi, sicut Deus est actus purus. 2° Hoc modo se habet materia prima, quae est *primum recipiens,* ad potentiam passivam, sicut se habet Deus, qui est *primum agens,* ad potentiam activam. Et ideo materia prima est sua potentia passiva, sicut Deus est sua potentia activa. 3° Materiae proprium est in *potentia esse ;* Dei proprium est esse *actus subsistens.* Materiae proprium est esse *primum recipiens ;* Dei proprium est esse *primum agens.* 4° Primum principium materiale est maxime in potentia, maxime imperfectum ; primum principium in genere causae efficientis est maxime in actu, maxime perfectum. 5° Materia prima non potest recipi in alio, quoniam est primum subiectum stans ; Dei nec ulla perfectio potest recipi in alio, tamquam in subiecto, quia in Deo omnia sunt ipsum Esse Subsistens. 6° Deus est *infinitus* ratione suae perfectionis, propter plenitudinem suae entitatis ; materia

[1] *In I. Physic.* lect. 14. — *VII. Metaph.* lect. 2. — *VIII. Metaph.* lect. 1. — *II. C. Gent.* cap. 20. — *De Verit.* q. 3. a. 6. — *Quodl.* 9. a. 6. ad. 3. — S. Aug. *Confess.* lib. 12. cap. 3. et 5.

vero prima dicitur *infinita* ex defectu entitatis, propter suam ipsam indeterminationem. 7° Deus dicitur maxime *unus*, quia est maxime ens ; materia autem prima dicitur *una* per remotionem omnium formarum. 8° Deus est omnino simplex, quia est omnino *esse ;* materia vero prima est omnino simplex, quia maxime distat ab *esse*. 9° Deus est maxime *Ens ;* illud in entibus est extremum distans a Deo, quod est potentia tantum, sc. materia prima. Unde stultissimus est illorum error, qui posuerunt Deum esse materiam primam, cum sint seipsis diversa, utpote actus purus et potentia pura in nullo convenientiam habentes [1].

Tertio : **Materia prima est quidem primum principium materiale rerum, non tamen ex aequo coordinatum Deo, sed ab ipso Deo creatum.** — 1° Quia materia prima est pars essentiae totius substantiae corporeae ; et licet recedat a Dei similitudine secundum suam potentialitatem, tamen, in quantum vel sic esse habet, similitudinem quandam retinet divini *esse*. Unde a Deo, ente per essentiam, oportet quod etiam illud quod se habet ex parte potentiae, sit creatum, si totum, quod ad *esse* entis creati pertinet, creatum est. — 2° Quia materia prima est primum subiectum in effectibus corporeis. Unde oportet, quod sit effectus solius Primae Causae, quae est Deus, causalitate causarum secundarum ad hoc non pertingente [2]. — 3° Quia materia prima habet rationem primae causae materialis ; et ut *potentia pura* omnino in linea essendi, oportet ut reducatur ad Actum Purum, utpote habentem rationem Primi Agentis totius *esse*. Unde Caietanus, profundam D. Thomae doctrinam optime explanans in suis Commentariis in I. q. 75. a. 5. ad 1. ait : « Nota pulchram doctrinam, quod in ordine actuum, qui est ordo causae efficientis, fit reductio ad *unum* numero,

[1] I. q. 4. a. 1. ; q. 3. a. 8. ; q. 7. a. 1. ; q. 11. a. 4. ; q. 115. a. 1. ad 2. — *I. Sent.* dist. 3. q. 4. a. 2. ad 4. — *I. C. Gent.* cap. 26. et *III.* cap. 69. — *De natur. angelor.* cap. 5. — *De Ente et Essent.* cap. 3.

[2] I. q. 44. a. 1. et 2. — *De Verit.* q. 3. a. 6. — *De div. nom.* cap. 4. lect. 2.

a quo omnes alii actus sunt ; in ordine vero potentiae, qui est ordo causae materialis, non fit reductio totius Universi ad unam numero potentiam, sed ad unam potentiam analogia; id est, ad multas potentias ordinatas ad diversos actus, et convenientes inter se proportione ; quia quaelibet se habet ad actum suum ut alia ad suam. Ordo autem inter eas est iuxta ordinem actuum, quorum sunt capaces. Et sic reductio in genere causae materialis tripliciter fieri potest : *a*) omnium eiusdem generis, et sic ad unam numero potentiam ; *b*) totius universi, et sic ad unam analogia ; *c*) ipsarum potentiarum, et sic una non resolvitur in aliam, universaliter loquendo ; quia nec potentia intellectus in potentiam materiae, nec e converso, resolvi potest ; quamvis una inter eas sit infima ordine imperfectionis, puta *materia prima*. Et ratio subtilissima S. Thomae est, quia *potentia* etiam *prima* est intrinseca rei cuius est, et ideo oportet esse diversorum diversa ; *efficiens* vero *primum* nihil est rerum, et ideo stat unum omnium esse. Causa enim materialis est intrinseca ; effectiva vero extrinseca. » Unde ipse D. Thomas, *IV. Sent.* dist. 11. q. 1. a. 3. : « Ipsa materia, quam praesupponit natura, subicitur actioni primi agentis, sc. Dei, a quo hoc ipsum imperfectum *esse*, sc. in potentia, quod habet, accepit ; unde divina operatio pertingere potest ad variationem materiae, ut sc. sicut natura facit *hoc totum* esse *hoc totum*, ut ex toto aëre totam aquam : ita Deus faciat ex *hac materia signata illam*. »

§ 3.

Omnia intermedia inter actum purum qui est Deus, et puram potentiam quae est materia prima, constant actu et potentia in linea essendi.

Primo : **Rerum creatarum duo sunt extrema, unum prope Deum, alterum vero prope nihil.** — S. Augustinus, *XII. Confess.* cap. 6. : « Tu eras, et aliud nihil unde fecisti coelum et terram ; duo quaedam ; unum prope te, alterum prope nihil ; unum, quo superior tu esses ; alterum, quo inferius nihil esset. » Maior tamen distantia interest inter

illud quod Deus fecit prope se et quo Deus solus est superior interque Deum ipsum, quam inter illud quod est prope nihil ac illud quod est prope Deum. Prima enim est distantia infinita, quam pertransire aut complere non est possibile ; alia vero, quantumvis magna, est distantia finita, quam de facto pertranseunt complendo diversi gradus rerum iuxta numerum ac mensuram suarum perfectionum. Quod tradit etiam D. Thomas, *I. Sent.* dist. 44. q. 1. a. 3. ad 4. : « Inter angelos et Deum est infinita distantia ; unde posset Deus facere multos intermedios gradus bonitatis. » Et *IV. Sent.* dist. 5. q. 1. a. 3. : « Non distat in infinitum a *non esse* nisi quod *esse* infinitum habet, sc. Deus ; cui quanto reliqua entia sunt proximiora, tanto magis a *non esse* distant, sicut Augustinus dicit *XII. Confess.* 6. quod angelus factus est prope Deum, materia prope nihil. »

Secundo : **Omnia ergo intermedia componuntur ex essentia et esse, tamquam ex prima potentia et primo actu in linea entis.** — Quod quidem ubique ac constanter docet D. Thomas, evolvens doctrinam Philosophi de potentia et actu *XI. Metaph.* lect. 9. : « Ens dividitur per actum et potentiam. Et hoc est, quod dicit Philosophus, quod entium quoddam est actu, sicut Primum Movens, quod Deus est ; quoddam potentia tantum, ut materia prima ; quoddam potentia et actu, sicut omnia intermedia. » *I. C. Gent.* cap. 43. : « In rebus invenitur aliquid quod est potentia tantum, ut materia prima ; aliquid quod est actus tantum, ut Deus ; aliquid quod est actus et potentia, sicut res ceterae. Sed potentia cum dicatur ad actum, non potest actum excedere, sicut nec in unoquoque, ita nec simpliciter. Cum igitur materia prima sit infinita in sua potentialitate, relinquitur quod Deus, qui est actus purus, sit infinitus in sua actualitate. » *I. Sent.* dist. 8. q. 5. a. 1. et 2. : « Omnis creatura habet *esse* finitum. Sed *esse* non receptum in aliquo, non est finitum, imo absolutum. Ergo omnis creatura habet *esse* receptum in aliquo ; et ita oportet, quod habeat *duo* ad minus, sc. *esse* et *id* quod *esse* recipit... Et hoc modo intelligo in angelis compositionem potentiae et actus, et de *quo est* et *quod est ;*

et similiter in anima. Unde angelus vel anima potest dici quidditas vel natura vel forma simplex, in quantum eorum quidditas non componitur ex diversis ; sed tamen advenit ibi compositio *horum duorum*, sc. *quidditatis* et *esse*. » *De creatura spirit.* a. 1. : « Oportet enim in substantia spirituali creata esse *duo*, quorum unum comparatur ad alterum ut potentia ad actum... Omne igitur quod est post Primum Ens, cum non sit suum *esse*, habet *esse* in aliquo receptum, per quod ipsum *esse* contrahitur ; et sic in quolibet creato aliud est natura rei quae participat *esse*, et aliud ipsum *esse* participatum [1]. »

Tertio : **Realis compositio essentiae et esse constituit notam characteristicam, qua ens per participationem differt ab ente per essentiam, et qua creatura differt a Deo creatore.** — Igitur si identitas *esse* et essentiae constituit rationem supremam et ultimum *quid est quare* in consideratione omnium perfectionum quae ad divinam essentiam spectant : e converso, regredientes iterum per illas *quinque vias* per quas ex creaturis ad Deum Creatorem ascendimus, reperiemus profecto omnia, praeter Deum ipsum qui sedet in summitate viarum, esse magis et minus bona, vera et nobilia ; et habere possibilitatem existendi, et existere iterum desinendi ; et esse omnia ab alio effecta ; et omnia tendere in suos fines, directa ab aliquo intelligente superiori ; et omnia uno vel altero modo moveri ; omneque ens creatum constare actu et potentia reali ; quoniam in omni ente creato existentia distinguitur realiter ab eius essentia. Etenim praeter Deum unum, cuius substantia est suum *esse*, cetera habent actum existendi *alteri inhaerentem*, non seipso subsistentem ; nam *esse* eorum inhaeret alicui formae vel substantiae cuius est actus ; et oportet quod limitetur *esse* illud per aliquid aliud, quod sit aliqualiter causa illius *esse* vel receptivum eius. *Esse* subsistens non potest esse nisi unum tantum, sicut

[1] Vide etiam *Quodl.* 2. a. 3. — *Quodl.* 3. a. 20. — *De Ente et Essent.* cap. 6. — *De nat. angelor.* cap. 5. et 6. — I. q. 50. a. 2.ad 3. ; q. 75. a. 5. ad 4. ; q. 90. a. 2. ad 1. — *De Anima*, a. 6. et alibi passim.

est unum tantum *esse* infinitum et increatum et summe perfectum et per essentiam optimum [1].

Per totam ideo latitudinem ac longitudinem *quinque viarum*, quibus Deum esse demonstrative probari potest, oportet in omnibus, quae sub Primo Ente sunt, necessario inveniri saltem duo elementa realia et realiter distincta, ex quibus constent, et sine quibus non moverentur, non essent causata, non contingenter existerent, non essent magis vel minus perfecta, nec indigerent gubernatione ad finem consequendum, cum nec ipsius finis consecutione indigerent. In summitate siquidem omnium viarum refulget *Deus gloriosus*, actus purus omnino ; in altero extremo opposito sub motu locali aliisque rerum sensibilium mutationibus iacet strata prope nihil *materia prima*, pura omnino potentia, in qua obumbratur remotissima imitatio Primi Entis ; in medio autem viarum, in confinio corporearum et incorporearum substantiarum, lucet *anima humana* quae, ultimum licet occupet gradum inter substantias intellectuales, gradum tamen obtinet supremum inter omnes materiae formas. Inter ipsas autem materiae formas elucet ordo diversorum graduum, incipiendo a formis elementorum quae sunt propinquissimae ipsi materiae, et ascendendo secundum quod habent minus de *potentia* et plus de *actu*, usque ad animam rationalem, ad cuius *esse* participandum res quidem materialis trahitur ; *esse* tamen animae, prout est animae, a corpore minime pendet. Statim incipiendo iterum ab anima rationali, quae in ordine intelligentiarum est velut quaedam materia prima seu pura potentia ad formas intelligibiles, splendent etiam gradus diversi perfectionis in essendo, secundum quod substantiae spirituales habent quoque plus de *actu* et minus de *potentia*, usque ad angelum supremum, qui est prope Deum, cuius essentia est *esse*.

In omnibus igitur quae sunt post Primum Ens, sive habeant essentiam simplicem sive compositam ex forma et

[1] I. q. 3. a. 4. ; q. 7. a. 1. ; q. 11. a. 3. — *I. C. Gent.* cap. 43. et *II.* cap. 52-53.

materia, essentia individua est *principium* essendi, non ipsum *esse;* est aliqualiter causa sui *esse*, quia est receptivum eius ; sed non est ipsum *esse* receptum, quia recipiens et receptum nequeunt esse unum realiter et idem. *Esse* in creaturis inhaeret earum essentiis, advenit ipsarum naturis, recipitur in eis, et ab eis participatur. *Esse* est ipsa natura Dei, qui existit secundum totam suam substantiam. At creaturis minime competit *natura ipsa essendi*, sed tantum participare illam. Participant ergo *naturam Dei*, recipiendo *esse* intra terminos suae propriae uniuscuiusque naturae, quae de se est potentia subiectiva ipsius *esse*. Ipsum igitur *esse* inest substantiis creatis ut quidam actus earum. Iuxta doctrinam itaque D. Thomae in hoc situm est atque in hoc consistit primo, proprie ac radicitus discrimen et summum discrimen inter finitum et infinitum, inter creaturas et creatorem.

Unde *quinque viae*, quibus Deum esse potest demonstrari, videntur esse sicut quinque scalae, fixae in creaturis et stantes supra realem compositionem *esse* et essentiae rerum universarum, et pertingentes in sua summitate per creationem usque ad Deum ; qui, innixus his quinque scalis et sedens in cacumine illarum, habet modo excellentiori omnium creaturarum perfectiones ; quia in Deo omnes unum sunt et omnes illae perfectiones conveniunt sibi secundum suum *esse* simplicissimum propter identitatem essentiae et *esse*. Uno verbo : quinquae viae reducuntur ad *quartam viam*, quae nihil aliud est nisi compositio participantium *esse* atque *ipsius esse* participati, et per quam ascendendo oportet pervenire ad Esse ipsum Subsistens, quod omnibus est causa essendi et perfectionis et bonitatis.

II

Ordo et gradus in intelligendo.

PRIMO : **Proportio inter ordinem essendi et ordinem intelligendi.** — Ita declaratur a D. Thoma : *a*) *De Verit.* q. 8. a. 6. : « Sicut enim est gradus actus et potentiae in *entibus*, quod aliquid est potentia tantum, ut materia prima, aliquid actu tantum, ut Deus ; aliquid actu et potentia, ut omnia intermedia : sic est in genere *intelligibilium* aliquid ut actu tantum, sc. essentia divina ; aliquid ut potentia tantum, ut intellectus possibilis, quod hoc modo se habet in genere intelligibilium sicut materia prima in ordine sensibilium ; omnes autem substantiae angelicae sunt mediae, habentes aliquid de potentia et actu, non solum in genere entium, sed etiam in genere intelligibilium. » *b*) *Compend. Theol.* cap. 79. : « Ex similitudine sensibilium utcumque possumus devenire in notitiam intelligibilium. Est autem in sensibilibus aliquid quasi supremum, quod est actus, sc. *forma ;* et aliquid infimum, quod est potentia tantum, sc. *materia ;* et aliquid medium, sc. *compositum* ex materia et forma. Sic etiam in *esse* intelligibili considerandum est ; nam supremum intelligibile, quod est Deus, est actus purus ; substantiae vero intellectuales aliae sunt habentes aliquid de actu et de potentia secundum esse intelligibile ; infima vero intellectualium substantialium, per quam homo intelligit, est quasi potentia tantum in *esse* intelligibili. Huic etiam attestatur, quod homo invenitur a principio potentia tantum intelligens, et postmodum paulatim reducitur in actum ; et inde est quod id, per quod homo intelligit, vocatur *intellectus possibilis*. »

SECUNDO : **Modus diversus in intelligendo sequitur ad diversum modum in essendo.** — Ideo ex identitate substantiae et *esse* in Deo sequitur necessario : 1° quod intelligere Dei est eius substantia et eius *esse ;* 2° quod in Deo intel-

lectus, intelligens, et id quod intelligitur, et species intelligibilis, et ipsum intelligere, sunt omnino unum et idem ; 3° quod Deus, cognoscendo se, cognoscit ipsam naturam essendi ; ac perinde omnes prorsus naturas, quae nihil aliud sunt nisi quidam modi essendi ; 4° quod scientia Dei est causa et mensura rerum ; 5° et quod Deus intelligit sine receptione alicuius perficientis, quod sit extra essentiam eius ; sed per unum et in uno, quod est sua essentia, intelligit omnia ; atque intellectus divinus se habet ad totum ens ut actus totius entis ; et sicut est actus purus in essendo, ita est actus purus in intelligendo : ita quod Dei *esse* est Dei intelligere [1].

E converso, ex reali compositione substantiae et *esse* in angelis, sicut aliud est *esse* et aliud essentia eius, ideo aliud est *esse* eius et aliud intelligere et aliud eius potentia intellectiva. Et sicut in ipso differt *esse* et *quod est*, ita differt in eo *intellectus* et *quo actu intelligit ;* et sicut a se non habet *esse*, sed ab alio, ita intelligere ab alio habet. Nec omnia intelligere potest per suam essentiam, nec sua scientia est causa vel mensura rerum.

Tertio : **Anima vero rationalis in ordine intelligendi est sicut materia prima in ordine essendi.** — Sicut se habet essentia ad *esse*, ita pariter potentia intellectiva ad intelligendum. Unde sicut in ordine ontologico rerum splendent diversi gradus entium a Primo Ente, in quo identificantur essentia et *esse*, usque ad materiam primam quae non habet *esse* nisi in potentia tantum : sic etiam in ordine intelligendi fulgurant coruscationes diversorum intellectuum ab intellectu divino, qui est actus purus respectu totius intelligibilis, usque ad intellectum humanum qui, cum sit maxime remotus a perfectione primi intellectus, est in potentia, ab initio, respectu omnium intelligibilium. Intellectus itaque divinus est purus actus respectu omnium intelligibilium ; intellectus vero angelicus constat actu et potentia, sed tamen est potentia semper in actu respectu suorum intelligibilium ; intellectus autem

[1] I. q. 14. a. 4.

humanus non modo non est potentia semper perfecta per actum, verum in principio est intelligens solum in potentia : *tamquam tabula rasa in qua nihil est scriptum.* Intellectus divinus et humanus, ut observat D. Thomas, habet assimilationem ad res intellectas, sed modo converso ; quia intellectus divinus imprimit in rem *formam* per quam res sibi similatur ; intellectus autem humanus *speciem*, per quam rei assimilatur, a re accipit ; intellectus vero angelicus rebus cognitis assimilatur, quia *formae*, quae a Deo impressae sunt rebus ad *subsistendum*, sunt etiam angelo impressae *ad cognoscendum.* Unde res naturales sunt mediae inter scientiam Dei et nostram. Inde scientia Dei, causa rerum ; scientia nostra, a rebus ipsis causata ; scientia vero angelorum, nec rerum causa nec a rebus causata, sed utrumque ab una causa, qui est Deus, formas influens rebus ut subsistant, ac simul rerum similitudines influens mentibus angelorum ut res cognoscant.

Quarto : **Sicut a Deo, Primo Ente, derivatur esse per diversos perfectionis gradus usque ad materiam primam, quae est prope nihil, sic a Deo, Primo Intellectu, derivatur lumen magis diversificatum usque ad animam rationalem, quae intelligit per conversionem ad sensibilia.** — In Deo enim, cuius substantia est *esse*, et cuius *esse* est intelligere, invenitur tota plenitudo intellectualis cognitionis, quemadmodum in ipso invenitur tota plenitudo essendi. In aliis vero substantiis intellectualibus invenitur virtus intellectiva per influentiam divini luminis, quod quidem, cum in Primo Principio sit unum et simplex et infinitum, dividitur deinde secundum diversos modos participationum ; et quanto magis intellectuales creaturae distant a Primo Principio, tanto magis dividitur illud lumen ac diversificatur ; sicut accidit in lineis a centro egredientibus. Inde est quod Deus per unam suam essentiam omnia intelligit ; et ea quae Deus cognoscit per unum, intellectus creatus cognoscit per multa ; et tanto amplius per plura, quanto amplius intellectus inferior fuerit. Superiores autem intellectualium substantiarum, etsi per plures formas intelligant, tamen intelligunt

per pauciores, et magis universales, et virtuosiores ad comprehensionem rerum, propter efficaciam virtutis intellectivae quae in eis est. In inferioribus autem sunt formae plures, et minus universales, et minus efficaces ad comprehensionem rerum, in quantum deficiunt a virtute intellectiva superiorum ; quousque pervenitur ad ultimam intellectualem substantiam, quae est anima humana, cuius supremum attingit infimum supremi ; id est, per habitum primorum principiorum, qui vocatur *intellectus*, quasdam paucissimas veritates, absque discursu, intellectualiter cognoscit ; at rerum scientificam cognitionem nonnisi per ratiocinium, discurrendo, valet acquirere. — Sicut ergo in ordine essendi inest materiae primae aliqua « imitatio Primae Formae » et aliqua « imitatio Primi Entis [1] » : ita pariter super animam humanam signatum est « lumen divini vultus », atque humanus intellectus, licet infima, est tamen quaedam participatio Luminis Increati. Ad rem Caietanus, *Comment.* in I. q. 87. a. 1. loquens de anima humana, scribit : « Stat enim, quod ipsa sit pura potentia in genere intelligibilium ; et quod in genere intellectuum, quia est infima inter intellectuales substantias, habeat vim intellectivam non unitam, sed partitam ; ita quod secundum unam sui partem, sc. receptivam, quae est intellectus possibilis, est pura potentia in genere utroque ; secundum alteram vero partem, sc. activam, ad actum simpliciter non ascendit, sed quia in suo supremo substantialiter attingit infimum superioris, sc. intelligentiarum, in summa sua virtute tantum actualitatis manifestat, ut non ut lux, sed ut aliorum lumen, actus inveniatur. Haec enim omnia naturae universique ordini consonant. »

Quinto : **Ex modo quo humanus intellectus intelligit, patet via perveniendi ad Primum Intellectum qui est Deus.** — 1° Quia anima humana invenitur in principio in potentia ad intelligibilia et invenitur imperfecta in intelligendo. Oportet ergo supra animam esse aliquem intellectum semper

[1] *De Verit.* q. 3. a. 5.

in actu existentem et totaliter perfectum intelligentia veritatis ; et hunc vocamus *Deum.*

2° Quia intelligere animae humanae est per modum motus. Oportet ergo esse aliquem intellectum, cuius intelligere sit fixum et quietum absque huiusmodi discursu ; et hunc dicimus *Deum.*

3° Quia anima humana est intellectiva per participationem. Oportet igitur, quod aliquid superius anima sit intellectus secundum totam suam naturam : *Intelligens per essentiam,* quod Deus solus est, cuius essentia est *esse,* et cuius *esse* est intelligere [1].

III

Quomodo omnia, appetendo bonum, tendunt in Deum, primum rerum omnium immobilem motorem, cuius natura est ipsa essentia bonitatis.

Primo : **Ex hoc quod in Deo substantia est suum esse, atque in omnibus aliis differt essentia rei et esse eius, habetur ratio ultima quare omnia creata, inanimata, sensibilia et rationalia plus diligunt Deum quam seipsa.** — Hanc profundam veritatem a radice declarat D. Thomas, I. q. 60. a. 5. et *Quodl.* 1. a. 8. atque illustrat ac corroborat per duplex exemplum, ex natura alterum, ex ratione vero, quae naturam imitatur, alterum desumptum. Manus enim hominis naturaliter exponitur ictui absque deliberatione ad conservationem totius corporis. Civis virtutibus politicis praeditus quoque mortis periculo se exponit pro totius reipublicae conservatione. Inde patet, quod unaquaeque *pars* diligit naturaliter *totum* plus quam seipsam ; et quodlibet singulare naturaliter diligit plus bonum suae speciei quam bonum suum singulare, et quilibet virtuosus civis habet rationalem

[1] *De creat. spirit.* a. 10.

inclinationem ad diligendum plus, quam bonum suum proprium, bonum commune civitatis. Etenim civis, ut sic, non salvatur sine civitatis conservatione, nec individuum sine bono speciei, nec pars absque toto. Hoc autem propriissime et absolute verificatur in creaturis per comparationem ad Deum. Deus est quidem bonum universale, sub quo continetur etiam angelus et homo et omnis creatura ; et omnis creatura naturaliter secundum id quod est, Dei est. Creatura est *pars ;* Deus vero est *totum.* Creatura est *ens per participationem ;* Deus autem est *ens per essentiam.* Essentia Dei est ipsum *esse* subsistens ; essentiae vero creaturarum participant naturam essendi. Divinum *esse* est *esse* creaturarum efficienter et exemplariter et finaliter ; et sic omnia sunt bona divina bonitate ; et *esse* per se subsistens est causa omnis *esse* in alio recepti [1]. Unde quia in Deo substantia est suum *esse,* et in omnibus aliis differt essentia rei et *esse* eius, ideo Deus est tota ratio existendi et bonitatis aliis omnibus ; et secundum id totum quod sunt, omnia Dei sunt ; et quaelibet creatura suo modo naturaliter plus amat Deum quam seipsam ; insensibilia quidem naturaliter ; bruta vero animalia, sensitive ; creatura vero rationalis, per intellectualem amorem, quae dilectio dicitur [2].

Secundo : **Omnia ergo creata, diligendo Deum plus quam seipsa, appetunt Deum atque in Primum Motorem tendunt veluti in principium simul ac finem omnis motus.** — Ratio quidem suprema horum omnium una eademque est, nimirum quod substantia Dei est ipsum *esse* subsistens ; in omnibus autem aliis differt substantia rei et *esse* eius. Inde solus Deus, ens per essentiam ; omnia autem alia, entia per participationem. Idcirco solus Deus non indiget aliis ; et alia necessario indigent Deo. Solus Deus non vult aliquid extra se nisi propter semetipsum et ut suam propriam bonitatem aliis communicet ; et ipse solus est maxime liberalis, quia

[1] I. q. 3. a. 8. ; q. 6. a. 4. — *Quodl.* 7. a. 1. ad 1.

[2] Cf. opus nostrum *De gratia et libero arbitrio,* vol. I. p. 37. et 88.

non agit propter suam utilitatem, sed solummodo propter suam bonitatem, non acquirendam, sed ostendendam ac manifestandam. Omnia vero alia, utpote entia per participationem, indigent ente per essentiam, a quo creantur ; a quo conservantur ; a quo moventur ; in quo vivunt et sunt et operantur ; et in quod tendunt, ut a quo *esse* receperunt, sic ab eodem recipiant suiipsius *esse* complementum et coronam. Deus namque, qui est primus motor secundum rationem causae efficientis, est motor etiam primus secundum rationem causae finalis. Deus, utroque modo movendo, omnia ad seipsum convertit. — Unde Angelicus Doctor, *De Verit.* q. 22. a. 2. : « Secunda causa non potest influere in suum effectum nisi inquantum recipit virtutem causae primae. Sicut autem influere causae efficientis est *agere*, ita influere causae finalis est *appeti* et *desiderari*. Et ideo, sicut secundarium agens non agit nisi per virtutem primi agentis existentem in eo, ita secundarius finis non appetitur nisi per virtutem finis principalis in eo existentem ; prout sc. est ordinatum in illum vel habet similitudinem eius. Et ideo, sicut Deus propter hoc, quod est primum efficiens, agit in omni agente, ita propter hoc, quod est ultimus finis, appetitur in omni fine. Sed hoc est appetere ipsum Deum *implicite*. » Hoc modo omnia appetunt Deum, et omnia tendunt in Deum, a quo processerunt. Omnia itaque quae a Deo, ut a primo efficiente, moventur, ad ipsum Deum ut in ultimum finem convertuntur, ut sui *esse* recipiant complementum, incipiendo a materia quae est *prope nihil*, utpote pura potentia ad *esse*.

Tertio : **Motus materiae primae, quae est in fine entitatis prope nihil, versus Primum Motorem Immobilem.** — Ita eleganter a D. Thoma describitur, *III. C. Gent.* cap. 22. : « In actibus formarum gradus quidam inveniuntur. Nam materia prima est in potentia primum ad formam elementi ; sub forma vero elementi existens, est in potentia ad formam mixti, propter quod elementa sunt materia mixti ; sub forma autem mixti considerata, est in potentia ad animam vegetabilem ; nam talis corporis anima, actus est ; itemque anima vegetabilis est in potentia ad sensitivam ; sensitiva vero ad

intellectivam. Quod processus generationis ostendit. Primo enim in generatione est foetus vivens, vita plantae ; postmodum vero vita animalis ; demum vero, vita hominis. Post hanc autem formam non invenitur in generabilibus et corruptibilibus posterior forma et dignior. Ultimus generationis totius gradus est *anima humana ;* et in hanc tendit materia sicut in *ultimum finem.* »

QUARTO : **Motus animae humanae, quae est in fine immaterialitatis, versus Primum Motorem et Primam Causam et Primum Intelligibile.** — Sicut enim materia prima, quae est in infimo entitatis, se habet in ordine rerum naturalium, ita anima rationalis, quae est in infimo immaterialitatis, intelligendo per conversionem ad phantasmata, se habet in ordine intelligibilium. Materia, quae est pura potentia in ordine essendi, perficitur per formam, et tendit per successionem formarum substantialium in formam postremam ac digniorem, quae est *anima humana ;* anima vero humana, quae est pura potentia in ordine intelligendi, perficitur per formam intelligibilem, et tendit per successionem formarum intelligibilium, per quas reducitur in actum intelligendi, in formam intelligibilem postremam ac digniorem, quae est ipsa *essentia divina*, reduplicative ut intelligibilis. Anima quidem humana est in quam tendit materia sicut in ultimum finem ; essentia vero divina est in quam videndam, sicut in finem ultimum, tendit anima humana. — Verumtamen, quamvis anima humana habeat in *potentia* omnes formas intelligibiles, et finis eius, quem per suam operationem consequitur, sit ut eiusdem intellectus *totaliter efficiatur in actu* secundum omnia intelligibilia quae in *potentia* habet, duplex tamen diligenter est distinguenda potentia in anima humana respectu suorum omnium intelligibilium : Uno modo, *naturaliter*, respectu eorum sc. quae per agens naturale possunt reduci in actum. Alio modo, *supernaturaliter*, respectu eorum quae reduci non possunt in actum per agens naturale, sed per aliquod *aliud agens* omni creata natura *superius*, nempe ipsum Deum. Tale est autem in nobis sciendi desiderium, ut cognoscentes effectum, desideremus cognoscere causam, sed

eo modo quo per cognitionem effectus manuducimur in cognitionem causae. Unde per effectus naturales inest nobis naturale desiderium cognoscendi Deum ut est auctor naturae ; per effectus autem supernaturales inest nobis desiderium cognoscendi Deum ut est auctor gratiae et gloriae ; quod quidem desiderium *naturale* dici potest, quia est valde conforme naturae intellectuali, cuius potentia habet infinitatem quandam, et gratia perficit naturam, et illuminatio supernaturalis lumen naturalis rationis. — Sed sicut in ordine essendi materia prima indiget specialibus dispositionibus ad recipiendam formam substantialem quae est anima humana, et quantumvis disposita sit, huiusmodi forma minime educitur de potentia materiae, sed a Deo solo, qui ipsam ex nihil creat, infunditur : ita pariter in ordine intelligendi, intellectus creatus indiget disponi lumine gratiae, et a Deo solo per lumen gloriae confortari ad hoc quod elevetur in tantam sublimitatem, ut est *videre Deum per essentiam*. Nec intellectus nec voluntatis naturalibus viribus attingi potest Deus prout est in se ; idcirco Deum, prout in se est, nec oculus vidit nec videre in cor hominis ascendit sine adiutorio divinae gratiae. — Unde D. Thomas, *De Verit.* q. 22. a. 7. : « Aliis enim rebus inditus est naturalis appetitus alicuius rei determinatae, sicut gravi quod sit deorsum, et unicuique animali id quod est sibi conveniens secundum suam naturam ; sed homini inditus est appetitus ultimi finis sui in communi, ut sc. appetat naturaliter se esse completum in bonitate. Sed in quo ista completio consistat, utrum in virtutibus vel scientiis vel delectabilibus vel huiusmodi aliis, non est ei determinatum a natura. Quando ergo ex propria ratione, *adiutus divina gratia*, apprehendit aliquod speciale bonum ut suam beatitudinem, in quo vere sua beatitudo consistit, tunc meretur, non ex hoc quod appetit beatitudinem *quam naturaliter appetit*, sed ex hoc quod appetit hoc speciale quod *non naturaliter* appetit, ut *visionem Dei*, in quo tamen secundum rei veritatem sua beatitudo consistit [1]. »

[1] Vide infra lib. 5. cap. 5.

QUINTO : **Solus Deus, cuius essentia est ipsum esse subsistens, potest facere perfectum ultima perfectione tam intellectum quam voluntatem creaturae rationalis.** — Utramque huius propositionis partem ostendit D. Thomas, I.-II. q. 2. a. 8. et q. 3. a. 7. assumens totius demonstrativi processus radicem ex identitate substantiae et *esse* in Deo. Solus namque Deus est bonitas per essentiam et veritas per essentiam, quia solus Deus est ens per essentiam. Est autem ens per essentiam, quia in solo Deo essentia et *esse* sunt idem, et solius Dei substantia est suum *esse*. « Obiectum autem voluntatis, quae est appetitus humanus, est *universale bonum*, sicut obiectum intellectus est *universale verum*. Ex quo patet, quod nihil potest quietare voluntatem hominis nisi bonum universale : quod non invenitur in aliquo creato, sed solum in Deo ; quia omnis creatura habet bonitatem participatam. Unde solus Deus voluntatem hominis implere potest... Proprium autem obiectum intellectus est verum. Quidquid ergo habet veritatem participatam, contemplatum non facit intellectum perfectum ultima perfectione. Cum autem eadem sit dispositio rerum in *esse* sicut in *veritate*, ut dicitur *II. Metaph.*, quaecumque sunt entia per participationem, sunt vera per participationem. Angeli autem habent *esse* participatum ; quia solius Dei suum *esse* est sua essentia, ut ostensum est. Unde relinquitur, quod solus Deus sit *Veritas per essentiam*, et quod eius contemplatio faciat perfecte beatum. » — Sicut ergo materia appetit formam, et appetitus eius non quiescit nisi in receptione formae quae adimpleat totam eius potentiam, sic omnis potentia appetit suum proprium actum quo completur ; sic omnis intellectus creatus appetit cognoscere verum, et quiescere non potest nisi in clara cognitione *Veri per essentiam*, quod solum adimplere valet totam eius potentiam receptivam ; sic omnis voluntas, quae est appetitus intellectualis, appetit bonum, et quiescere non potest nisi in possessione *Boni per essentiam*, quod solum replere valet totam eius capacitatem. Nihil finitum desiderium intellectus quietare potest ; quod exinde ostenditur, quod intellectus, quolibet finito dato, aliquid ultra molitur. Intellectus noster, intelligendo aliquid, in

infinitum extenditur [1] ; et similiter voluntas, volendo ; tam intellectus quam voluntas ordinantur proinde ad Infinitum contemplandum et diligendum. Infinitum autem Verum et Infinitum Bonum est Ens infinite perfectum in essendo : Ens cuius substantia est suum *esse*, ideoque Esse Subsistens.

Esse Subsistens est natura Primi Motoris immobilis, a quo omnia moventur ; et Primi Efficientis, a quo omnia causantur ; et Primi Intelligentis, a quo omnia gubernantur ; et Primi Entis, a quo omnia accipiunt *esse* participatum. Primum Movens idem est quod Primum Intelligens et Primum Appetibile quod est Optimum, et Primum Ens cuius substantia est actus ; et quod non potest esse nisi Unum, videlicet Deus, cuius ipsa substantia est vita ; et actus eius est vita ipsius optima et sempiterna, quae est secundum se subsistens atque aeternaliter et eodem modo se habens, et in qua maxime idem est intelligere et intellectum. — Unde D. Thomas, *XII. Metaph.* lect. 9. : « Bonum separatum, quod est Primum Movens, est melius bonum bono ordinis quod est in universo. Totus enim ordo universi est propter Primum Moventem, ut sc. explicetur in universo ordinato id quod est in intellectu et voluntate Primi Moventis. Et sic oportet, quod a Primo Movente sit tota ordinatio universi... Et *ipsa natura* uniuscuiusque est *quaedam inclinatio* a Primo Movente, ordinans ipsam in debitum finem. Et ex hoc patet, quod res naturales agunt propter finem, licet finem non cognoscant ; quia a Primo Intelligente assequuntur inclinationem in finem. Sed pluralitas principatuum non est bonum. Sicut non esset bonum, quod essent diversae familiae in una domo, quae invicem non communicarent. Unde relinquitur, quod *totum universum* est sicut unus principatus et unum regnum. Et ita oportet, quod ordinetur ab uno gubernatore. Et hoc est, quod concludit Philosophus, quod est unus princeps totius universi, sc. Primum Movens et Primum Intelligibile et Primum Bonum : quod supra dixit *Deum*, qui est benedictus in saecula saeculorum. Amen. »

[1] *I. C. Gent.* cap. 43. — *III. C. Gent.* cap. 50.

LIBER QUINTUS

DE VERITATE FUNDAMENTALI PHILOSOPHIAE CHRISTIANAE RELATE AD SACRAM DOCTRINAM

PROLOGUS

Mysteria fidei catholicae nequeunt demonstrari. — Ut D. Thomas ex professo declarat II.-II. q. 1. a. 4. et 5. fides et scientia non sunt de eodem ; nam cum fides, proprie loquendo, sit de non apparentibus, manifestum est, quod non potest esse de ipsis visis aut secundum sensum, aut secundum intellectum, de quibus est scientia. Ea vero quae demonstrative probari possunt atque inter credenda numerantur, ut *Deum esse*, *Deum esse bonum* et alia huiusmodi, non sunt in rigore articuli fidei, sed potius *praeambula* ad articulos. Sic enim fides praesupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam, et ut perfectio perfectibile. Numerantur siquidem inter credenda, non quia de ipsis simpliciter sit fides, sed : 1° quia praeexiguntur ad ea quae sunt fidei ; 2° quia oportet ea saltem per fidem praesupponi ab his qui eorum demonstrationem non capiunt ; 3° quia *Deum esse unum*, v. g. taliter qualiter ponitur in symbolo fidei, videlicet cum *Trinitate divinarum personarum*, et alia huiusmodi quae probari solo lumine rationis non possunt, articulum fidei vere constituit [1].

Qui probare nituntur naturali ratione fidei mysteria, fidei dupliciter derogant. — Primum namque, quantum ad *dignitatem* ipsius fidei, quae est de rebus invisibilibus,

[1] I. q. 2. a. 2. ad 1. — II.-II. q. 1. a. 5. ad 3. et a. 8. ad 1. ; *De Verit.* q. 14. a. 9.

quae rationem humanam excedunt. Deinde vero quantum *ad utilitatem* trahendi alios ad fidem ; cum enim aliquis ad probandam fidem inducit rationes non satis efficaces ad convincendum intellectum, praebent materiam irridendi infidelibus existimantibus nos propter huiusmodi rationes credere quae fidei sunt [1].

In Sacra tamen doctrina philosophia possumus tripliciter uti. — 1° Ad demonstrandum ea quae sunt *praeambula* fidei, et quae necessaria sunt in fidei scientia sive in Theologia quae pertinet ad sacram doctrinam : sicut illa quae naturalibus rationibus de Deo probantur, v. g. *Deum esse, Deum esse omnino immutabilem, Deum esse unum* et huiusmodi quae de Deo vel de creaturis in Philosophia probantur, quaeque probata ipsa fides supponit. 2° Ad notificandum per aliquas similitudines ea quae sunt fidei, sicut S. Augustinus in libris *De Trinitate* utitur multis similitudinibus ex doctrinis philosophicis ad manifestandum Trinitatem desumptis. 3° Ad resistendum his quae contra fidem dicuntur, sive ostendendo esse falsa, sive ostendendo non esse necessaria. Siquidem, quaecumque argumenta contra fidei documenta ponantur, haec ex principiis primis naturae inditis, per se notis, non recte procedere evidens est ; quia veritati fidei christianae non contrariatur veritas rationis. Unde nec demonstrationis vim habent, sed vel sunt rationes probabiles vel sophisticae ; et sic ad ea solvenda locus relinquitur [2].

Verumtamen utentes philosophia in Sacra Scriptura possunt dupliciter errare. — Uno quidem modo, utendo his quae sunt contra fidem, et quae non sunt philosophiae, sed potius error vel abusus eius, sicut Origenes [3] fecit. Alio

[1] I. q. 32. a. 1. ; q. 46. a. 2. — *I. C. Gent.* cap. 9.

[2] I. q. 1. a. 8. — *I. C. Gent.* cap. 7. — Boetii, *De Trinit.* q. 2. a. 3.

[3] Sicut Origenes, sic pariter aliqui moderni theologi erraverunt, volentes uti placitis philosophiae rationalistae ad sacra dogmata declaranda.

vero modo, ut ea quae sunt fidei, includantur sub metis philosophiae : ut si nihil aliquis credere velit nisi quod per philosophiam haberi potest, cum e converso philosophia sit ad metas fidei redigenda, secundum illud Apostoli, II. Cor. 10, 5 : « In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi [1]. »

Usus autem philosophiae est magni momenti in theologia quae pertinet ad Sacram Doctrinam. — Sicut enim metaphysica, quae est omnibus humanis scientiis superior, utitur his quae in aliis scientiis sunt probata, ita similiter Theologia, cum omnes aliae scientiae sint ei quasi famulantes et praeambulae in via generationis, quamvis sint dignitate posteriores, potest uti principiis omnium aliarum scientiarum. Humana autem ratio, ad cognoscendum fidei veritatem, quae solum videntibus divinam substantiam potest esse notissima, ita se habet, quod ad eam potest aliquis verisimilitudines colligere ; quae tamen non sufficiunt ad hoc, quod praedicta veritas quasi demonstrative vel per se intellecta comprehendatur. Utile tamen est, ut in huiusmodi rationibus, quantumcumque debilibus, se mens humana exerceat, dummodo desit comprehendendi vel demonstrandi praesumptio ; quia de rebus altissimis, etiam parva et debili consideratione, aliquid posse inspicere iucundissimum est [2].

Quantum ergo valeat debitus usus Philosophiae in Sacra Doctrina, ita eleganter significat Melchior Cano, *IX. De Locis Theol.* cap. 4. : « Rationem item si a theologia submoveas, theologia ipsa et rem amittet et nomen. Nec enim quicquam aliud est theologia, si nomen interpretari velis, quam sermo ratioque de Deo. Si autem rem ipsam quaeras, est, ut a veteribus theologis definitur : *Rerum divinarum scientia.* Scientia vero, ut Aristoteles demonstravit, *II. Poster.*, nonnisi per syllogismum quaeritur. Quod si etiam illud addimus, quod recte addi potest, nihil esse fere cuius in Scriptura Sacra mentio non fiat, non angelum, non animam, non aërem, non

[1] Boetii, *De Trinit.* q. 2. a. 3.
[2] Boetii, *De Trinit.* q. 2. a. 3. — *I. C. Gent.* cap. 8.

ignem, non aquam, non coelum, non terram : concedatur profecto verum esse, si ornate et erudite haec theologus explicare velit, Philosophiam, hoc est, rerum huiusmodi intelligentiam eum habiturum. Maximum itaque ornamentum Theologiae tollit, qui ex ea tollit philosophiam, qua Scriptura etiam ipsa Divina, nedum humana ratio excolitur. »

Atque Leo XIII. in Litt. Encycl. *Aeterni Patris :* « Philosophia, si rite a sapientibus usurpetur, iter ad veram fidem quodammodo sternere et munire valet, suorumque alumnorum animos ad revelationem suscipiendam convenienter praeparare. Quamobrem a veteribus modo *praevia ad christianam fidem institutio*, modo *christianismi praeludium et auxilium*, modo *ad Evangelium pedagogus*, non immerito appellata est... Solidissimis ita positis fundamentis, perpetuus et multiplex adhuc requiritur Philosophiae usus, ut Sacra Theologia naturam, habitum, ingeniumque induat... Nec silentio praetereunda, aut minime facienda est accuratior illa atque uberior rerum, quae creduntur, cognitio, et ipsorum fidei mysteriorum, quoad fieri potest, aliquanto lucidior intelligentia, quam Augustinus aliique Patres et laudarunt et assequi studuerunt, quamque ipsa Vaticana Synodus fructuosissimam esse decrevit... Nos igitur vos omnes hortamur, ut ad catholicae fidei tutelam et decus, ad societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum, auream Sancti Thomae sapientiam restituatis et quam latissime propagetis... Doctrinam Thomae Aquinatis studeant magistri in discipulorum animos insinuare, eiusque prae ceteris soliditatem atque excellentiam in perspicuo ponant. »

Materia in hoc libro tractanda atque eiusdem divisio. — Quod ergo ostendere intendimus, illud est, quomodo videlicet procedat D. Thomas in praecipuis catholicae fidei Mysteriis declarandis, ac difficultatibus in contra solvendis, adhibendo rationes ex philosophia depromptas ; praesertim utendo illa veritate, quae veluti fundamentalis in Philosophia Prima ab Angelico Doctore esse existimatur, nimirum : *Solus Deus est suum esse ; in omnibus autem aliis differt essentia rei et esse eius.* Ex identitate namque essentiae

et *esse* in Deo ac ex reali distinctione utriusque in creaturis procedit D. Thomas ad multa dilucidanda et manifestanda :

1° Circa modum quo Deum cognoscere possumus.
2° Circa mysterium Trinitatis.
3° Circa mysterium Incarnationis.
4° Circa mysterium Eucharistiae.
5° Circa mysterium visionis Divinae Essentiae.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

CAPUT PRIMUM

Quomodo de Deo, qui est actus purissimus ac simplicissimus, cum veritate loquamur, affirmando vel negando vel etiam distinguendo.

I

Quomodo Deus a nobis cognoscatur.

PRIMO : **Impossibile est quod aliquis intellectus creatus per sua naturalia essentiam Dei videat.** — Ratio fundamentalis huiusmodi impossibilitatis assumitur semper a D. Thoma ex eo quod in Deo non est aliud *esse* et aliud essentia, in omnibus autem aliis differt essentia rei et *esse* eius. Cognoscere enim ipsum Esse Subsistens est connaturale soli intellectui divino, et est supra facultatem naturalem cuiuslibet intellectus creati ; quia nulla creatura est suum *esse*, sed habet *esse* participatum. Proprium obiectum intellectus creati est *quod quid est*. Unde quod superat *quod quid est*, excedit proportionem omnis intellectus. In Deo autem non est aliud *esse* et quidditas eius. Ideo Deus dicitur *invisibilis ;* quia omnis nostra cognitio terminatur ad aliquam naturam seu quidditatem participantem *esse*. Sed Dei quidditas est ipsum Esse Subsistens ; unde est supra omnem intellectum creatum. Quapropter dicitur, quod Deus est *incognitus* et *absconditus* et *habitans lucem inaccessibilem* [1].

[1] I. q. 12. a. 4. — *De causis*, lect. 6. — *Coloss.* cap. 1. lect. 4. — *I. Tim.* cap. 6. lect. 3.

SECUNDO : **Quid tamen de Deo ex sensibilibus cognoscere valeamus.** — Eatenus se nostra naturalis cognitio extendere potest, quatenus manuduci potest per sensibilia, eo quod naturalis nostra cognitio a sensu principium sumit. Ex sensibilibus autem in hoc perduci possumus, ut cognoscamus de Deo *an est;* et ut cognoscamus de ipso ea quae necesse est ei convenire, secundum quod est *Prima* omnium *Causa*, excedens omnia sua causata. Unde cognoscimus de Deo : 1° *habitudinem ipsius ad creaturas*, nempe quod est omnium rerum causa ; 2° *differentiam creaturarum ab ipso*, sc. quod ipse non est aliquid eorum quae ab eo causantur, et quod haec non removentur ab eo propter eius defectum, sed quia superexcedit. Omnia ergo quae de Deo naturaliter cognoscere possumus, reducuntur ad quinque illa attributa quinque viarum, quibus Deum esse probari potest, terminos constituentia. Quinque vero haec attributa proprietatesque cunctae quae ex eis logico processu eruuntur, sic breviter licet exprimere atque in compendium redigere : *Deus est Ens cuius esse non habet causam, et quod omnibus est causa essendi* [1].

TERTIO : **Omnis nostra cognitio de Deo, naturali lumine rationis acquisita, ex his duobus pendet ac intra haec duo extrema continetur.** — Quia ergo Deus est prima causa non habens causam, et causa essendi secundum totam eorum entitatem omnibus quae sunt, ideo :

1° In Deo *esse* per se est ; et hoc ipsum, quod Deus est, et *esse* suum, unum est, et non est aliud *esse* et aliud essentia eius ; sed hoc quod est *esse*, est ipsamet substantia Dei. Nam primum quod est necesse esse, idem habet *esse* quod ipsum est, sive idem est *esse* et *quod est*.

2° Primum etiam solum necesse est esse omnino et omnimode. Et impossibile est non esse Ipsum, tam secundum rem quam secundum intellectum ; et nullo modo est contingens vel possibile esse ; quia essentia eius est ipsum Esse Subsistens.

3° Primum etiam solum necesse est esse Unum et maxime

[1] I. q. 2. a. 3. ; q. 12. a. 12. ; q. 44. a. 1.

Unum ; quia est maxime ens ; et impossibile est duo esse vel plura, quorum utrumque sit necesse esse ; nam Esse Subsistens non potest esse nisi unum.

4° Necesse est Deum esse omnino immutabilem et simplicissimum, nulli vicissitudini subiectum, nihilque habentem admixtum praeter id quod ipse est ; quia Esse Subsistens excludit omnem prorsus compositionem, et nihil de perfectionibus essendi potest ei deesse cuius essentia est ipsum Esse Subsistens.

5° Necesse est omnia alia esse ab ipso ; quia omnia in universitate mundi sunt ab eo quod est necesse esse ; et quia omne ens, quod quocumque modo est, necesse est esse ab ente per essentiam, et omnia alia, eo quod in unoquoque eorum aliud sit *esse* et *illud quod est*, necesse est esse ab alio, videlicet ab eo qui est origo et fons omnium quae sunt.

6° Primum Ens, quod est necesse esse, fundamentale est ad omnia ; et si Ipsum contineat emanationem *ly esse*, nihil erit ens vel *esse* in tota existentium universitate ; quia « hoc quod est *esse*, in nullius creaturae ratione perfecte includitur ; cuiuslibet enim creaturae *esse* est aliud ab eius *quidditate ;* unde non potest dici de aliqua creatura, quod eam esse sit per se notum et secundum se. Sed in Deo *esse* suum includitur in eius *quidditatis ratione*, quia in Deo idem est *quid est* et *esse* [1]. »

7° Et quia ipse actus liberi arbitrii reducitur in Deum sicut in causam, necesse est quod ea quae ex libero arbitrio fiunt, divinae Providentiae subdantur ; et cum voluntas Dei sit universalissima causa omnium rerum, impossibile est, quod divina voluntas suum effectum non consequatur [2].

8° Atque ex hoc ipso, quod nihil voluntati divinae resistit, sequitur quod non solum fiant ea quae Deus vult fieri, sed quod fiant contingenter vel necessario, quae sic fieri vult. Et quia necessarium et contingens proprie consequuntur *ens* in quantum huiusmodi, inde modus contingentiae et neces-

[1] *De Verit.* q. 10. a. 12.
[2] I. q. 19. a. 6. ; q. 22. a. 2.

sitatis cadit sub provisione Dei, qui est universalis provisor *totius entis* [1].

9° Omnia igitur ab Ipso sunt, et propter Ipsum, et ad Ipsum ; ab Ipso enim non propter aliud quam propter seipsum, eo quod extra seipsum nihil habet quod consequi intendere possit per opus. Primo enim agenti, qui est agens tantum, non convenit agere propter acquisitionem alicuius finis ; sed intendit solum communicare suam perfectionem, quae est eius bonitas. Et sic divina bonitas est finis rerum omnium. Et Deus est *hoc aliquid ab omnibus distinctum, non aliquo quodam distinguente et differente, sed sui Ipsius nobilitate et perfectione* [2].

II

Quomodo Deus a nobis nominetur.

Primo : **In nominibus, quae Deo attribuimus, oportet distinguere inter rem significatam et modum significandi.** — Sicut Deum imperfecte cognoscimus, ita etiam imperfecte nominamus, quasi balbutiendo ; idem namque iudicium est de cognitione rei et nominatione eius. Cognoscimus enim Deum ex creaturis secundum habitudinem principii et per modum excellentiae et per modum remotionis ; et quemadmodum ex creaturis in Dei cognitionem venimus, hoc modo ex ipsis eum nominamus ; et nomina quae Deo attribuimus, hoc modo significant, secundum quod competit creaturis materialibus, quarum cognitio est nobis connaturalis. Unde in nominibus quae Deo attribuimus, oportet distinguere inter *rem significatam* et *modum significandi*. Nam « intellectus noster Deum exprimere nititur sicut aliquid perfectissimum. Et quia in ipsum devenire non

[1] I. q. 19. a. 8. ; q. 22. a. 4.

[2] I. q. 44. a. 1.-4. — Vide etiam B. Albertum Magnum, *I. De Causis*, tract 1. cap. 8.-11. ; lib. 2. tract. 2. cap. 18.

potest nisi ex effectuum similitudine, neque in creaturis invenit aliquid summe perfectum quod omnino imperfectione careat, ideo ex diversis perfectionibus in creaturis repertis ipsum nititur designare, quamvis cuilibet illarum perfectionum aliquid desit ; ita tamen, quod quidquid alicui istarum perfectionum imperfectionis adiungitur, totum a Deo amoveatur. V. g. : *esse* significat aliquid completum et simplex, sed non subsistens ; *substantia* autem aliquid subsistens significat, sed alii subiectum. Ponimus ergo in Deo *substantiam* et *esse;* sed *substantiam*, ratione *subsistentiae*, non ratione *substandi; esse* vero, ratione *simplicitatis* et *complementi*, non ratione *inhaerentiae* qua alteri inhaeret. Et similiter attribuimus Deo *operationem*, ratione *ultimi complementi*, non ratione eius in quod operatio transit. *Potentiam* vero attribuimus *ratione eius* quod permanet et quod est *principium eius*, non *ratione eius* quod per operationem completur [1]. »

Secundo : **Quare Deo attribuantur diversa nomina.** — De nominibus quae de Deo dicuntur, quaedam sunt abstracta, v. g. *sapientia, bonitas;* et quaedam sunt concreta, ut *sapiens, bonus;* et quaedam dicuntur negative, ut *incorporeum, immutabile;* quaedam vero affirmative, ut *iustus, bonus, intelligens;* quaedam significant perfectiones creaturarum simul cum modo imperfecto quo creaturae divinas perfectiones participant, sicut *lapis, sol, sentire, ratiocinari;* quaedam vero significant perfectiones absolute absque eo quod in significatione claudatur aliqua imperfectio, ut *ens, bonum, vivens, intelligens.* Inde attribuimus Deo :

1° Nomina abstracta ad significandum simplicitatem eius ; et nomina concreta ad significandum eius subsistentiam et perfectionem.

2° Nomina negativa ad aliquid imperfectum removendum a Deo ; et nomina affirmativa ad aliquid perfectum ponendum in ipso.

[1] *De Pot.* q. 1. a. 1. — I. q. 13. et q. 25. a. 1. ad 3.

3° Nomina, in quibus simùl cum perfectione clauditur imperfectio, nonnisi metaphorice loquendo ; nomina vero in quibus exprimitur perfectio absque ullo imperfectionis modo, proprie loquendo.

Tertio : **Quomodo nomina ex creaturis desumpta Deo attribuantur.** — 1° Quantum ad perfectiones ipsas significatas, nomina magis proprie competunt Deo quam ipsis creaturis, et per prius dicuntur de eo. Quantum vero ad modum significandi, non proprie de Deo dicuntur, eo quod habeant modum significandi qui creaturis competit.

2° Impossibile est aliquid praedicari de Deo et de creaturis *univoce ;* sed nec etiam pure *aequivoce ;* sed *analogice*, id est, medio modo inter puram aequivocationem et simplicem univocationem. In Deo enim praeexistunt excellenter omnes rerum perfectiones.

3° Porro, nomina quae metaphorice de Deo dicuntur, per prius de creaturis dicuntur quam de Deo ; quia dicta de Deo nihil aliud significant quam similitudines ad tales creaturas. Alia vero nomina quae non metaphorice dicuntur de Deo, sed proprie et essentialiter, quantum ad rem significatam per prius dicuntur de Deo quam de creaturis ; quia a Deo huiusmodi perfectiones in creaturas emanant. Sed quantum ad impositionem nominis per prius a nobis imponuntur creaturis, quas prius cognoscimus [1].

III

In Deo sunt plura attributa et pluralitas rationum quibus attributa differunt.

Primo : **Quid sit ratio rei, et quando ratio alicuius rei dicatur esse in ipsa re.** — *Ratio*, prout hic sumitur, nihil aliud est quam id quod apprehendit intellectus de significa-

[1] I. q. 13. — *I. C. Gent.* cap. 31.-34.

tione alicuius nominis ; et hoc in his, quae habent definitionem, est ipsa rei *definitio*. Sed nihil refert, utrum illa quae dicuntur habere rationem, habeant vel non habeant definitionem ; nam illud, ex quo *qualitas* v. g. habet quod sit qualitas et significatur nomine qualitatis, est *ratio* qualitatis. Et sic patet, quod *ratio sapientiae* v. g., quae de Deo dicitur, est id quod concipitur de significatione huius nominis, quamvis ipsa sapientia divina definiri non possit. *Ratio* vero alicuius rei dicitur esse in ipsa re, in quantum in re extra animam est aliquid quod respondet conceptioni animae, sicut significatum respondet signo. Et si hoc quod intellectus concipit, est similitudo rei extra animam existentis, sicut hoc quod concipitur de hoc nomine *homo*, tunc talis conceptio intellectus habet fundamentum in re immediate, in quantum res ipsa, ex sua conformitate ad intellectum, facit quod intellectus sit *verus*, et quod nomen significans *illum intellectum* proprie de re dicatur. Unde *ratio* dicitur esse in re, in quantum *significatum* nominis, cui accidit *esse rationem*, est in re ; et hoc contingit proprie, quando conceptio intellectus est similitudo rei.

Secundo : **Intellectus noster diversas conceptiones efformat de Deo, et rationes harum conceptionum, quae Deo attribuuntur, sunt vere in Deo.** — Quod enim verificatur in ordine essendi rerum, ita pariter contingit in ordine intelligendi. Sicut autem diversae res uni simplici rei, quae Deus est, similantur per formas diversas, ita intellectus noster per diversas conceptiones Deo aliqualiter similatur in quantum per diversas perfectiones creaturarum in ipsum Deum cognoscendum perducitur. Et ideo de *Uno* intellectus noster multa concipiens, non est falsus nec vanus ; quia illud simplex *esse* divinum huiusmodi est, ut ei secundum formas multiplices aliqua assimilari possunt, tam in ordine essendi quam in ordine intelligendi. Et *rationes* attributorum sunt vere in Deo ; quia omnes nobilitates ac perfectiones omnium creaturarum inveniuntur in Deo nobilissimo modo et sine aliqua imperfectione ; etenim quidquid est entitatis et bonitatis in creaturis, totum est a Creatore ; imperfectio autem

non est ab ipso, sed accidit ex parte creaturarum, in quantum sunt ex nihilo. Unde, cum in creaturis *ratio sapientiae* non sit *ratio bonitatis*, oportet quod etiam hoc in Deo sit verum. Et quia unumquodque attributorum est in Deo secundum sui verissimam rationem, et *ratio* sapientiae non est *ratio* bonitatis in quantum huiusmodi : relinquitur, quod attributa divina sunt *diversa* secundum rationem, non tantum ex parte ipsius ratiocinantis, sed etiam ex *proprietate* ipsius rei. Unde *I. Sent.* dist. 22. q. 1. a. 3. : « In Deo autem non est invenire aliquam realem distinctionem nisi personarum, quae sunt tres res ; et inde venit multiplicitas nominum personalium significantium tres res. Sed praeter hoc est etiam in Deo invenire distinctionem rationum, quae realiter et vere in ipso sunt, sicut ratio sapientiae et bonitatis et huiusmodi, quae quidem omnia sunt unum re et differunt ratione, quae salvatur in *proprietate et veritate*, prout dicimus Deum vere esse sapientem et bonum, et non tantum in intellectu ratiocinantis ; et inde veniunt diversa nomina attributorum. »

Tertio : **Pluralitas divinorum attributorum, quae sunt vere in Deo, contingit ex duplici capite, nempe ex parte intellectus nostri atque ex parte ipsius Dei.** — Pluralitas itaque istarum rationum contingit ex hoc, quod res, quae Deus est, superat intellectum nostrum. Intellectus enim noster non potest una conceptione diversos modos perfectionis accipere : 1° tum quia ex creaturis cognitionem accipit, in quibus sunt diversi modi perfectionum secundum diversas formas ; 2° tum quia hoc, quod in Deo est *unum* et *simplex*, plurificatur in intellectu nostro, etiamsi immediate a Deo reciperet ; sicut multiplicatur processio suae bonitatis in aliis creaturis. Pluralitas ergo istarum rationum non tantum est ex parte intellectus nostri, sed etiam ex parte ipsius Dei, in quantum sua perfectio superat unamquamque conceptionem nostri intellectus. Et ideo *pluralitati* istarum rationum respondet *aliquid* in re, quae est Deus ; non quidem *pluralitas rei*, sed *plena perfectio*, ex qua contingit, ut omnes istae conceptiones ei aptentur. Quapropter :

QUARTO : **Pluralitas divinorum attributorum, quarum rationes sunt vere in Deo, in nullo praeiudicat summae unitati Dei.** — Deus quidem in se consideratus est omnino unus et simplex ; et quae in creaturis sunt diversa, in Deo propter summam simplicitatem sunt unum. Utique, in Deo est *sapientia*, *bonitas* et huiusmodi ; et unumquodque eorum est in Deo secundum sui verissimam rationem ; et quamvis *ratio* sapientiae non sit *ratio* bonitatis in quantum huiusmodi, *sapientia* tamen et *bonitas* in Deo sunt unum, quia quodlibet attributorum et perfectionum est ipsa divina essentia ; et verum est dicere, quod *sapientia* Dei est eius *bonitas*, et quod *intellectus* Dei est eius *voluntas*. Unde D. Thomas, *IV. C. Gent.* cap. 24. : » Ea vero quae solum ratione differunt, de se invicem praedicantur ; verum enim est dicere, quod divina voluntas est intellectus eius, et e converso. » — Itaque in Deo omnes perfectiones sunt unum re. Remanet tamen pluralitas secundum rationem, quae non opponitur summae unitati in re, sed necessario ipsam consequitur, si simul adsit perfectio. Licet enim intellectus noster intelligat Deum sub diversis conceptionibus, verumtamen non dicimus Deum esse compositum, sed simplicem ; et cognoscimus, quod omnibus nostris conceptionibus respondet una et eadem res simpliciter, in qua simul refulget summum simplicitatis ac summum perfectionis.

IV

Qualiter formentur de Deo propositiones.

PRIMO : **Duplex genus propositionum quas formamus de Deo.** — Sicut duplex est via qua utimur ad considerationem divinae substantiae, videlicet via remotionis et via analogiae, ita duplex est genus propositionum quas formamus de Deo, nempe propositiones negativae quibus removemus a Deo imperfectiones creaturarum, et propositiones affirmativae quibus perfectiones creaturarum attribuimus Deo, modo

tamen excellentiori ac eminentiori. Sic dicimus : Impossibile est : Deum esse corpus ; in Deo esse materiam ; in Deo esse compositionem formae et materiae, neque naturae et suppositi, neque essentiae et *esse*, neque generis et differentiae, neque subiecti et accidentis, et huiusmodi. Sic dicimus : *Deus est bonus per essentiam ; Deus intelligit et vult ; in Deo sunt perfectiones omnium rerum*, et similia, ut patet ex probatis in tractatu de *Deo Uno*.

Secundo : **Quonam sensu possunt etiam negari de Deo omnia quae de Deo affirmamus.** — Omnia enim quae de Deo affirmamus, possunt etiam de Deo negari, quia non ita conveniunt ei sicut inveniuntur in rebus creatis et sicut intelliguntur a nobis et significantur. Unde, licet bene dictum sit quod : *Deus est praesens nobis et ubique*, tamen non est in aliquo existentium eo modo quo unum creatum dicitur esse in alio. Et licet bene dictum sit quod : *Ipse est omne existens*, non tamen est aliquid de numero creatorum, sed separatur per quandam eminentiam ab his quae existunt in aevo et tempore ; et sic de aliis, ut declarat D. Thomas, *De div. nom.* cap. 5. lect. 3.

Unde ipsemet Angelicus Doctor in *Prologo* huius libri scripsit : « Sed quia omnis similitudo creaturae ad Deum deficiens est, et hoc ipsum quod Deus est, omne id, quod in creaturis invenitur, excedit : quidquid in creaturis a nobis cognoscitur, a Deo removetur secundum quod in creaturis est ; ut sic, post omne illud quod intellectus noster ex creaturis manuductus de Deo concipere potest, hoc ipsum, quod Deus est, remaneat occultum et ignotum. Non solum enim Deus non est *lapis* aut *sol*, qualia sensu apprehenduntur, sed nec est *talis vita* aut *essentia*, qualis ab intellectu nostro concipi potest ; et hoc ipsum quod Deus est, cum excedat omne illud quod a nobis apprehenditur, nobis remanet ignotum. » Et Albertus Magnus, *I. De Causis* tract. 1. cap. 10. : « Sicut non dicitur (Deus) accidens nec secundum accidens, ita nec dicitur substantia nec secundum substantiam ; hoc est, secundum rationem earum substantiarum quae sunt in genere substantiarum. Cuius probatio est, quia omnis sub-

stantia quae est in genere substantiae, aliud est *esse* et aliud *quod ipsa est;* omnis enim talis substantia composita est. » Ac D. Thomas, *De Ente et Essent.* cap. 6. : « Et quia *essentia* Dei est ipsum suum *esse*, ideo inveniuntur aliqui philosophi dicentes, quod Deus non habet essentiam ; quia *essentia* eius non est aliud quam *esse* eius. »

Per hunc itaque modum ipsa via analogiae, qua assurgimus in Dei notitiam, in viam remotionis tandem resolvitur ; et tanto eius notitiae magis appropinquamus, quanto plura per intellectum nostrum ab eo poterimus removere [1]. Quapropter, cum enuntiatio sequatur apprehensionem, et secundum quod intelligimus aliqua, oportet quod enuntiemus illa, inde est quod intellectus noster de Deo format propositiones ad modum rerum compositarum, a quibus naturaliter cognitionem accipit. Et quia nihil horum, quae praedicantur de Deo, significant Deum per modum quo ipse est, sed per modum quo intellectus noster accipit ex rebus creatis informatus, ideo possumus dicere : *Deus est sapiens*, et *non sapiens*, sc. sicut homo, sicut angelus, ut differat in eo *sapientia* a *sapiente;* sed est *supersapiens*, in quantum est in ipso nobiliori modo *sapientia* quam significetur per *nomen*. Et similiter de omnibus aliis quae de Deo praedicantur.

Et quia omnia quae Deus est, est quoddam *esse subsistens*, nec aliquid aliud nisi *esse* in Deo est, ideo aliqui dicunt, quod Deus est *esse* sine *essentia*, quia in Deo praeeminenter existit quidquid perfectionis in creaturis est ; et quae in creaturis diversa sunt, in Deo sunt unum ; et Deus, secundum unum simplex *esse*, omnibus modis perfectus est ; atque in Deo omnia sunt Deus, et omnia sunt ipsum Esse Subsistens.

Tertio : **Attamen nomina de Deo dicta non sunt synonima.** — Quamvis autem nomina de Deo dicta eandem et unam rem simpliciter significant, non tamen sunt *synonima;* quia non significant rem omnino unam sub *eadem ratione*, sed sub plurimarum rationum *diversitate*. Nomina enim divinorum attributorum differunt secundum formalem ratio-

[1] I. q. 3. in *Prologo.* — *I. C. Gent.* cap. 14.

nem perfectionum, quae per nomina significantur. Unde cum in creaturis *ratio* sapientiae non sit *ratio* bonitatis, oportet quod etiam hoc in Deo sit verum. Sed tamen in hoc differt, quod in Deo idem sunt *re*, in creaturis autem differunt *re*, et non solum *ratione*.

Hanc ergo *pluralitatem* conceptionum de Deo, quae est secundum rationem cum fundamento in re, intellectus noster repraesentat per *pluralitatem praedicati* et *subiecti; unitatem* vero repraesentat intellectus per *compositionem*. Quia intellectus noster apprehendit formas simplices subsistentes secundum modum compositorum in quibus est *aliquid* quod *subicitur*, et est *aliquid* quod *inest*. Et ideo apprehendit formam simplicem in *ratione subiecti* et attribuit *aliquid*. Quae quidem perfectiones diversae ac multiplices in Deo praeexistunt unite et simpliciter ; in creaturis vero recipiuntur divise et multipliciter.

Quarto : **Pluralitas ergo nominum quae de Deo dicuntur, idem habet fundamentum in re quod habet pluralitas rationum quibus divina attributa differunt.** — Quia igitur in Deo est invenire distinctionem rationum, quae realiter et vere in ipso sunt, sicut ratio sapientiae et bonitatis et huiusmodi, quae quidem omnia sunt unum re et differunt ratione quae salvatur in proprietate et veritate, prout dicimus : *Deum vere esse sapientem et bonum*, et non tantum in intellectu ratiocinantis : inde veniunt diversa nomina attributorum, quae quidem omnia, quamvis significent unam rem, non tamen significant unam rem secundum unam rationem ; et ideo nomina attributorum non sunt *synonima*, sed differunt secundum *rationem*, quae salvatur in ipsa re secundum veritatem et proprietatem rei.

Quamobrem *pluralitas* istorum nominum non tantum est ex parte intellectus nostri formantis diversas conceptiones de Deo, quae dicuntur *diversae rationes*, sed etiam ex parte ipsius Dei, in quantum est *aliquid* in Deo correspondens omnibus istis conceptionibus, sc. *plena et omnimoda ipsius Dei perfectio;* secundum quam contingit, quod quodlibet nominum significantium istas conceptiones, de Deo vere et

proprie dicitur ; non autem ita, quod aliqua diversitas vel multiplicitas ponatur in re, quae Deus est, ratione istorum attributorum. Tunc aliquid est unum re et ratione multiplex, quando una res respondet diversis conceptionibus et nominibus, ut de ea verificentur.

Divina itaque attributa tum inter se tum a divina essentia distinguuntur non quidem realiter, sed distinctione rationis cum fundamento in re. Sicque *iustitia divina*, *misericordia*, *sapientia*, *omnipotentia*, *Deitas*, *natura*, *persona*, aliaque huiusmodi non certe eandem exprimunt formalitatem, nec vocabula illa promiscue usurpantur ad idem significandum ; licet in Deo omnia sint omnino et absolute unum, nisi ubi obviat realis oppositionis relatio, id est, Trinitas divinarum Personarum.

V

Quod ergo negatur de Deo sub uno conceptu, affirmari poterit de ipso sub alio ; et quod dictum de Deo sub una ratione est verissimum, dictum de eo sub altera esse potest erroneum, immo absurdum.

Etenim quamvis in Deo sint unum et idem re omnia illa quae per nomina diversa significantur, quia tamen non est idem modus significandi, ideo quaedam affirmantur de Deo cum veritate, cum adhibentur quaedam vocabula quae, si per alia vocabula exprimerentur, falsa essent atque erronea. Exinde in propositionibus quas de Deo efformamus, oportet considerare non tantum rem significatam, sed etiam modum significandi, eo quod veritas propositionum et iudiciorum nostrorum dependet etiam ex modo quo res significatur atque ex ratione sub qua attingitur seu inspicitur.

Exemplum primum. — D. Thomas, *I. Sent.* dist. 34. q. 1. a. 1. ad 2. : « De eodem secundum quod idem est, impossibile est aliquid idem affirmare et negare ; sed si in aliquo distinguantur affirmationes et negationes pertinentes ad illam distinctionem, de ipso verificari poterunt... Ita cum *persona*

et *essentia* (in divinis) sint idem secundum rem, nihil quoad naturam rei pertinet, quod praedicatur de essentia, potest negari de persona, ut dicatur quod *essentia est increata*, et *persona non est increata ;* vel quod *essentia est Deus*, et *persona* non est *Deus*, vel aliquid huiusmodi. Sed quia ratione distinguuntur, quidquid pertinet ad rationem illam in qua distinguuntur, quod praedicatur de uno, potest negari de altero, ut dicatur quod *essentia est communis, persona non est communis ; persona generat, essentia non generat*, et sic de aliis. Unde in omnibus talibus non idem attribuitur essentiae et personae. » Et ad 1. : « *Generare* et similes actus attribuuntur personae divinae secundum *duplicem modum* significandi, quo ab essentia distinguitur : tum quia significant relationes distinguentes personas, tum quia significant per modum actus. Actus autem omnis est rei subsistentis et perfectae ; et ideo non possunt *essentiae* attribui ex eo quod attribuuntur *hypostasi*, quia hypostasi attribuuntur secundum *id* in quo non est *idem* cum essentia ; et ideo accidit fallacia accidentis in processu. »

Exemplum secundum. — D. Thomas, III. q. 2. a. 1. ostendit impossibile esse unionem Verbi Incarnati esse factam in natura divina, accipiendo naturam secundum quod significat *essentiam* vel *quod quid est* sive *quidditatem* speciei. Deinde in a. 2. concludit, quod unio sit facta in Verbi persona, non autem in natura. Contra quod sic arguit per modum obiectionis : « Persona enim Dei non est aliud a natura ipsius, ut habitum est I. q. 3. a. 2. Si ergo unio non est facta in natura, sequitur quod non sit facta in persona. » — Et D. Thomas respondet dicendum ad istam primam obiectionem solvendam : « Licet in Deo non sit aliud secundum rem natura et persona, differt tamen secundum modum significandi, sicut dictum est ; quia persona significat per modum subsistentis. Et quia natura humana sic unitur Verbo, ut *Verbum in ea subsistat, non autem ut aliquid addatur ei ad rationem suae naturae*, vel *ut eius natura in aliud transmutetur*, ideo unio humanae naturae ad Verbum Dei facta est in persona, non in natura. » Unde ex eo quod in divinis natura et persona

differunt secundum modum significandi, quamvis dicatur unio Verbi Incarnati facta esse in persona, non potest tamen dici facta in natura. Nam ex diverso modo significandi fit, quod modus unionis in natura et modus unionis in persona non significet eandem rem, sed valde diversam. Unio siquidem in natura importat aliquid superadditum divinae naturae ad rationem ipsius vel ad ipsius transmutationem, quod est absurdum, ut ostenditur in a. 1. Unio autem in persona importat, quod natura humana assumpta non habet propriam subsistentiam, et quod sic unitur Verbo Dei Incarnato, ut Verbum in ea subsistat : quod est sublime mysterium pietatis et altissima veritas, ut declaratur in a. 2.

Exemplum tertium. — D. Thomas, *De Verit.* q. 23. a. 4. obiicit ad probandum Deum de necessitate velle quaecumque vult, arguens ex identitate *esse* et *velle* in Deo, sic : « Deo idem est *esse*, quod *velle*. Sed Deum necesse est esse omne quod est, quia in perpetuis non differt *esse* et *posse*, secundum Philosophum, *III. Physic.* Ergo Deum necesse est velle omne quod vult. — Sed dicendum, quod quamvis *velle* et *esse* sint idem secundum rem, tamen differunt secundum modum significandi ; quia *velle* significatur per modum actus qui transit in alterum. — Sed contra, *esse* etiam Dei, quamvis sit idem quod *essentia* secundum rem, differunt tamen secundum modum significandi ; quia *esse* significat per modum actus. Ergo quantum ad hoc non est differentia inter *esse* et *velle*. » Et D. Thomas adhuc solvit insistentiam obiectionis ex diverso modo significandi inter *esse* et *velle*, licet utrumque significet per modum actus, dicens : « *Esse* non dicit *actum* qui sit *operatio transiens* in aliquid extrinsecum temporaliter producendum, sed *actum quasi primum ; velle* autem dicit *actum* secundum, qui est *operatio ;* et ideo ex diverso modo significandi aliquid attribuitur divino *esse* quod non attribuitur divino *velle*. » (ad 6. et ad 7.)

Una est Dei simplicissima ratio formalis, et nomen eius unum. — Ita D. Thomas, *De Pot.* q. 7. a. 6. : « Et sic omnes rationes sunt quidem in intellectu nostro sicut in subiecto ;

sed in Deo sunt ut in radice verificante has conceptiones. Nam non essent verae conceptiones intellectus, quas habet de re aliqua, nisi per viam similitudinis illis conceptionibus res illa responderet. Diversitatis ergo vel multiplicitatis nominum causa est ex parte intellectus nostri, qui non potest pertingere ad illam Dei essentiam videndam secundum quod est ; sed videt eam per multas similitudines eius deficientes, in creaturis quasi in speculo resultantes. Unde si ipsam essentiam videret, non indigeret *pluribus nominibus* nec indigeret *pluribus conceptionibus*. Et propter hoc, Dei Verbum, quod est *perfecta conceptio* ipsius, non est nisi unum ; propter hoc dicitur *Zachar.* 14, 9 : *In die illa erit Dominus unus et nomen eius unum*, quando ipsa Dei essentia videbitur, et non colligetur Dei cognitio ex creaturis. » — Et *I. C. Gent.* cap. 31. : « Sic igitur et Deus, per *unum simplex suum esse*, omnimodam perfectionem possidet quam res aliae ; imo multo minorem per quaedam diversa consequuntur. Ex quo patet necessitas plurium nominum de Deo dictorum. Quia enim cum non possumus cognoscere naturaliter nisi ex effectibus deveniendo in ipsum, oportet quod *nomina*, quibus perfectionem ipsius signamus, *diversa* sint, sicut et perfectiones in rebus inveniuntur diversae. Si autem ipsam essentiam, prout est, possemus intelligere et ei nomen proprium adaptare, *uno nomine* tantum eam exprimeremus : quod promittitur his qui eum per essentiam videbunt. *Zachar.* 14, 9 : *In die illa erit Dominus unus, et nomen eius unum.* » — Et *I. Sent.* dist. 2. q. 1. a. 3. : « Si autem intellectus noster Deum per seipsum videret, illi rei posset imponere nomen unum : quod erit in patria. Illud autem nomen unum non significaret bonitatem tantum, nec sapientiam tantum aut aliquid huiusmodi, sed significata omnium istorum includeret. Sed tamen si intellectus, videns Deum per essentiam, imponeret nomen rei quam videret, et nominaret *mediante conceptione* quam de ea habet, oporteret adhuc quod imponeret plura nomina ; quia impossibile est quod conceptio intellectus creati repraesentet *totam perfectionem divinae essentiae*. Unde, una re visa, diversas conceptiones formaret et diversa nomina imponeret ; sicut etiam Chrysostomus

dicit, quod angeli laudant Deum, quidam ut *maiestatem*, quidam ut *bonitatem*, et sic de aliis, in signum, quod ipsum non vident visione comprehendente ; sed conceptio perfecte repraesentans eum est Verbum Increatum ; et ideo est unum tantum [1]. »

[1] Ad rem CAIETANUS, *De Ente et Essentia*, cap. 6. q. 12. : « Loquimur enim ut concepimus. Formamus autem distinctos conceptus, quorum unus ex alio oritur, et de alio non praedicatur, et habet aliquam habitudinem quam alius non habet. Et ideo demonstrationes praedicationesque formales et identicas facimus ; *negamusque* de Deo sub *uno conceptu* quod *affirmamus* de ipso sub *alio*. Implent ergo libros doctores, balbutiendo, ut possunt, excelsa Dei, humano more resonantes ; *simplicissimam illam rationem formalem*, omne quod in Deo est *formaliter complectentem*, nonnisi *particularibus conceptibus* inspicere tradereque potentes ; et non propter distinctionem quae ibi sit *ex natura rei*, ut Scotus docet. *Distinctio* enim *formalis ex natura rei* est maior distinctio distinctione reali. Ergo perfectiones divinae non distinguuntur formaliter ex *natura rei*. »

Ac in *Comment. In* I. q. 13. a. 12. : « Deus, apud S. Thomam, est *unius* tantum *rationis formalis*, elevatae, comprehendentis omnia. Hoc ergo intendit, cum dicit quod est *omnino unus* et *simplex ;* alioquin adversativa subiuncta cum eius causa non consonaret, sc. : *Sed tamen intellectus noster secundum diversas conceptiones ipsum cognoscit, quia non potest ipsum, ut in se est, videre.* Si ergo posset ipsum, ut in se est, videre, non distingueret deitatem a sapientia, nec sapientiam a bonitate, secundum rationem, ut modo facit dicendo : *Deus est sapiens et bonus*, etc. Unica ergo est in Deo formalis ratio tantum. »

Quam quidem doctrinam tradit etiam ac pereleganter exponit Fr. LUDOVICUS DE LEON, in praeclaro opere : *Los Nombres de Cristo*, lib. 1. § 2. ubi de Deo loquens ait : « Dios, en tres personas, es una esencia ; y en infinito número de excelencias no comprensibles, *una sola perfecta y sencilla excelencia*. »

Et similiter Fr. LUDOVICUS DE GRANADA ita magnifice de Deo eloquitur : « Asi como la mar es grande no solo porque todas las aguas de los rios, entran en ella, sino tambien por las que ella tiene de suyo, que son muchas más sin comparacion ; asi decimos que vos, Señor, sois mar de infinita hermosura, porque no sólo tenéis en vos las perfecciones y hermosuras de todas las cosas, sino también otras infinitas, que son proprias à vuestra grandeza y no se comunicaron à ellas ; aunque en vos no sean muchas hermosuras, sino *una simplicima é infinita Hermosura*. » (*Obras de Fr. Luis de Granada*, tom. IV. p. 201-202. Ed. por Fr. Justo Cuervo, 1907.)

CAPUT SECUNDUM

Quomodo ex identitate esse et essentiae in Deo ac reali utriusque compositione in omnibus aliis procedat D. Thomas ad declarandum dogma seu mysterium Sanctissimae Trinitatis.

I

De Divinis Processionibus.

Primo : **Iuxta fidem catholicam dantur duae processiones ad intra in divinis.** — Credere enim debemus in Unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium ; et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula ; Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero ; genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt ; et in Spiritum Sanctum, Dominum, et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Unde iuxta fidem catholicam : 1° Pater a nullo procedit ; Filius procedit a solo Patre ; et Spiritus Sanctus, a Patre et Filio. 2° Filius est consubstantialis Patri, et Deus sicut Pater ; et Spiritus Sanctus est consubstantialis Patri et Filio, et Deus sicut Pater et Filius. 3° Et quamvis Pater sit Deus, et Filius sit Deus, et Spiritus Sanctus sit Deus, tamen non tres Dii, sed unus est Deus.

Secundo : **Via S. Augustini et S. Thomae ad divinas processiones declarandas.** — S. Augustinus, *De Trinit.* lib. 10. cap. 11. et lib. 9. cap. 4. procedit ad manifestandum Trini-

tatem personarum in divinis ex processione verbi et amoris in mente nostra. Quam quidem viam sequitur etiam D. Thomas ac magnopere illustrat, I. q. 27. ; *IV. C. Gent.* cap. 11. ; *I. Sent.* dist. 4. q. 1. a. 1. ; *Comp. Theol.* cap. 36. et alibi saepe, quotiescumque hac de re agitur. Verumtamen, ut Angelicus Doctor animadvertit, I. q. 32. a. 1. ad 2. : « Similitudo intellectus nostri non sufficienter probat aliquid de Deo, propter hoc quod intellectus non univoce invenitur in Deo et in nobis. Et inde est, quod Augustinus dicit (*Super Ioan.* tract. 22.) quod per fidem venitur ad cognitionem, et non e converso. » Semel tamen ut per divinam revelationem venimus in cognitionem divinarum processionum, triumque Personarum una est divinitas, aequalis gloria et coaeterna maiestas, conari debet theologus altissimum adeo mysterium tamquam rationabile utcumque ostendere ac ipsi philosophiae consonum. Quamobrem D. Thomas, *Comp. Theol.* cap. 35. : « Cum sit Deus unus et simplex, est tamen Deus Pater, et Deus Filius, et Deus Spiritus Sanctus, et hi tres non tres dii, sed unus Deus est ; quod quidem, quantum possibile nobis est, considerare intendimus. »

Tertio : **Ex identitate esse et essentiae in Deo procedit D. Thomas ad manifestandum Verbum Dei esse consubstantiale Patri, et eiusdem essentiae cum Patre.** — Ita in diversis locis ostendit : *a*) I. q. 27. a. 2. : « Sic igitur processio Verbi in divinis habet rationem generationis. Procedit enim per modum intelligibilis actionis, quae est operatio vitae ; et a principio coniuncto, ut supra iam dictum est ; et secundum rationem similitudinis, quia conceptio intellectus est similitudo rei intellectae ; et in eadem natura, quia in Deo idem est *intelligere* et *esse*, ut supra ostensum est. Unde processio Verbi in divinis dicitur *generatio*, et ipsum Verbum procedens dicitur *Filius*. »

b) *Comp. Theol.* cap. 40. : « Considerandum est autem quod, cum in nobis sit aliud *esse naturale* et *intelligere*, oportet quod verbum in nostro intellectu conceptum, quod habet *esse intelligibile* tantum, alterius naturae sit quam intellectus noster qui habet esse naturale. In Deo autem idem est *esse*

et *intelligere*. Verbum igitur Dei, quod est in Deo, cuius Verbum est secundum *esse intelligibile*, idem *esse* habet cum Deo, cuius est Verbum. Et per hoc oportet quod sit eiusdem essentiae et naturae cum ipso, et quod omnia, quaecumque de Deo dicuntur, Verbo Dei conveniant. »

c) *IV. C. Gent.* cap. 11. : « Cum autem intellectus divinus non solum sit semper in actu, sed etiam sit ipse actus purus, oportet quod *substantia* intellectus divini sit ipsum suum *intelligere*, quod est actus intellectus. *Esse* autem Verbi interius concepti sive intentionis intellectae est *ipsum suum intelligi*. Idem ergo *esse* est Verbi divini et intellectus divini, et, per consequens, ipsius Dei, qui est suus intellectus. *Esse* autem Dei est eius *essentia* vel *natura*, quae idem est quod ipse Deus. Verbum igitur Dei est ipsum *esse* divinum et *essentia* eius, et ipse verus Deus. »

Quarto : **Ex identitate esse et essentiae in Deo procedit D. Thomas ad manifestandum Spiritum Sanctum esse consubstantialem Patri et Filio, et ipsum verum Deum.** — *a*) I. q. 27. a. 3. ad 2. et a. 4. ad 1. : « Quidquid est in Deo, est Deus ; quod non contingit in aliis rebus. Et ideo per quamlibet processionem quae non est ad extra, communicatur divina natura ; non autem aliae naturae... Et inde est, quod procedens per modum amoris, et divinam naturam accipit, et tamen non dicitur *natum*. »

b) *Comp. Theol.* cap. 47. : « Sicut autem intelligere Dei est suum *esse*, ita eius *amare*. Non igitur Deus amat seipsum secundum aliquid suae essentiae superveniens, sed secundum suam essentiam. Cum igitur amet seipsum secundum hoc quod ipse in seipso est, ut amatum in amante, non est Deus amatus in Deo amante per modum accidentalem, sicut et res amatae sunt in nobis amantibus accidentaliter ; sed Deus est in seipso ut amatum in amante substantialiter. Ipse ergo Spiritus Sanctus, quo nobis insinuatur divinus amor, non est aliquid accidentale in Deo, sed est res subsistens in essentia divina, sicut Pater et Filius. Et ideo in *regula* catholicae fidei ostenditur coadorandus et simul glorificandus cum Patre et Filio. »

c) *IV. C. Gent.* cap. 19 : « Cum autem ostensum sit, quod amatum necesse est aliqualiter esse in voluntate amantis, ipse autem Deus seipsum amet : necesse est quod ipse Deus sit in sua voluntate ut amatum in amante. Est autem amatum in amante secundum quod amatur ; amare autem quoddam velle est ; *velle* autem Dei est eius *esse*, sicut et voluntas eius est eius *esse*. *Esse* igitur Dei in voluntate sua non est *esse* accidentale, sicut in nobis, sed *essentiale*. Unde oportet quod Deus, secundum quod consideratur ut in sua voluntate existens, sit *vere et substantialiter Deus*. Quod autem aliquid sit in voluntate ut amatum in amante, ordinem quendam habet ad conceptionem qua ab intellectu concipitur, et ad ipsam rem cuius intellectualis conceptio dicitur *verbum ;* non enim amaretur aliquid nisi aliquo modo cognosceretur ; nec solum amati cognitio amatur, sed secundum quod in se bonum est. Necesse est igitur quod amor, quo Deus est in voluntate divina ut amatum in amante, et a Verbo Dei et a Deo, cuius est Verbum, procedat. »

Quinto : **Ex identitate esse et essentiae in Deo procedit D. Thomas ad ostendendum essentiam divinam manere unam et eandem secundum numerum in tribus divinis personis.** — *a*) *De Pot.* q. 2. a. 1. : « Nulla forma vel natura creata est suum *esse*, sed ipsum *esse* Dei est eius natura et quidditas ; et inde est, quod proprium nomen ipsius est *Qui est*, ut patet *Exod. III. ;* quia sic denominatur, quasi a propria sua forma. Forma ergo in istis inferioribus, quia per se non subsistit, oportet quod in eo, cui communicatur, sit aliquid aliud per quod forma vel natura subsistentiam recipiat ; et haec est materia, quae subsistit formis materialibus et naturis. Quia vero natura materialis vel forma non est suum *esse*, recipit *esse* per hoc quod in alio suscipitur ; unde, secundum quod in diversis est, de necessitate habet *diversum esse ;* unde humanitas non est *una* in Socrate et Platone secundum *esse*, quamvis sit *una* secundum propriam rationem. In communicatione vero, qua divina natura communicatur, quia ipsa est per se subsistens, non requitur aliquid materiale per quod subsistentiam recipiat ; unde non recipitur in aliquo quasi

in materia, ut sic genitus ex materia et forma inveniatur compositus. Et quia iterum ipsa *essentia* est suum *esse*, non accipit *esse* per supposita in quibus est ; unde per *unum et idem esse* est in communicante et in eo qui communicatur ; et sic manet *eadem* secundum numerum in utroque. Huius communicationis exemplum in operatione intellectus congruentissime invenitur... In creaturis non potest esse generatio sine divisione essentiae vel naturae secundum *esse*, cum natura non sit suum *esse*. »

b) *IV. C. Gent.* cap. 11. : « Non sic autem natura Dei est in Verbo, ut sit una specie et numero differens. Sic enim Verbum habet naturam Dei, sicut *intelligere* Dei est ipsum *esse* eius, ut dictum est. *Intelligere* autem est ipsum *esse divinum*. Verbum igitur habet ipsam essentiam divinam non solum specie, sed etiam numero eandem. » Et cap. 23. : « Quod autem in sola natura divina pluribus modis natura communicatur, rationabile est ; quia in solo Deo eius *operatio* est suum *esse*. Unde cum in eo, sicut et in qualibet intellectuali natura, sit intelligere et velle, id quod procedit in eo per modum intellectus, ut Verbum, aut amoris et voluntatis, ut Amor, oportet quod habeat *esse divinum* et *sit Deus ;* et sic tam Filius quam Spiritus Sanctus est verus Deus. »

c) *I. Sent.* dist. 4. q. 1. a. 1. ad 2. : « Cum enim in omni creatura differat *essentia* et *esse*, non potest *essentia* communicari alteri supposito nisi secundum *aliud esse*, quod est actus essentiae ; et ideo oportet essentiam creatam communicatione dividi, quod imperfectionis est. »

d) *Exposit. in Decretalem* [1] I. cap. 2. : « Sic igitur datur intelligi, quod in Divinitate *tres* sunt *subsistentes*, sc. Pater et Filius et Spiritus Sanctus, sed *una numero* simpliciter natura est in qua subsistunt : quod in rebus humanis contingere non potest. Petrus enim et Paulus et Ioannes sunt quidem *tres subsistentes* in natura humana ; sed natura humana, etsi sit *una* specie in istis tribus, non tamen est *una* et *eadem* numero ; et ideo tres homines sunt, non unus homo. Quia vero in Patre et Filio et Spiritu Sancto est *una* numero *natura*, dicimus

[1] Opusc. 19. edit. Vives.

quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt *unus Deus*, et non tres dii. »

SEXTO : **Ex identitate esse et essentiae in Deo procedit D. Thomas ad ostendendum, quod in Deo non potest esse processio Verbi ex Verbo, neque Amoris ex Amore ; ac proinde in Divinis solum esse processionem Verbi et Amoris.**

a) I. q. 3. a. 4. : « Deus non solum est sua essentia, sed etiam suum *esse:* quod quidem multipliciter ostendi potest... Impossibile est ergo, quod in Deo sit aliud *esse*, et aliud eius essentia... Sua igitur *essentia* est suum *esse.* » Et I. q. 14. a. 4. D. Thomas infert : « Ex necessitate sequitur, quod ipsum eius *intelligere* sit eius *essentia* et eius *esse.* » Et q. 19. a. 1. addit : « Et sicut suum *intelligere* est suum *esse*, ita et suum *esse* est suum *velle.* » Ac q. 27. a. 5. concludit : « Deus uno simplici actu omnia intelligit, et similiter omnia vult. Unde in eo non potest esse processio Verbi ex Verbo, neque Amoris ex Amore. Sed est in eo solum Verbum perfectum et unus Amor perfectus. Et in hoc eius perfecta fecunditas manifestatur. »

b) *De Pot.* q. 9. a. 9. : « Verbum autem et amor in creatura quidem non sunt personae subsistentes in natura intelligente et volente. *Intelligere* enim et *velle* creaturae non est *esse* eius. Unde verbum et amor sunt quaedam supervenientia creaturae intelligenti et volenti, sicut accidentia quaedam. Cum autem in Deo idem sit *esse*, *intelligere* et *velle*, necessarium est quod Verbum et Amor in Deo non accidant, sed *subsistant* in natura divina. Non autem est in Deo nisi *unum simplex intelligere* et *unum simplex velle;* quia intelligendo essentiam suam, intelligit omnia, et volendo bonitatem suam, vult omnia quae vult. Non est ergo nisi unum Verbum et unus Amor in divinis. Ordo autem intelligendi et volendi aliter se habet in Deo et in nobis. Nos enim cognitionem intellectivam a rebus exterioribus accipimus ; per voluntatem vero nostram in aliquid exterius tendimus tamquam in finem. Et ideo intelligere nostrum est secundum motum a rebus in animam ; velle vero secundum motum ab anima ad res. Deus autem non

accipit scientiam a rebus, sed per scientiam suam causat res ; nec per voluntatem suam tendit in aliquid exterius sicut in finem, sed omnia exteriora ordinat in se sicut in finem. Est ergo tam in nobis quam in Deo *circulatio quaedam* in operibus intellectus et voluntatis ; nam voluntas redit in id a quo fuit principium intelligendi ; sed in nobis concluditur *circulus* in id quod est extra, dum bonum exterius movet intellectum nostrum, et intellectus movet voluntatem, et voluntas tendit per appetitum et amorem in exterius bonum. Sed in Deo iste circulus clauditur in seipso ; nam Deus, intelligendo se, concipit Verbum suum, quod est etiam ratio omnium intellectorum per ipsum, propter hoc quod omnia intelligit intelligendo seipsum ; et ex hoc Verbo procedit in amorem omnium et suiipsius. Unde dixit quidam : *Monas monadem genuit et in se suum reflexit ardorem.* Postquam vero circulus conclusus est, nihil ultra addi potest ; et ideo non potest sequi tertia processio in natura divina ; sed sequitur ulterius processio in exteriorem naturam. Sic ergo oportet, quod in divinis sit una tantum persona non procedens, et duae solae personae procedentes ; quarum una persona procedit ut Amor, et alia ut Verbum ; et sic est personarum ternarius numerus in Divinis. »

II

De Divinis Relationibus.

PRIMO : **Iuxta fidem catholicam, relationes quae secundum processiones divinas accipiuntur, sunt relationes reales.** — *a*) *Conc. Toletanum XI.* can. 1. : « In relationis personarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus Sanctus ad utrosque refertur. » *b*) *Conc. Lateranense IV.*, Decret. I. : « Haec Sancta Trinitas secundum communem essentiam individua, et secundum personales proprietates discreta ; » id est, secundum relationes. *c*) *Conc. Florentinum, in Decreto pro Iacobitis* seu in *Bulla Eugenii IV., Cantate*

Domino: « Solus Pater de substantia sua genuit Filium ; solus Filius de solo Patre est genitus ; solus Spiritus Sanctus simul de Patre procedit et Filio. Hae tres personae sunt unus Deus, et non tres dii ; quia trium est una substantia, una essentia, una natura, una divinitas, una immensitas, una aeternitas ; omniaque sunt unum ubi non obviat relationis oppositio. »

Secundo : **Duo affirmanda de divinis relationibus.** — Circa reales relationes, quas fides catholica ponit in Divinis, oportet haec duo affirmare, quorum : 1^um^ *Reales relationes in Divinis habent esse substantiale, non accidentale ; ac perinde sunt subsistentes, non inhaerentes.* 2^um^ *Esse realium relationum in Divinis non est aliud ab esse Divinae Essentiae, sed unum et idem esse.*

Tertio : **Ex identitate esse et essentiae in Deo procedit D. Thomas ad declarandum reales relationes in Divinis habere esse substantiale.**

a) *I. C. Gent.* cap. 22. ostendit Angelicus Doctor multipliciter, quod Dei essentia est suum *esse ;* atque in cap. 23. statim infert : « Ex hac etiam veritate de necessitate sequitur, quod Deo, super eius essentiam, nihil supervenire possit, neque aliquid ei accidentaliter inesse. Ipsum enim *esse* non potest participare aliquid quod non sit de essentia sua ; quamvis *id quod est* possit aliquid aliud participare ; nihil enim est formalius aut simplicius quam *esse. Divina* autem *substantia* est ipsum *esse ;* ergo nihil habet quod non sit de sua substantia ; nullum ergo accidens ei inesse potest. »

b) I. q. 3. a. 5. ostendit D. Thomas, quod in Deo accidens esse non potest, « quia Deus est suum *esse.* » Unde posito quod iuxta fidem dantur in Deo relationes reales, necesse est quod huiusmodi relationes habeant *esse* substantiale, non accidentale ; sint subsistentes, non inhaerentes.

c) *De Pot.* q. 8. a. 2. : « Supposito quod relationes in divinis sint, de necessitate oportet dicere, quod sint essentia divina ; alias oporteret ponere compositionem in Deo, et quod relationes in divinis essent accidentia ; quia omnis res

inhaerens alicui praeter suam substantiam est accidens. Oporteret etiam quod aliqua res esset aeterna, quae non erit substantia divina : quae omnia sunt haeretica... Unde dicendum est, quod nihil prohibet aliquid esse inhaerens, quod tamen non significatur ut inhaerens ; sicut etiam *actio* non significatur ut in agente, sed ut ab agente ; et tamen constat actionem esse in agente. Et similiter, licet *ad aliquid* non significatur ut *inhaerens*, tamen oportet ut sit inhaerens. Et hoc, quando relatio est res aliqua ; quando vero est secundum rationem tantum, tunc non est inhaerens. Et sicut in rebus creatis oportet quod sit *accidens*, ita oportet quod sit in Deo *substantia ;* quia quidquid est in Deo, est eius substantia. Oportet ergo relationes secundum rem esse divinam substantiam ; quae tamen non habent modum substantiae, sed habent alium modum praedicandi ab his quae substantialiter praedicantur de Deo. »

Tertio : **Ex identitate esse et essentiae in Deo procedit D. Thomas ad logice concludendum, quod esse relationum realium in Divinis non est aliud ab esse divinae essentiae, sed unum et idem esse.** — *a*) I. q. 28. a. 2. : « Quidquid in rebus creatis habet *esse accidentale*, secundum quod transfertur in Deum, habet *esse substantiale ;* nihil enim est in Deo ut accidens in subiecto ; sed quidquid in Deo est, est eius essentia. Sic igitur ex ea parte, qua relatio in rebus creatis habet *esse accidentale* in subiecto, relatio realiter existens in Deo habet *esse* essentiae divinae, idem omnino ei existens. In hoc vero, quod *ad aliquid* dicitur, non significatur aliqua habitudo ad essentiam, sed magis ad suum (relationis) oppositum. Et sic manifestum est, quod relatio realiter existens in Deo est idem essentiae secundum *rem*, et non differt nisi secundum intelligentiae *rationem*, prout in relatione importatur respectus ad suum oppositum, qui non importatur in nomine essentiae. Patet ergo, quod in Deo non est aliud *esse* relationis et essentiae, sed unum et idem. »

b) *I. Sent.* dist. 33. q. 1. a. 1. : « Cum enim, ut supra dictum est, in relatione sint duo, sc. : relationis respectus quo ad alterum refertur, in quo consistit *relationis ratio ;* et iterum

ipsum *esse* relationis, quod habet secundum quod in aliqua re fundatur, vel quantitate, vel essentia, vel aliquo huiusmodi... Relationes distinguentes personas non possunt esse huiusmodi (nihil realiter in re ponentes), cum fundentur super aliquid quod vere in re est, sc. in *communicatione naturae*. Et ideo sunt reales relationes habentes *esse* fundatum in natura rei. Sed haec est naturae divinae simplicitas, ut in ipsa nonnisi *unum esse* possit esse, nec in ea differat *esse* et *quod est* et *quo est*. Istud ergo *esse* paternitatis non potest esse aliud *esse* quam *esse* essentiae ; et cum *esse* essentiae sit ipsa *essentia*, et *esse* paternitatis secundum rem est ipsa essentia : unde non facit compositionem cum ea... In aliis autem realibus relationibus in creaturis existentibus est aliud *esse* relationis et substantiae quae refertur ; et ideo dicuntur *inesse*. »

c) *De Pot.* q. 2. a. 6. : « In divinis autem licet una relatio ab altera distinguatur realiter propter oppositionem relationum, quae reales sunt in Deo, ipsa tamen relatio non est aliud, secundum rem, quam ipsa essentia, sed solum ratione differens ; nam relatio ad essentiam oppositionem non habet. Et ideo non est concedendum, quod *aliquid absolutum* in divinis multiplicetur, sicut quidam dicunt, quod in divinis est *duplex esse*, essentiale et personale. Omne enim *esse* in divinis essentiale est ; nec persona est nisi per *esse* essentiae. »

d) *De Pot.* q. 8. a. 2. ad 11. : « In divinis nullo modo est *esse* nisi essentiae, sicut nec intelligere nisi intellectus ; et propter hoc, sicut in Deo est tantum unum intelligere, ita etiam *unum esse*. Et ideo nullo modo concedendum est, quod aliud sit *esse* relationis in divinis et aliud essentiae. *Ratio* autem non significat *esse*, sed *esse quid*, id est, quid aliquid est. Unde *duae rationes* unius rei non demonstrant *duplex esse* eius ; sed demonstrant quod dupliciter de illa re potest dici *quid est ;* sicut de puncto potest dici *quid est*, sicut principium et ut finis, propter diversam rationem principii et finis. »

e) *De Pot.* q. 9. a. 5. ad 19. : « Nullo modo concedendum est, quod in divinis sit nisi *unum esse*, cum *esse* semper ad essentiam pertineat ; et praecipue in Deo, cuius *esse* est *sua*

essentia. Relationes autem quae distinguunt supposita in divinis, non addunt aliud *esse* super *esse* essentiae ; quia non faciunt compositionem cum essentia. Omnis autem forma, addens aliquod *esse* super *esse substantiale*, facit compositionem cum substantia ; et ipsum *esse* est accidentale, sicut *esse* albi, *esse* nigri. Diversitas ergo secundum *esse* sequitur pluralitatem suppositorum, sicut et diversitas essentiae in rebus creatis. Neutrum autem in divinis. »

III

De Divinis Personis.

PRIMO : **Doctrina fidei catholicae de Personis Divinis.** — Iuxta fidem catholicam expositam in Symbolo S. Athanasii [1] : « Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti. Sed Patris et Filii et Spiritus Sancti una est divinitas, aequalis gloria, coaeterna maiestas. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus. Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus. Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus. Aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus Sanctus. Et tamen non tres aeterni, sed unus aeternus ; sicut non tres increati, nec tres immensi, sed unus increatus et unus immensus. Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus ; et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens. Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus ; et tamen non tres dii, sed unus est Deus. Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus ; et tamen non tres domini,

[1] II.-II. q. 1. a. 10. ad 3. : « Athanasius non composuit manifestationem fidei per modum symboli, sed magis per modum cuiusdam doctrinae, ut ex ipso modo loquendi apparet. Sed quia integram fidei veritatem eius doctrina breviter continebat, auctoritate Summi Pontificis est recepta ut quasi *regula fidei* habeatur. »

sed unus est Dominus. Quia, sicut singillatim unamquamque personam Deum ac Dominum confiteri christiana veritate compellimur, ita tres deos aut dominos dicere catholica religione prohibemur. »

Secundo : **Ex identitate esse et essentiae in Deo procedit D. Thomas ad ostendendum, quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt tres personae seu tres subsistentes in Divinis.** — *Comp. Theol.* cap. 49. : « Ex omnibus autem quae dicta sunt, colligi oportet, quod in Divinitate quendam trinarium ponimus, qui tamen unitati et simplicitati non repugnat. Oportet enim concedi Deum esse ut existentem in sua natura, et intellectum et amatum a seipso. Aliter autem hoc accidit in Deo et in nobis. Quia enim in sua natura homo substantia est, intelligere autem et amare eius non sunt eius substantia ; homo quidem secundum quod in natura sua consideratur, quaedam *res subsistens* est ; secundum autem quod est in suo intellectu, *non* est *res subsistens*, sed *intentio quaedam* rei subsistentis ; et similiter secundum quod est in seipso ut amatum in amante. Et sic in homine tria considerari possunt, id est : *homo* in natura sua *existens*, et *homo* in intellectu *existens*, et *homo* in amore *existens ;* et tamen hi tres non sunt unum ; quia *intelligere* eius non est eius *esse*, et similiter et *amare ;* et horum trium unus solus est res quaedam subsistens, sc. homo in natura sua existens. In Deo autem idem est *esse*, *intelligere* et *amare*. *Deus* ergo in *esse* suo naturali *existens*, et *Deus existens* in intellectu, et *Deus existens* in amore suo, *unum* sunt ; unusquisque tamen eorum est *subsistens*. Et quia res subsistentes in intellectuali natura *personas* Latini nominare consueverunt, Graeci vero *hypostases*, propter hoc in divinis Latini dicunt tres personas ; Graeci vero, tres hypostases : Patrem sc. et Filium et Spiritum Sanctum. »

Tertio : **Ex identitate esse et essentiae in Deo procedit D. Thomas ad probandum, quod esse Divinarum Personarum non est aliud ab esse Divinae Essentiae, sed unum et idem esse.** — *a*) *De Pot.* q. 2. a. 1. : « In communicatione vero, qua

divina natura communicatur, quia *ipsa* est per *se subsistens*, non requiritur aliquid materiale per quod subsistentiam recipiat ; unde non recipitur in aliquo quasi in materia, ut sic genitus ex materia et forma inveniatur compositus. Et quia iterum ipsa *essentia* est suum *esse*, non accipit *esse* per supposita in quibus est ; unde per *unum* et *idem esse* est in communicante et in eo cui communicatur ; et sic manet eadem secundum numerum in utroque. »

b) I. q. 28. a. 2. : « In Deo non est aliud *esse* relationis et essentiae, sed unum et idem. » Et q. 29. a. 4. : « *Relatio* autem in divinis non est sicut accidens inhaerens subiecto, sed est *ipsa divina essentia*. Unde est *subsistens*, sicut essentia divina subsistit. Sicut ergo deitas est Deus, ita paternitas divina est Deus Pater, qui est persona divina. Persona igitur divina significat *relationem ut subsistentem ;* et hoc est significare relationem per modum substantiae, quae est hypostasis subsistens in natura divina, licet subsistens in natura divina non sit aliud quam natura divina. Et secundum hoc, verum est quod hoc nomen *persona* significat *relationem* in recto, et *essentiam* in obliquo ; non tamen relationem in quantum est *relatio*, sed in quantum significatur per modum *hypostasis*. » Unde in Deo, sicut non est aliud *esse* relationis et essentiae, sed unum et idem, ita est unum et idem *esse* trium divinarum Personarum.

c) III. q. 17. a. 2. ad 3. : « Dicendum quod, sicut in *Prima Parte* dictum est, quia persona divina est idem cum natura, in personis divinis non est aliud *esse* personae praeter *esse* naturae ; et ideo tres personae non habent nisi *unum esse*. Haberent autem *triplex esse*, si in eis esset aliud *esse* personae, et aliud *esse* naturae. »

d) *De Verit.* q. 1. a. 5. ad 19. : « Ratio veri fundatur supra ens. Quamvis autem in divinis ponantur *plures personae* vel proprietates, non tamen ibi ponitur nisi *unum esse ;* quia *esse* in divinis nonnisi essentialiter dicitur ; et omnium istorum enuntiabilium : *Patrem esse* vel *generare ; Filium esse* vel *genitum esse*, secundum quod ad rem referuntur, est *Veritas una*, quae est *Veritas Prima et Aeterna*. »

IV

Per viam D. Thomae convenienter declaratur altissimum Sanctissimae Trinitatis mysterium; ac difficultates, quas humana ratio ex suis conceptibus discurrendo videtur opponere, per ipsosmet proprios humanae rationis conceptus rationabili discursu solvuntur.

PRIMO : **Convenienter declarantur processiones et relationes et personae quas fides catholica ponit in divinis.** — Hoc quidem ex hactenus dictis aperte patere videtur. Ex vera namque Dei notione, per lumen naturale rationis acquisita, assurgit Angelicus Doctor ad veram usque Dei notionem, quam ex fide tenemus, declarandam. Ex eo ipso, quod in Deo *esse* et essentia sunt idem, et ex hoc quod *esse* est substantia vel natura Dei, infertur logico processu quod in Deo : 1° idem quoque est *esse* et *intelligere* et *velle* seu *amare;* 2° ideoque Verbum et Amor in Deo subsistunt in natura divina ; 3° Verbum quod procedit a Deo in quantum est intelligens, procedit ab eo in quantum est *existens*, et similiter Amor ; 4° tam Verbum quam Amor quam Pater sunt consubstantiales, utpote habentes unam et eandem numero naturam divinam, quae est ipsum *esse subsistens;* 5° natura divina proinde non accipit *esse* et *subsistere* per supposita seu personas in quibus est, sed, e converso, personae sunt et subsistunt per *esse subsistens*, quae est ipsamet Dei essentia vel natura.

SECUNDO : **Perfecte salvatur divini Esse summa simplicitas.** — Nam per hoc quod essentia vel natura Dei est suum *esse*, et per idem et unum *esse* natura divina est in communicante et in eo cui communicatur, Angelicus Doctor progreditur ad hanc generalem conclusionem solide stabiliendam firmiterque tenendam, videlicet : *In divinis non est nisi unum esse.* Inde statim consequitur quod : 1° divinarum processionum non est nisi unum et idem *esse;* 2° divinarum

relationum non est nisi unum et idem *esse;* 3° divinarum personarum non est nisi unum et idem *esse;* 4° Patris et Filii et Spiritus Sancti non est nisi unum et idem *esse;* 5° omnium quae, sive absolute sive relative, de Deo praedicantur, non est nisi unum et idem *esse.*

TERTIO : **Licet in Deo omnium perfectionum non sit nisi unum et idem esse, in Deo tamen est revera quidquid pertinet ad rationem omnium ac singularium perfectionum quae de Deo praedicantur, sive per modum substantiae sive per modum relationis.** — Omnes siquidem perfectiones pertinent ad perfectionem essendi ; idcirco nulla perfectio potest deesse ei cuius essentia est ipsum *esse* subsistens ; et nihil perinde deesse poterit Deo quidquid ad rationem uniuscuiusque perfectionis spectat. *a*) *IV. C. Gent.* cap. 11. : « Ea quae in creaturis divisa sunt, in Deo simpliciter sunt *unum esse;* sicut in creatura aliud est *essentia* et *esse,* et in quibusdam est etiam aliud quod subsistit in sua essentia et eius essentia sive natura ; nam hic homo non est sua humanitas, nec suum *esse;* sed Deus est sua essentia et suum *esse.* Et quamvis haec in Deo unum sint verissime, tamen in Deo est quidquid pertinet ad rationem vel subsistentiae vel essentiae vel ipsius *esse;* convenit enim ei non esse in aliis, in quantum est subsistens ; esse quid, in quantum est essentia ; et esse actu, ratione ipsius *esse.* Oportet igitur, cum in Deo sit idem intelligens et intelligere et intentio intellecta, quod est Verbum ipsius, quod verissime in Deo sit et quod pertinet ad rationem intelligentis, et quod pertinet ad rationem eius quod est intelligere, et quod pertinet ad rationem intentionis intellectae sive Verbi. »

b) *IV. C. Gent.* cap. 14. : « In Deo sunt omnium entium perfectiones, non secundum compositionem aliquam, sed secundum simplicis essentiae unitatem. Nam diversae perfectiones, quas res creata per multas obtinet formas, Deo competunt secundum unam et simplicem eius essentiam ; homo enim per aliam formam vivit, et per aliam est sapiens, et per aliam est iustus ; quae omnia Deo per essentiam suam conveniunt. Sicut igitur *sapientia* et *iustitia* in homine

quidem sunt accidentia, in Deo autem sunt idem quod divina essentia, sic aliqua relatio, puta *paternitatis* et *filiationis*, etsi in hominibus sit accidens, in Deo est divina essentia. Non autem ideo dicitur, quod divina sapientia sit eius essentia, cum in nobis sapientia super essentiam addat, quasi divina sapientia a nostra sapientia *deficiat;* sed quia eius essentia nostram essentiam *excedit;* ita quod id, ad quod essentia nostra *non sufficit*, sc. *scire* et *iustum esse*, Deus secundum suam essentiam habet *perfecte*. Oportet igitur, quod quidquid nobis convenit secundum essentiam et sapientiam *distinctim, simul* Deo secundum essentiam suam attribuatur. Cum igitur *divina essentia* sit ipsa paternitatis vel filiationis *relatio*, oportet quod quidquid est paternitatis proprium, Deo conveniat, licet paternitas sit in ipsa essentia. Est autem hoc proprium paternitatis, ut a filiatione distinguatur ; dicitur enim pater ad filium quasi ad alium, et haec est *ratio* patris, ut sit filii pater. Licet ergo Deus Pater sit divina essentia, et similiter Deus Filius, ex hoc tamen quod est Pater, distinguitur a Filio, licet sit *unum* ex hoc quod uterque est divina essentia. »

Quarto : **Ex hoc quod in divinis est unum tantum esse, reales relationes ex una parte non faciunt compositionem cum essentia, et ex alia distinguunt realiter personas.** — Non faciunt quidem compositionem cum essentia ; quia divinae essentiae et divinarum realium relationum est unum et idem *esse*, nempe *esse* subsistens, quod est Dei substantia vel natura. Distinguunt vero realiter divinas personas ; quia, ut supra dictum est, in Deo revera est quidquid pertinet ad rationem omnium ac singularum perfectionum quae de Deo praedicantur, sive per modum substantiae sive per modum relationis ; et de ratione realis relationis est relativa oppositio inter utrumque relationis extremum ; atque in relativae oppositionis ratione includitur realis distinctio. Quapropter D. Thomas :

a) I. q. 28. a. 3. : « Ex eo quod aliquid alicui attribuitur, oportet quod attribuantur ei omnia quae sunt de ratione illius ; sicut cuicumque attribuitur *homo*, oportet quod

attribuatur ei *esse rationale*. De ratione autem relationis est respectus unius ad alterum, secundum quem aliquid alteri opponitur relative. Cum igitur in Deo realiter sit relatio, oportet quod realiter sit ibi oppositio. Relativa autem oppositio in sui ratione includit distinctionem. Unde oportet, quod in Deo sit realis distinctio ; non quidem secundum rem absolutam, quae est essentia, in qua est summa unitas et simplicitas ; sed secundum rem relativam. »

b) *De Pot.* q. 8. a. 2. ad 2. et ad 3. : « Alia est *ratio* substantiae et relationis, et utrique respondet *aliquid* in re quae Deus est ; non tamen aliqua res diversa, sed una et eadem. Et hoc praecipue convenit quod *duabus rationibus* respondet *una res*, quando natura perfecte comprehendit ipsam rem ; et sic est in proposito. Licet relatio non addat supra essentiam aliquam rem, sed solum rationem, tamen *relatio* est *aliqua res*, sicut etiam bonitas est aliqua res in Deo, licet non differat ab essentia nisi ratione ; et similiter est de *sapientia ;* et ideo sicut ea quae pertinent ad bonitatem vel sapientiam, realiter Deo conveniunt, ut *intelligere* et alia huiusmodi, ita etiam id quod est proprium realis relationis, sc. *opponi* et *distingui*, realiter in divinis invenitur. »

Quinto : **Ex hoc quod in Divinis est unum tantum esse, trium divinarum personarum una est divinitas, aequalis gloria, coaeterna maiestas, eademque absoluta perfectio.** — Ratio fundamentalis est, quia in divinis omnia sunt *unum*, nisi ubi obviat realis oppositionis relatio, per quam personae realiter ad invicem distinguuntur ; proinde omnium ac singularum perfectionum in divinis est unum et idem *esse* in Patre et Filio et Spiritu Sancto ; exinde Pater et Filius et Spiritus Sanctus, sicut sunt uno et eodem *esse*, ita sunt boni et iusti, et sapientes et omnipotentes, una et eadem bonitate, una et eadem iustitia, una et eadem sapientia, una et eadem omnipotentia ; et sic de omnibus aliis infinitis perfectionibus, quae in Deo omnes simul sunt una simplicissima perfectio, videlicet *esse subsistens*. Personae quidem divinae realiter distinguuntur per reales relationes ; sed relationes, quatenus relationes, non ponunt *aliquid* in personis, sed ponunt dum-

taxat *ad aliquid*, id est, oppositionem et realem distinctionem. Quod ita perspicue dilucidatur ab Angelico Doctore :

a) *I. Sent.* dist. 20. q. 1. a. 1. : « Notandum, quod relatio alio modo dicitur esse *aliquid*, quam alia entia. In aliis enim entibus unumquodque dicitur dupliciter esse : et quantum ad *esse* suum, et quantum ad *rationem quidditatis* suae ; sicut sapientia secundum *esse* aliquid ponit in subiecto, et similiter secundum *rationem* suam ponit *naturam quandam* in genere qualitatis. Sed relatio est aliquid secundum *esse* suum, quod habet in subiecto ; sed secundum *rationem* suam non habet quod sit *aliquid*, sed solum quod ad *aliud* referatur ; unde secundum rationem suam non ponit aliquid in subiecto ; propter quod Boëtius dicit, quod relativa nihil praedicant de eo de quo dicuntur... Et hoc verum est tam in relationibus quae de Deo dicuntur, quam de illis quae in creaturis sunt, sed diversimode ; quia relatio quae habet *esse* in creatura, habet *aliud esse* quam sit *esse* sui subiecti ; unde est aliquid aliud a suo subiecto ; sed in Deo nihil est quod habeat *esse aliud* ab ipso ; *esse* enim sapientiae est ipsum *esse divinum*, et non superadditum ; et similiter *esse* paternitatis. Unde relatio, quantum ad *esse* suum, secundum quem solum modum debetur ei quod ponat *aliquid*, est essentia divina ; sed secundum *rationem suam*, per quam habet distinguere unam personam ab alia, non debetur ei quod dicat *aliquid*, sed potius *ad aliquid*. Unde quamvis Pater habeat *paternitatem* quam Filius non habet, et paternitas sit *aliquid*, non tamen Pater habet *aliquid* quod Filius non habeat. Et sic paternitas est essentia ; nec tamen sequitur, quod Pater essentiam aliquam habeat qua careat Filius. Si autem Pater haberet sapientiam, et non Filius, haberet aliquid Pater quod non haberet Filius ; quia *sapientia* dicit *aliquid* in sapiente, etiam secundum rationem suam. Similiter dico quod, cum *generare* in divinis sit relatio quaedam, et sit *aliquid*, quamvis Pater possit generare et non Filius : non sequitur quod possit *aliquid* Pater quod non possit Filius ; sed bene sequeretur, si Pater posset *intelligere*, et non Filius, quod Pater posset *aliquid* quod non posset Filius ; sicut Pater est Pater, et esse Patrem est aliquid esse, et tamen

cum Filius non sit Pater, *nullum esse* est Patris quod non sit Filii ; quia *omne esse* in divinis est *essentiae ;* et similiter *omne ad aliquid* est ibi secundum rationem essentiae vel secundum rationem attributorum. »

b) *De Pot.* q. 2. a. 5. : « In essentia autem divina hoc considerandum est, quod propter eius summam simplicitatem quidquid est in Deo, est divina essentia ; unde et ipsae relationes, quibus personae ad invicem distinguuntur, sunt ipsa divina essentia secundum rem... Nec tamen sequitur quod, quamvis paternitatem Filius non habeat quam Pater habet, aliquid habeat Pater quod non habet Filius ; nam ipsa relatio secundum rationem sui generis, in quantum est relatio, non habet quod sit *aliquid*, sed solum quod sit *ad aliquid*. Quod sit vero *aliquid* secundum rem, habet ex illa parte qua inest, vel ut idem secundum rem, ut in divinis, vel ut habens causam in subiecto, sicut in creaturis. Unde cum id quod est absolutum, communiter sit in Patre et Filio, non distinguuntur secundum *aliquid*, sed secundum *ad aliquid* tantum ; unde non potest dici, quod aliquid habet Pater quod non habet Filius, sed quod aliquid secundum unum respectum convenit Patri, et secundum alium aliquid Filio. » Et ad 5. : « Sicut una et eadem est essentia trium personarum, non tamen sub eadem relatione vel secundum eundem modum existendi est in tribus personis, ita est de omnipotentia. »

c) I. q. 42. a. 6. ad 3. : « Sicut eadem essentia quae in Patre est paternitas, in Filio est filiatio, ita eadem est potentia qua Pater generat, et qua Filius generatur. Unde manifestum est, quod quidquid potest Pater, potest Filius ; non tamen sequitur quod possit generare ; sed mutatur *quid* in *ad aliquid*. Nam generatio significat relationem in divinis. Habet ergo Filius eandem potentiam quam Pater, sed cum alia relatione. Quia Pater habet eam ut *dans ;* et hoc significatur cum dicitur quod potest generare ; Filius autem habet eam ut *accipiens ;* et hoc significatur cum dicitur quod potest generari. »

d) *De Pot.* q. 10. a. 2. : « *Habens* autem non distinguitur in divinis ab *habente* per hoc quod hic habeat haec attributa,

ille vero alia ; sed per hoc, quod eadem unus habet ab alio. » Et a. 5. : « In divinis non potest esse aliquid distinctum nisi per hoc quod est *ad aliquid*. Unde relatio quae est distinctionis principium in divinis, secundum rationem prior est proprietate. »

e) *De Pot.* q. 9. a. 5. ad 23. : « Licet tota et perfecta divinitas sit in qualibet trium personarum secundum proprium modum existendi, tamen ad perfectionem Divinitatis pertinet, ut sint plures modi existendi in divinis, ut sc. sit ibi : 1° *a quo alius* et ipse a nullo ; 2° et aliquis qui est ab alio. Non enim esset omnimoda perfectio in divinis nisi esset ibi processio Verbi et Amoris. »

Sexto : **Nulla est contradictio in hoc, quod divinae personae sint idem et unum cum divina essentia, et tamen inter se ad invicem realiter distinguantur.** — Difficultas quidem haud parva videtur oriri ex illo principio : *Quaecumque uni et eidem sunt eadem, sibi invicem sunt eadem.* Si enim divinae personae identificantur cum divina natura, quomodo ad invicem possunt esse realiter distinctae ? Si sunt unum quatenus essentia, quomodo esse possunt tres quatenus personae ? Hic videntur contradictoria de uno et eodem praedicari. — Ad hoc autem recte ac sufficienter respondetur a D. Thoma : 1° quod huiusmodi principium : *Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se,* tenet in his quae sunt idem re et ratione, non autem in his quae differunt ratione ; 2° de eo quod est idem re et differens ratione, nihil prohibet contradictoria praedicari, ut dicit Philosophus, *III. Physic.* Iam vero, in divinis essentia et personae sunt idem et unum secundum rem, attamen differunt ratione ; ac perinde nulla potest oriri contradictio ex supraposito identitatis principio ; etenim non datur affirmatio et negatio eiusdem de eodem secundum idem. In quantum ergo essentia et personae in divinis differunt secundum intelligentiae rationem, sequitur quod aliquid possit affirmari de uno, quod negatur de altero. Sicque recte dicitur etiam iuxta regulas logicae ac stando principiis philosophiae, quod in divinis essentia est una, et personae sunt tres ; et similiter quod personae identificantur

realiter cum essentia, et tamen realiter distinguuntur ad invicem inter se [1].

SEPTIMO : **Ex hoc quod in divinis est unum et idem esse relationum et essentiae, recte infertur quod personae realiter distinguantur, et tamen nulla sit perfectio in una persona divina quae non sit etiam in altera.** — In relatione creata, sicut in omnibus accidentibus, est duo considerare, videlicet : 1° *esse* suum secundum quod ponit *aliquid* in ipso, prout est accidens ; 2° et *rationem* suam secundum quam ad aliud refertur, ex qua in genere determinato collocatur ; et ex hac ratione non habet quod ponat *aliquid* in eo de quo dicitur ; sicut omnes aliae formae absolutae ex ipsa sua ratione habent quod aliquid in eo, de quo dicuntur, ponant ; ut sapientia, iustitia et huiusmodi. Ac quamvis relationi, ex hoc quod *ad alterum* dicitur, non debetur quod sit *res quaedam*, est tamen *res aliqua* secundum quod habet fundamentum in eo, quod refertur ; et tunc relatio est realis, de cuius quidditate est esse ad alterum, dicere realem ordinem ad illud, ac realem quoque oppositionem ac distinctionem inter extrema relationis causare. Iam vero, in divinis relationes sunt reales secundum quod habent fundamentum in divinis processionibus Filii a Patre, et Spiritus Sancti a Patre et Filio. Et quia divinae sunt, et in Deo nullum est accidens, relationes sunt ipsa substantia, ac perinde relationes subsistentes ; et ideo faciunt realem hypostasum distinctionem ; nam nihil aliud est principium distinctionis in divinis nisi relatio. Quia ergo relatio in divinis realiter est idem quod essentia, et essentiae ac relationum unum est *esse*, idcirco nulla est perfectio in Patre quae non sit in Filio ; nec in Filio et Patre, quae non sit in Spiritu Sancto. Unde, quia paternitas et essentia divina sunt idem et unum secundum *esse*, ideo, sicut in Filio est *esse* essentiae, ita et in Filio est *esse* paternitatis ; quia in divinis non est nisi *unum esse*. Et sic quidquid est perfectionis in Patre sub relatione paternitatis, id totum est in Filio sub relatione filiationis, et in Spiritu Sancto sub relatione inspi-

[1] I. q. 28. a. 1. ad 1. : q. 39. a. 1. — *De Pot.* q. 8. a. 2. ad 10.

rationis quae *passiva* dicitur. — Verum, quia in divinis relationes sunt reales, vere salvatur ratio realis relationis ; atque exinde ex sua propria ratione relatio habet quod realiter distinguat unam personam ab altera, quia de ratione realis relationis est opponi ac realiter distinguere inter opposita extrema. Distinguuntur igitur divinae personae non per *aliquid*, sed per *ad aliquid*. Id autem quod dicitur *ad aliquid* in divinis, habet aliam rationem a ratione substantiae et alium modum praedicandi condivisum contra substantiam. Ita in divinis dicitur, quod *eodem* est *substantia* et *sciens;* non tamen quod *eodem* sit *substantia* et *Pater;* cum relatio, quae per se substantiae condivitur, secundum rationem generis et modum significandi in divinis salvetur. Ac quia relatio divina est, est subsistens ; inde hypostasis significat in divinis relationem per modum substantiae [1].

V

Qui negant realem compositionem esse et essentiae in rebus creatis, coguntur multiplicare esse in divinis, et relativum videntur mutare in absolutum.

Primo : **Quomodo ex notione relationis realis in creatis assurgit D. Thomas ad solvendum difficultates circa relationes reales in divinis.** — *a*) In realibus relationibus in creaturis existentibus est aliud *esse* relationis et substantiae quae refertur ; et ideo dicuntur *inesse;* et secundum quod insunt, compositionem faciunt accidentis ad subiectum. In divinis autem relationibus non est aliud *esse* relationis et substantiae ; et ideo reales relationes, quae fundantur in communicatione divinae naturae, non dicuntur *inesse,* sed *subsistere;* nec faciunt compositionem cum essentia, quia secundum rem

[1] I. q. 28. a. 2. — *I. Sent.* dist. 26. q. 2. a. 1.; dist. 33. q. 1. a. 1. et 2.

sunt ipsa essentia. In natura divina non est nisi *unum esse*, nec in ea differt *esse* et *quod est* et *quo est*.

b) In realibus relationibus in creaturis existentibus distingui oportet, sicut in omni ente quod in praedicamento collocatur, *duo*, videlicet : 1° « ipsa quidditas vel natura rei » ; 2° « ipse actus essentiae... Dico igitur quod cum dicitur : *Ad aliquid sunt quorum esse est ad aliud se habere*, intelligitur de *esse* quod est quidditas rei, quae definitione significatur ; quia ipsa natura relationis, per quam constituitur in tali genere, est *ad aliud referri ;* et non intelligitur de *esse* quod est actus essentiae ; hoc enim *esse* habet relatio ex his quae causant ipsam in subiecto, secundum quod *esse* non refertur ad aliud, sed ad subiectum, sicut et quodlibet accidens [1]. »

c) In divinis sicut non est compositio *esse* et essentiae in absolutis, ita nec in relativis ; quapropter *esse* et *essentia* relationis realis divinae non faciunt compositionem ; sed sicut in absolutis « *esse* essentiae est ipsa *essentia*, *esse* paternitatis est ipsa *paternitas* » ; et « ipsa paternitas secundum rem est ipsa essentia : unde non facit compositionem cum ea. Sed quia manet ibi verus respectus pertinens ad *naturam relationis*, qui non pertinet ad *rationem essentiae*, ex illo respectu *relatio* potest distinguere ; quamvis *essentia* non distinguatur, de cuius intellectu non est iste respectus oppo-

[1] CAIETANUS, *Comment.* in I. q. 28. a. 2. : « *Inesse* cuiusque formae accidentalis distinguitur realiter ab *essentia* accidentis et ab *esse* subiecti... *Inesse* relationis non est *ad aliud se habere*... Omnis relatio realis in creaturis distinguitur realiter a fundamento... Minimae demum entitatis relatio inter cetera praedicamenta et est et dicitur ; quia ex proprio sibi, id est *ad*, non habet quod sit reale ; imo quantum est ex hoc, potest in ratione solum inveniri... Adverte quod, licet quibusdam relationibus assentiat Scotus S. Thomae, quod distinguantur realiter a fundamentis, non tamen conveniunt in hoc quod *inesse* relationis distinguatur realiter ab eius *essentia ;* sicut nec universaliter, quod *esse* et *essentia* distinguantur in creaturis realiter. Nec tamen intelligas *inesse* relationis distingui ab ipsa sicut alia relatio, aut sicut res omnino absoluta. Utrumque enim horum est falsum ; *esse* namque relationis in genere est relationis, reductive tamen ut eius *actualitas ;* sicut *esse* substantiae in genere substantiae, et *esse* qualitatis in genere qualitatis, etc. »

sitionem habens, et per consequens distinctionem causans. » Exinde habetur :

1° Quod, licet relationes divinae sint unum re cum divina essentia, atque relationum et essentiae unum sit *esse*, tamen « non oportet, quod *esse* essentiae divinae sit *ad aliud se habere ;* quia illud *esse*, in quo paternitas et essentia uniuntur, significatur ut *esse* quod est actus essentiae ; non autem uniuntur in *esse* quod significat definitio rei ; quia alia est ratio paternitatis qua ad aliud refertur, et alia ratio essentiae. » 2° « Cum dicitur, quod est *alia ratio* paternitatis et essentiae in divinis, non accipitur ratio secundum quod est in ratiocinante tantum, sed secundum quod est nomen intentionis et significat definitionem rei. Quamvis enim in divinis non possit esse definitio nec genus nec differentia nec compositio, tamen, si intelligatur ibi aliquid definiri, alia erit definitio paternitatis, et alia definitio essentiae. In omnibus autem intentionibus hoc communiter verum est, quod intentiones ipsae non sunt in rebus, sed in anima tantum ; sed habent aliquid in re respondens, sc. *naturam*, cui intellectus huiusmodi intentiones attribuit... Ipsa ratio, quam dicimus aliam et aliam in divinis, non est in re ; sed est in re *aliquid* respondens ei, in quo fundatur veritas illius rei, cui talis intentio attribuitur. » 3° « Nulla *ratio* alicuius praedicamenti manet in divinis, nisi relationis ; et ideo id quod dicitur *ad aliquid* in divinis, habet aliam rationem a ratione substantiae, et alium modum praedicandi condivisum contra substantiam... Ita in divinis dicitur, quod *eodem* est *substantia* et *sciens*, non tamen quod *eodem* sit substantia et *Pater ;* cum relatio, quae per se *substantiae* condividitur, secundum rationem generis et modum significandi salvetur. » 4° « Paternitas autem et essentia divina sunt idem secundum *esse ;* et ideo sicut in Filio est *esse* essentiae, ita et in Filio est *esse* paternitatis, quia in divinis non est nisi *unum esse*. Sed paternitas habet *aliquid* in quo non unitur cum essentia, sc. *rationem* paternitatis, quae est alia a *ratione* essentiae ; unde secundum illam rationem respectus potest esse in Patre et non in Filio, sed *distinguere* Patrem a Filio. » 5° « Nomen entis sumitur ab *esse* rei ; et ideo cum unum et idem sit *esse* trium perso-

narum, si *ens* sumatur substantive, non potest pluraliter praedicari de tribus personis [1]. »

SECUNDO : **Qui, ut Suarez, negant realem compositionem esse et essentiae in creatis, coguntur ponere tria esse in divinis.** — Etenim, cum in creatis non possint huiusmodi philosophi et theologi servare realitatem relationis nisi in *esse*, quod est actus essentiae relationis, eo quod in rebus creatis *esse* et essentiam asserant identificari, idcirco nec relationes reales, quas fides catholica ponit in divinis, valent explicare nisi asserendo in divinis *tria esse* relativa ; nam, iuxta illos, relatio realis ponit aliquid in subiecto, etiamsi consideretur secundum *esse ad*. Unde Suarez in suis *Disput. metaph.* 10. sect. 3. : « Nihil iuvat illa distinctio de relatione secundum *esse in* vel secundum *esse ad* ; nam si *esse ad* sit verum et reale, necesse est ut afficiat subiectum quod refert ad terminum ; unde sicut relatio, etiam secundum *esse ad*, ponit in subiecto *aliquid reale*, ita etiam ponit aliquid bonitatis vel perfectionis. » Et *De Trinit.* lib. 3. cap. 5. : « Existentia nihil aliud est quam actualis entitas, vel si ita loqui velimus, nihil aliud est quam actualitas ipsius entitatis ; sed tres proprietates personales ac divinae sunt tres entitates actuales realiter inter se distinctae, et ratione ab existentia essentiae... Paternitas est veluti quaedam forma Patris ; ergo dat ei *aliquod esse* quod non est essentiae, nec potentiale ; est ergo actuale et existentiae. » Unde apparet differentia inter doctrinam Suarezii et doctrinam D. Thomae. Dum Suarez tradit, quod in Deo aliud est *esse* relationis et *esse* essentiae, ac perinde quod in Deo sunt *tria esse* existentiae, Angelicus Doctor docet, quod in Deo, utique, alia est *ratio* essentiae et alia *ratio* relationis, sed non est aliud *esse* relationis et *esse* essentiae, sed *unum* et *idem*.

TERTIO : **Consequenter Suarez ponit in una divina persona aliquam perfectionem quae non est in altera.** — Nam realem compositionem *esse* et essentiae in creatis negantes, ponunt

[1] *I. Sent.* dist. 25. q. 1. a. 3. et 4. et dist. 33. q. 1. a. 1.

in divinis *tria esse* trium relationum, quarum una opponitur alteri et non possunt esse simul in eadem persona. Unde in una persona divina ponitur aliquod *esse* quod in altera non habetur. Atque ita Suarez, *Disput.* 10. sect. 3. : « Dicendum ergo relationem, ut relatio est, sicut propriam dicit entitatem seu entitatis modum, ita etiam propriam dicere bonitatem seu perfectionem, ut docuerunt Ocham et Gabriel, et significat Durandus, nec dissentit Scotus... Concedendum ergo censeo omnem relationem realem dicere propriam bonitatem seu perfectionem. Neque hinc fit personas divinas esse *inaequales* in perfectione, nec, absolute loquendo, aliquam perfectionem esse in una quae non sit in aliis ; quia in singulis personis est eadem perfectio infinita in genere entis, formaliter vel eminenter includens omnem perfectionem omnium entium, tam absolutam quam respectivam, tam personalem quam essentialem. » Ac *De Trinit.* lib. 3. cap. 10. eandem tradens doctrinam, concludit : « Ex quo fit, ut in qualibet persona sit etiam eminenter omnis perfectio relativa, quamvis formaliter nulla persona habeat nisi illam tantum perfectionem relativam, quam eius relatio conferre potest. » Quod profecto valde alienum est a modo loquendi et ab ipsa doctrina D. Thomae, apud quem omnis divina perfectio est absoluta perfectio, ac nulla esse potest divina perfectio, quae in una persona formaliter, in altera vero dumtaxat eminenter contineatur.

Quarto : **Suarez non valet solvere difficultatem provenientem ex principio identitatis.** — Unde *De Trinit.* lib. 4. cap. 3. : « Respondeo principium : *Quaecumque uni et eidem sunt eadem, sibi invicem sunt eadem,* si in tota abstractione et analogia entis sumatur, abstrahendo ab ente creato et increato, seu finito et infinito, esse *falsum,* neque directe demonstrari aut probari posse, sed ad summum *inductione* posse a nobis ostendi in creaturis. Negamus autem inde recte concludi in tota illa universalitate ; quia in rigore fit argumentum ex puris particularibus, et quia in creaturis potest illud oriri ex limitatione earum, et ideo non recte fit illatio ad rem illimitatam. » At, ut bene ad hoc respondet P. Billot :

« Dictum principium esse *a priori* et comparari non experientia, non inductione, sed ipsa immediata analysi conceptuum, imo esse basim ac fundamentum omnium regularum syllogismi. Necesse igitur est, ut intra limites suae legitimae significationis sit absolute et universaliter verum, et tam in divinis quam in creatis applicetur, non secus ac istud : *Nihil potest esse simul et non esse*, aliaque huiusmodi ; alioquin, quid amplius de Deo superest ratiocinandum [1] ? »

[1] *De Deo Uno et Trino*, q. 28. De relat. div. thes. 8. — P. Billot in *Epilogo* huius tract. de Trinitate ostendit quoque alia plura inconvenientia, in quae videntur incidere theologi, qui in philosophia vagantur extra vias D. Thomae. « Primo (inquit), in hac via (extra doctrinam D. Thomae), ad nihil amplius inservit distinctio *relationis* et *substantiae*, quam Patres, Concilia et monumenta ecclesiastica tanta cura referunt, veluti suppeditans clavem responsionis ad molestissimas quaestiones adversariorum fidei. Re enim vera ad hoc adducimur, ut dicamus tres substantias esse idem cum substantia una, et substantiam unam identificare sibi substantias tres. Secundo, dato quod sine aperta contradictione adhuc stare posset *consubstantialitas*, profecto non salvatur divini esse *simplicitas*. Sic enim unaquaeque Persona divina componeretur ex *duabus* saltem *realitatibus*, quae non modo essent inter sese conceptu adaequate distinctae, verum etiam forent secundum rem aliquo modo separabiles... Tertio, dato quod posset salvari *simplicitas*, certe non salvatur *infinitas ;* si enim realitates personales ex *eodem* habent esse *realitates*, ex *quo* habent esse *distinctae* et inter se invicem *oppositae*, evidenter consequitur omnes simul sumptas esse aliquid maius quam sit una seorsum. Ergo singulae personae non sunt infinitae, quia non datur infinitum infinito maius ; nec est infinita ipsa Trinitas, quia finitum additum finito numquam faciet infinitum. » Haec aliaque plura recte ac profunde P. Billot, S. J., cuius observationes circa diversitatem doctrinae Suarezii et D. Thomae ad invicem comparatae leguntur fere ad litteram fideliter transcriptae in magistrali dissertatione, cui titulus : *Suarez Théologien et la doctrine de saint Thomas*. (*La Science catholique*, septembre 1899.) Ubi inter multa alia notatu digna, legitur : *a*) « *La Science catholique* a publié l'an dernier (N^os^ de juillet et août 1898) une étude comparative entre les théories métaphysiques de saint Thomas d'Aquin et celles de Suarez. La conclusion en était que Suarez ne pouvait nullement nous être présenté comme un interprète fidèle de la pensée du Docteur angélique, et que son système était tout l'opposé de la doctrine thomiste... Mais encore en théologie il se trouve, sur la plupart des questions les plus impor-

QUINTO : **Diversitas inter Suarezium ac D. Thomam in declaratione mysterii ss. Trinitatis originem trahit ex diversitate doctrinae in Philosophia Prima.** — Radix namque praedictorum inde exsurgit, quod iuxta *Disputationes Metaphysicas* Suarezii : 1° non admittitur, sed potius reicitur ut absurda, realis compositio *esse* et essentiae in creatis ; 2° consequenter non distinguitur in relationibus realibus creatis inter *esse ad alterum*, in quo consistit relationis essentia vel natura, et *esse* quod est actus essentiae ; 3° consequenter non salvantur tres relationes reales in divinis nisi per *tria*

tantes du *dogme*, en contradiction flagrante avec saint Thomas, et qu'en conséquence, sur le terrain théologique, comme sur le terrain philosophique, il ne peut nous être présenté comme un commentateur exact et fidèle du Maître des maîtres. » *b*) « Après avoir nié la distinction réelle de l'essence et de l'existence, et identifié le rapport de la relation avec le titre de sa réalité, il fallait logiquement que Suarez admît en Dieu *trois existences* relatives, tout comme il avait admis *trois perfections* relatives... Qui ne reconnaît ici la fameuse théorie de l'essence et de l'existence ? » *c*) « La doctrine de saint Thomas et de Suarez au sujet des relations divines, étant désormais clairement définie, il nous reste à examiner le point délicat du mystère de la Sainte Trinité, la difficulté en laquelle, pour ainsi dire, se résument toutes les autres difficultés. Un seul Dieu ; trois personnes :... En somme, il ne s'agit ni plus ni moins que du principe de contradiction... Une telle solution, logiquement déduite des principes de saint Thomas, ne peut convenir aux doctrines émises par Suarez... Le principe de contradiction devient pour Suarez un principe *a posteriori*, une loi contingente, tout comme les lois de la physique et de la mécanique. Du coup, la certitude métaphysique disparaît ; les déductions mathématiques perdent la rigueur de leur nécessité et de leur universalité. Bien plus, le théologien devrait s'interdire de raisonner sur les perfections divines, puisque, en Dieu, ce principe directeur de notre raisonnement ne trouve plus son application. D'autre part, la difficulté n'est point résolue ; on essaie seulement de l'éviter, en lui sacrifiant le premier principe de la raison. C'est l'aveu le plus formel que Suarez puisse faire de l'impossibilité où il se trouve de ne pouvoir éviter l'absurde où devraient le conduire ses principes étranges sur la nature de la relation. Nous avons voulu synthétiser autour du problème de la relation divine les plus importantes questions du mystère de la Sainte Trinité, tout en faisant remarquer les différences profondes qui séparent saint Thomas et Suarez. »

esse, quae ab huiusmodi theologis dicuntur relativa, at de facto sunt absoluta, quia *esse* in divinis est ipsa natura vel essentia Dei et pertinet ad praedicata absoluta ; 4° consequenter relatio divina non manet relatio, sed vertitur in absolutum ; 5° consequenter ad illa *tria esse* sequuntur tres perfectiones, quae sic ut tria *esse* trium relationum ita sunt in una persona, quod non sunt in altera. Sunt enim tria *esse* et tres perfectiones, quae ad invicem realiter opponuntur. Inde omnia inconvenientia supra indicata, et alia plura, ut in subsequenti capitulo mox patebit.

CAPUT TERTIUM

Quomodo ex identitate esse et essentiae in Deo atque ex reali utriusque compositione in omnibus aliis procedat D. Thomas ad declarandum unionem hypostaticam in altissimo Incarnationis mysterio.

I

Expositio mysterii Incarnationis secundum doctrinam Ecclesiae.

Primo : **Ex prophetia Isaiae.** — Cap. 7, 14 : « Ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius *Emmanuel.* » Et cap. 9, 6 : « Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius ; et vocabitur nomen eius *Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis.* »

Secundo : **Ex Evangelio.** — *a*) Math. cap. 1. : « Iacob autem genuit Ioseph, virum Mariae, de qua natus est Iesus qui vocatur Christus... Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. Pariet autem filium, et vocabis nomen eius *Iesum ;* ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem : Ecce Virgo concipiet et pariet filium ; et vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum : *Nobiscum Deus.* » *b*) Luc. cap. 1. : « Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen eius *Iesum.* Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur ; et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius ; et regnabit

in domo Iacob in aeternum ; et regni eius non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum : Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco ? Et respondens Angelus dixit ei : Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. » Et cap. 2. : « Et peperit Filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in praesepio... Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo : Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. » *c*) Ioann. cap. 1. : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt ; et sine ipso factum est nihil quod factum est... Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis ; et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis... Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia. Quia lex per Moysem data est ; gratia et veritas per Iesum Christum facta est. »

Tertio : **Ex Epistolis S. Pauli.** — *a*) Rom. cap. 1. : « Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri. » Et cap. 9. : « Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula. Amen. » *b*) Galat. cap. 4. : « At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. » *c*) Coloss. cap. 1. : « Et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant. Et ipse est caput corporis Ecclesiae... Mysterium quod absconditum fuit a saeculis et generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis eius. Quibus voluit Deus notas facere divitias gloriae sacramenti huius in Gentibus, quod est Christus, in vobis spes gloriae... Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter. » *d*) Tit. cap. 2. : « Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus. » Et cap. 3. : « Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei. » *e*) Hebr.

cap. 1. : « Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis ; novissime, diebus istis, locutus est nobis in Filio, quem constituit haeredem universorum, per quem fecit et saecula. Qui cum sit splendor gloriae, et figura substantiae eius, portansque omnia verbo virtutis suae, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis ; tanto melior angelis effectus, quanto differentius prae illis nomen hereditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum : *Filius meus es tu, ego hodie genui te ?* »

Quarto : **Ex prima Epistola S. Ioannis.** — Cap 1. : « Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae ; et vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem, et apparuit nobis ; quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre et cum Filio eius, Iesu Christo. »

Quinto : **Ex Symbolo fidei.** — *a*) *Symb. Nicaenum :* « Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium ; et in unum Dominum, Iesum Christum, Filium Dei Unigenitum ; et ex Patre natum ante omnia saecula ; Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum ; consubstantialem Patri ; per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est, de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine ; et homo factus est. » *b*) *Symb. S. Athanasii :* « Est ergo fides recta, ut credamus et confiteamur, quia Dominus noster Iesus Christus Dei Filius, Deus et homo est. Deus ex substantia Patris, ante saecula genitus ; et homo ex substantia matris, in saeculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo ; ex anima rationali et humana carne subsistens. Aequalis Patri secundum divinitatem ; minor Patre secundum humanitatem. Qui licet Deus sit et homo, non duo tamen, sed unus est Christus. Unus autem, non conversione

divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Unus omnino, non confusione substantiae, sed unitate personae. Nam sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus. »

SEXTO : **Verus sensus illius similitudinis :** *Sicut anima rationalis et caro unus homo, ita Deus et homo unus est Christus.* — D. Thomas, III. q. 2. a. 1. ad 2. : « Ex anima et corpore constituitur in unoquoque nostrum duplex unitas, *naturae* et *personae*. Naturae quidem, secundum quod anima unitur corpori, formaliter perficiens ipsum, ut ex duobus fiat *una natura*, sicut ex actu et potentia, vel materia et forma. Et quantum ad hoc non attenditur similitudo, quia natura divina non potest esse corporis forma. Unitas vero personae constituitur ex eis, in quantum est *unus aliquis subsistens* in carne et anima ; et quantum ad hoc attenditur similitudo ; *unus* enim *Christus* subsistit in divina natura et humana. »

SEPTIMO : **Capita doctrinalia fidei circa unionem hypostaticam.** — Iuxta catholicam ergo fidei doctrinam firmiter tenendum est :

1° Unio Verbi Incarnati est facta non in natura divina, sed in persona divina Verbi seu Filii Dei [1].

2° In Christo non sunt duae hypostases, vel duo supposita, vel duae personae ; sed una sola hypostasis, unum suppositum, una persona divina subsistens in duabus naturis, divina nempe et humana [2].

3° Unio itaque Dei et hominis in Christo non est dicenda secundum essentiam vel naturam, neque etiam secundum accidens, sed medio modo secundum subsistentiam seu hypostasim ; ac perinde non est dicenda *essentialis*, nec *accidentalis ;* sed *substantialis*, *personalis*, *hypostatica* [3].

4° Filius Dei assumpsit essentiam vel naturam humanam perfectam et completam in ratione essentiae vel naturae ;

[1] III. q. 2. a. 1. et 2.
[2] III. q. 2. a. 3. et 4.
[3] III. q. 2. a. 6.

ac proinde assumpsit humanum compositum ex corpore et anima rationali ; attamen nullo modo assumpsit humanam personam aut humanum suppositum aut humanam hypostasim ; et ideo non est proprie dictum, quod Filius Dei assumpserit *hominem* [1].

5° Filius Dei assumpsit tamen naturam humanam singularem et individuam, sed in individuo, quod non est aliud a supposito increato, quod est persona Filii Dei [2].

II

Quomodo explicatur hypostatica unio humanae et divinae naturae in persona Verbi Incarnati iuxta principia philosophico-theologica a D. Thoma tradita.

§ 1.

Quid sit hypostasis seu persona, et quomodo se habeat ad essentiam et ad esse in creatis.

Primo : **Quid addatur essentiae per principia individuantia.** — Oportet distinguere inter essentiam seu naturam quae est substantia simplex, et essentiam seu naturam quae est composita ex materia et forma. In habentibus enim naturam simplicem nihil additur reale supra ipsam naturam, quoniam talis natura per seipsam individuatur, sicut angeli, in quibus non differt individuum et natura ; et ideo principia individuantia huiusmodi formarum sunt de essentia earum. Sed in habentibus naturam compositam ex materia et forma, aliquid reale additur essentiae per ipsa individuantia principia. Unde id quod est *homo*, habet in se aliquid quod non habet *humanitas ;* et propter hoc non est totaliter idem homo et humanitas. Quapropter in rebus compositis ex materia et

[1] III. q. 4. a. 1. et 2.

[2] III. q. 2. a. 2. ad 3.; et q. 4. a. 2. ad 1. Vide supra, lib. 2. cap. 6.

forma tria est considerare, quorum nullum est aliud, sc. *natura* speciei, *individuum*, et *esse* [1].

SECUNDO : **Quid autem addat supra essentiam singularem ac individuam substantiae creatae ipsa subsistentia.** — Nomen *subsistentia* sumitur duplici modo : *a*) in concreto ; et tunc « subsistentia idem est quod res subsistens, quod est proprium hypostasis. » (III. q. 2. a. 3.) ; *b*) in abstracto ; et tunc subsistentia est modus substantialis vel actualitas, qua substantia redditur completa atque alteri incommunicabilis, ita ut fiat sui iuris quoad *esse* et *operari*.

TERTIO : **Esse non est de ratione suppositi vel rei subsistentis in creatis, sed tamen est de integritate suppositi seu personae, tamquam actus eius.** — Quia ergo, iuxta philosophicam D. Thomae doctrinam, omne ens creatum et subsistens componitur realiter ex his duobus, nempe *ex eo quod est* et *ex esse*, idcirco tam in angelis quam in hominibus *esse* est praeter eorum essentiam vel naturam ; atque in utrisque suppositum et natura non sunt omnino idem ; et *esse* non convenit naturae nisi mediante supposito vel persona, ad cuius constitutionem pertinet *esse* veluti terminus ac proprius actus. Unde D. Thomas, *Quodl.* 2. a. 4. ad 2. : « Licet ipsum *esse* non sit de ratione suppositi, quia tamen pertinet ad suppositum et non est de ratione naturae, manifestum est, quod suppositum et natura non sunt omnino idem in quibuscumque res non est suum *esse*. » Et *Quodl.* 9. a. 3. ad 2. : *Esse* est de integritate suppositi, « et id in quo fundatur unitas suppositi ». Et III. q. 17. a. 2. : « *Esse* autem pertinet et ad naturam et ad hypostasim ; ad hypostasim, sicut ad *id quod* habet *esse* ; ad naturam autem, sicut *quo* aliquid habet *esse*. » Atque ibid. q. 19. a. 1. ad 4. : « Nam *esse* pertinet ad ipsam constitutionem personae ; et sic, quantum ad hoc, se habet in ratione termini. »

[1] I. q. 3. a. 3. — *QQ. DD. De Verbo Incarn.* a. 3. ad 6. et ad 14. — *De Anima*, a. 17. ad 10. ; a. 3. ad 13. — *III. De Anima*, lect. 8.

QUARTO : **Quid significet persona.** — D. Thomas : *a*) I. q. 29. a. 3. : « Persona significat id quod est perfectissimum in tota natura, sc. *subsistens in rationali natura.* » *b*) *De Pot.* q. 9. a. 3. : « Persona significat quandam naturam cum quodam modo existendi. Natura autem, quam persona in sua significatione includit, est omnium naturarum dignissima, sc. natura intellectualis secundum genus suum. Similiter etiam modus existendi, quem importat persona, est dignissimus, ut sc. aliquid sit *per se existens.* »

QUINTO : **Persona in creatis componitur ex multis.** — D. Thomas, *De Pot.* q. 9. a. 3. ad 4. : « Accidit personae, in quantum huiusmodi, quod sit composita, ex hoc quod complementum vel perfectio, quae requiritur ad rationem personae, non invenitur statim in uno simplici, sed requirit adunationem multorum, sicut in hominibus patet. In Deo autem cum summa simplicitate est summa perfectio ; et ideo est ibi persona absque compositione. »

SEXTO : **Quaenam sint haec multa, quorum adunatio requiritur ad constitutionem personae humanae.** — Ad constituendam itaque humanam personam requiruntur : *a*) ipsa natura vel essentia completa in ratione speciei, nempe compositum substantiale ex materia et forma, seu ex corpore et anima rationali informante corpus ; *b*) principia individuantia, quibus natura humana redditur singularis et individua ; *c*) subsistentia formaliter sumpta, sive modus ille substantialis, qua natura singularis et individua redditur completa et alteri incommunicabilis, et capax essendi et operandi suo proprio iure ; *d*) *esse* seu actus existentiae, quo ipsa persona pervenit ad ultimum terminum suae propriae constitutionis, ita quod haec persona vel hic homo, v. g. Petrus, *est.*

SEPTIMO : **Ordo inter suppositum et esse.** — Suppositum : *a*) est subiectum proprium et immediatum actus essendi ; *b*) dicit formaliter ordinem ad ipsam existentiam, quae est actus proprius suppositi, et quae non convenit essentiae nisi mediante supposito ; *c*) significatur ut *totum* habens *essentiam*

seu naturam sicut partem formalem et perfectivam sui, et habens *esse* tamquam actum quo suppositum integratur, et id in quo fundatur unitas ipsius ; *d*) differt secundum rem et ab ipsa *essentia* et ab ipso *esse*, sed diversimode ; ab essentia quidem, non quasi omnino aliqua duo separata, sed tamquam totum a parte ; nam in supposito includuntur ipsa natura speciei et quaedam alia supperaddita quae sunt praeter rationem speciei ; ab *esse*, tamquam subiectum a suo proprio actu. Unde *essentia* est de ratione suppositi, ut pars formalis et perfectiva eiusdem ; *esse* autem non est de ratione suppositi, sed pertinet ad suppositum veluti complementum substantiae existentis. Suppositum est id *quod* habet *esse ; esse* vero est id *quo* suppositum est. Atque ita ex reali compositione ex his duobus, nempe ex eo quod est et ex *esse*, constituitur subsistens in sua propria natura sive per se existens.

§ 2.

Humana natura in Christo non existit per se, sed existit in persona Verbi Dei.

Primo : **Humana natura in Christo non habet propriam personalitatem.** — *a*) III. q. 4. a. 2. ad 1. et ad 3. : « Naturam humanam assumpsit Filius Dei in atomo, id est, in individuo, quod non est aliud a supposito increato, quod est persona Filii Dei... Si enim humana natura non esset assumpta a divina persona, natura humana propriam personalitatem haberet ; et pro tanto dicitur persona consumpsisse personam, licet improprie ; quia persona divina sua unione impedivit ne humana natura propriam personalitatem haberet. »

b) *IV. C. Gent.* cap. 49. : « In Christo enim vere fuit *haec anima* et *hoc corpus ;* non tamen ex eis constituta est persona aliqua praeter personam Verbi Dei, quia sunt ad personalitatem Dei Verbi assumpta ; sicut et corpus, cum est sine anima, propriam speciem habet ; sed, cum unitur animae, ab ea speciem sortitur. »

c) III. q. 17. a. 2. ad 4. : « Anima in Christo dat *esse* corpori, inquantum facit ipsum actu animatum, quod est

dare ei complementum naturae et speciei. Sed si intelligatur corpus perfectum per animam absque hypostasi habente utrumque, hoc totum compositum ex anima et corpore, prout significatur nomine humanitatis, non significatur ut *quod est*, sed ut *quo est*.

d) *Compend. Theol.* cap. 219. : « Subiectum enim et accidens non sic uniuntur, ut ex eis aliquod tertium constituatur... Accidens trahitur ad personalitatem subiecti... Sic igitur, secundum similitudinem quandam, persona, hypostasis et suppositum Filii Dei est persona, hypostasis et suppositum humanae naturae in Christo. »

Secundo : **Humana natura in Christo non unitur accidentaliter Filio Dei, sed substantialiter.** — *a*) *IV. C. Gent.* cap 49. : « Verbum Dei per solam naturam divinam simpliciter *esse* habet, non autem per humanam naturam ; sed per eam habet quod sit hoc, sc. quod sit homo... Sic enim Verbum humanam naturam assumpsit, ut vere sit homo. Esse autem hominem est esse in genere substantiae. Quia igitur ex unione naturae humanae hypostasis Verbi Dei habet quod *sit homo*, non advenit ei accidentaliter ; nam accidentia *esse substantiale* non conferunt. »

b) *Quodl.* 9. a. 2. : « Ipsum donum gratis datum humanae naturae est *esse in divina Persona*... Non oportet ponere, quod hypostasis increata *informetur* humanitate, sed quod *subsistit* in ea. »

Tertio : **Humana natura in Christo assumpta est ad unum esse, non quidem prout esse est essentiae vel naturae divinae, sed prout esse est personae Filii Dei.** — *a*) III. q. 2. a. 6. ad 2. : « Illud quod advenit post *esse* completum, accidentaliter advenit, nisi trahatur in communionem illius *esse* completi ; sicut in resurrectione corpus adveniet animae praeexistenti ; non tamen accidentaliter, quia ad *idem esse* assumetur, ut sc. corpus habeat *esse* vitale per animam ; non est autem sic de albedine, quia aliud est *esse* albi, et aliud est *esse* hominis cui advenit albedo. Verbum autem Dei ab aeterno *esse* completum habuit secundum hypostasim sive

personam ; ex tempore autem advenit ei natura humana, non quasi assumpta ad *unum esse* prout est naturae, sicut corpus assumitur ad *esse* animae ; sed ad *unum esse* prout est hypostasis vel personae. Et ideo humana natura non unitur accidentaliter Filio Dei. »

b) *III. Sent.* dist. 6. q. 2. a. 2. ad 2. : « Aliud est de Deo et de omnibus aliis rebus ; quia in Deo ipsa essentia subsistens est, unde sibi secundum se debetur *esse ;* immo ipsa est suum *esse subsistens ;* unde essentia a persona non differt secundum rem ; et ideo *esse* essentiae est etiam personae, et tamen persona et essentia ratione differunt. Quamvis ergo unum sit *esse*, potest tamen *esse* considerari vel prout est essentiae, et sic non unitur humanitas in *esse* divino ; unde non unitur Patri ; vel potest considerari prout est personae, et sic unitur in esse divino. »

Quarto : **Humana natura in Christo existit in persona Verbi, et ideo habet nobilius esse quam si existeret sua propria existentia.** — *a*) III. q. 2. a. 2. ad 2. : « Dignius autem est alicui quod existat in aliquo se digniori, quam quod existat per se. Et ideo ex hoc ipso humana natura dignior est in Christo quam in nobis, quod in nobis quasi per se existens propriam personalitatem habet, in Christo autem existit in persona Verbi ; sicut etiam *esse* completivum speciei pertinet ad dignitatem formae, tamen sensitivum nobilius est in homine propter coniunctionem ad nobiliorem formam completivam quam sit in bruto animali, in quo est forma completiva. »

b) *III. Sent.* dist. 6. q. 3. a. 2. ad 1. : « Natura humana in Christo non degenerat, imo magis nobilitatur. » Et ad 2. : « Quamvis adveniat post *esse* completum, non tamen est accidentaliter adveniens ; quia trahitur ad unionem in *illo esse*, sicut corpus adveniet animae in resurrectione. »

c) *IV. C. Gent.* cap. 49. : « Non autem Verbum Dei *subsistentiam* habet ex natura humana, sed magis naturam humanam ad *suam subsistentiam* vel personalitatem trahit ; non enim per illam, sed in illa subsistit. Unde nihil prohibet Verbum Dei esse ubique, licet humana natura a Verbo Dei

assumpta ubique non sit... Quod autem anima humana et corpus in Christo ad personalitatem Verbi trahuntur, non constituentia aliquam personam praeter personam Verbi, non pertinet ad minorationem virtutis, sed ad dignitatem maiorem. Unumquodque enim *melius esse* habet, cum suo digniori unitur quam cum *per se existit.* »

QUINTO : **Unum esse humanae naturae et personae divinae in Christo.** — *a*) *Quodl.* 9. a. 3. : « *Esse* dicitur actus entis in quantum est ens, id est, quo denominatur aliquid *ens actu* in rerum natura ; et sic *esse* non attribuitur nisi rebus ipsis, quae in decem generibus continentur ; unde *ens*, a tali *esse* dictum, per decem genera dividitur... *Esse* ergo proprie et vere non attribuitur nisi rei per se subsistenti... Quia ergo in Christo ponimus unam rem subsistentem, ad cuius integritatem concurrit etiam humanitas, quia unum suppositum est utriusque naturae, ideo oportet dicere, quod *esse substantiale*, quod proprie attribuitur supposito in Christo, est *unum* tantum ; habet autem unitatem ex ipso supposito, et non ex naturis... *Esse* est *id* in quo fundatur unitas suppositi ; unde *esse* multiplex praeiudicat unitati. »

b) *Comp. Theol.* cap. 22. : « Manifestum est enim, quod partes divisae singulae proprium *esse* habent ; secundum autem quod in toto considerantur, non habent suum *esse*, sed omnes sunt per *esse* totius. Si ergo consideremus ipsum Christum ut quoddam integrum suppositum duarum naturarum, eius erit *unum* tantum *esse*, sicut et unum suppositum. »

c) *I. Sent.* dist. 17. q. 1. a. 1. : « Unio humanae naturae in Christo terminata est ad *unum esse* Personae divinae ; et ideo idem actus numero est Personae divinae et naturae humanae assumptae. » *III. Sent.* dist. 6. q. 2. a. 2. : « Non est inconveniens, quod *esse* unius subsistentis sit per respectum ad plura, sicut *esse* Petri est *unum*, habens tamen respectum ad diversa principia constituentia ipsum ; et similiter suo modo *unum esse* Christi habet duos respectus, unum ad naturam humanam, alterum ad divinam... Anima in Christo non acquirit *proprium esse* humanae naturae ; sed Filio Dei acquirit respectum secundum *suum esse* ad naturam, qui

tamen respectus non est aliquid secundum rem in divina Persona, sed aliquid secundum rationem. »

d) III. q. 17. a. 2. ad 2. : « Illud *esse aeternum* Filii Dei, quod est divina natura, fit *esse* hominis, in quantum humana natura assumitur a Filio Dei in unitatem personae. »

§ 3.

Modus quo Deus est in Christo per unionem.

PRIMO : **Triplex modus quo creatura coniungitur Deo et Deus dicitur esse in creatura.** — Primus enim modus quo creatura Deo coniungitur, est secundum similitudinem tantum, in quantum invenitur in creatura aliqua similitudo divinae bonitatis, non quod attingat ipsum Deum secundum substantiam ; et ista coniunctio invenitur in omnibus creaturis ; et Deus dicitur esse in omni creatura per essentiam, praesentiam et potentiam, quatenus Deus est in omnibus rebus *esse* largiens et ad proprias operationes movens. Secundus vero modus est quo creatura attingit ad ipsum Deum secundum substantiam suam consideratum, et non secundum similitudinem tantum ; et hoc est per *operationem ;* sc. quando aliquis fide adhaeret ipsi Primae Veritati, et caritate ipsi Summae Bonitati ; et hoc modo Deus specialiter est in sanctis per gratiam, atque in omnibus iustis habitat sicut in templo. Tertius denique modus est quo creatura per gratiam consummatam lumine gloriae attingit ad ipsum Deum secundum substantiam suam consideratum, ita quod mens creaturae intrat in consortium Divinitatis secundum operationem, quae est propria solius Dei, videns ipsum Deum facie ad faciem sicuti est ; et hoc specialissimo modo Deus est in omnibus beatis ; et mentes sanctorum plenae Deo dicuntur esse in patria. Atque triplex iste modus ita se habet in ordine perfectionis, ut secundus praesupponit ac includit primum ; et tertius, primum et secundum ; sed non e converso.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

SECUNDO : **Summus ac ultimus modus quo creatura coniungitur Deo et Deus dicitur esse in creatura.** — Hic est modus singularissimus atque ineffabilis, de quo Apostolus, II. Cor. cap. 5. ait : *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*, et quem D. Thomas ita declarat :

a) *I. Sent.* dist. 37. q. 1. a. 2. : « Creatura attingit ad ipsum Deum non solum secundum *operationem*, sed etiam secundum *esse;* non quidem prout *esse* est *actus essentiae*, quia creatura non potest transire in naturam divinam ; sed secundum quod est *actus hypostasis vel personae*, in cuius unionem creatura assumpta est ; et sic est ultimus modus, quo Deus est in Christo per unionem. » Et ad 3. : « In quo enim est Deus per unionem, etiam est per gratiam ; et in quo est per gratiam, est per essentiam, praesentiam et potentiam. »

b) III. q. 2. a. 11. : « Unio autem Incarnationis, cum sit in *esse personali*, transcendit unionem beatae mentis ad Deum, quae est per *actum* fruentis ; et ideo non potest cadere sub merito. » Ibid. q. 6. a. 6. : « Gratia enim unionis est *ipsum esse personale*, quod gratis divinitus datur humanae naturae in persona Verbi ; quod quidem est terminus assumptionis. » Et q. 7. a. 13. : « Praesentia autem Dei in Christo intelligitur secundum unionem humanae naturae ad divinam personam. Unde gratia habitualis Christi intelligitur ut consequens hanc unionem, sicut splendor solem. » Et ad 3. : « Gratia autem unionis non est in genere gratiae habitualis, sed est supra omne genus, sicut ipsa divina persona. »

c) *Opusc.* 2. *De rationibus fidei*, cap. 6. : « Sicut ergo spiritualis natura unitur corpori per efficaciam suae virtutis, ita et Deus potest uniri tam spirituali quam corporali ; et secundum hunc modum dicimus Deum naturae humanae fuisse unitum... Sic ergo et in unione Dei ad creaturam non trahitur Deitas ad humanam naturam, sed humana natura a Deo assumitur, non quidem ut convertatur in Deum, sed ut Deo adhaereat ; et sunt quodammodo, anima et corpus sic assumpta, *anima* et *corpus* ipsius Dei, sicut partes corporis assumptae ab anima sunt quodammodo ipsius animae membra. Quodam ergo incomprehensibili et ineffabili modo

dicimus Deum unitum esse humanae naturae in Christo, non solum per inhabitationem, sicut in aliis sanctis, sed quodam modo singulari, ita quod humana natura sit *quaedam* Filii Dei *natura*... Unde non inconvenienter dicimus *animam* et *corpus* esse Filii Dei, sed et *oculos* et *manus*, et quod Filius Dei *corporaliter videat* per oculi visionem, et *audit* per auris auditum ; et sic de aliis quae partibus animae vel corporis convenire possunt. »

TERTIO : **Ergo unio hypostatica est unio divinae et humanae naturae in esse divino, prout esse est actus divinae personae atque incommunicabilis Verbi divini existentia.** — Mysterium itaque Incarnationis, formaliter consideratum, vere reponitur in hoc, quod natura humana singularis, individua et perfecta in ratione essentiae vel naturae, trahitur ad *esse divinum* Filii Dei ; et sic coniungitur Verbo, ut illa existat in persona Verbi, et non semetipsa ; pro quanto *esse personale* Filii, cuius est subsistere in humana natura assumpta, supplet vices creatae existentiae sive illius proprii actus essendi, qui eidem humanitati naturaliter deberetur, si esset separata a Verbo et fieret sui iuris quoad *esse* et *operari*.

Unio haec altissima atque ineffabilis divinae et humanae naturae in Christo facta est in divina persona Verbi Incarnati ; et persona in Christo est una sola et divina in duabus naturis subsistens. Unde D. Thomas, III. q. 2. a. 1. ad 2. : « Unus enim Christus subsistit in divina natura et humana. »

Et quia *unum subsistere* Dei et hominis in Christo, exinde in Christo Deus est homo, et homo est Deus ; et Dei et hominis in Christo est *unum* tantummodo *esse*. Hoc *unum esse* est in quo communicant et uniuntur et sunt indivisae duae naturae realiter distinctae, divina et humana, Christi. Hoc *unum esse* est id quo Verbum Dei, factum caro, subsistit in duabus naturis. Hoc *unum esse* est id quo Christus dicitur et est *unus* et etiam *unum* Unde D. Thomas, *III. Sent.* dist. 18. q. 1. a. 1. ad 3. : « Unitas rei consequitur *esse* suum ; unde eodem modo praedicatur de re *ens* et *unum* quod convertitur cum ente. Non autem ex actione sua habet res unitatem ; et ideo non potest esse quod sit suppositum unum, et

esse eius non sit *unum* ; potest autem esse quod sit suppositum unum, et actio eius non sit una. » Et III. q. 17. a. 2. : « Si ergo in Christo essent *duo esse*, et non tantum *unum*, Christus esset *duo* et non *unum*. »

Hoc *unum esse* communicatur immediate humanae naturae assumptae, et est terminus assumptionis, et praecedit omne meritum omnemque dispositionem, et se habet veluti principium et ratio totius perfectionis et plenitudinis gratiae et gloriae et veritatis in homine Christo. *III. Sent.* dist. 13. q. 3. a. 1. ad 7. : « Sed unio in persona est unio ad *esse;* quia autem inter naturam humanam et *esse*, quod habet in persona, non potest cadere medium quod sit principium illius *esse*, ideo non potest ibi esse alia gratia quae sit principium illius unionis, vel sicut disponens, nisi per modum dictum. » Et ibid. ad 8. : « Hoc quod Deus est in anima Christi, vel in natura assumpta, alio modo quam in aliis creaturis, non est per aliquam dispositionem advenientem, sed per *ipsum esse* personae divinae, quod communicatur naturae humanae. » III. q. 7. a. 13. : « Gratia habitualis Christi intelligitur ut consequens hanc unionem, sicut splendor solem. »

Hoc *unum esse* respicit duas naturas in Christo, ex quibus una, sc. humana, trahitur ad *esse* alterius, sc. divinae ; ac perinde humana natura in Christo caret propria existentia, quia ubi non datur persona humana, non datur existentia humana ; ideoque existit in persona Verbi, et sustentatur in *esse* per personam divinam Verbi, quae in humana natura assumpta subsistit. *De Verit.* q. 20. a. 2. ad 5. : « Unio in Christo non terminatur ad operationem, sed ad *esse*. » Et q. 29. a. 1. : « Animae ad Deum duplex potest esse coniunctio : una secundum *esse* in una persona, quae singulariter est animae Christi ; alia secundum *operationem*, quae est communis omnibus cognoscentibus et amantibus Deum. » *III. Sent.* dist. 6. q. 2. a. 2. ad 1. : « Anima in Christo non acquirit proprium *esse* humanae naturae. » Ibid. dist. 8. q. 1. a. 4. ad 2. : « Quamvis in Christo sit *unum esse*, tamen secundum illud habet respectum ad duas naturas. » Ibid. dist. 6. q. 2. a. 3. : « Secunda opinio ponit *unum esse* in Christo ; unde *esse* divinae Personae pertinet ad utramque naturam. » III. q. 2.

a. 6. : « Sic ergo patet, quod secunda trium opinionum, quas Magister ponit, quae asserit unam hypostasim Dei et hominis, non est dicenda opinio, sed sententia catholicae fidei. »

III

Quomodo explicetur unio hypostatica humanae ac divinae naturae in persona Verbi Incarnati iuxta principia philosophico-theologica a Scoto et a Suarezio tradita.

§ 1.

Negata reali compositione essentiae et esse in creatis, oportet unionem hypostaticam explicare aliter quam D. Thomas declarat.

Primo : **Esse iuxta doctrinam philosophicam D. Thomae pertinet ad constitutionem personae.** — III. q. 19. a. 1. ad 4. : « *Esse* pertinet ad ipsam constitutionem personae ; et sic quantum ad hoc se habet in ratione termini. » Quod Caietanus in suis Commentariis in hunc articulum ita dilucidat atque evolvit : « In constitutione personae a natura, *esse* se habet ut terminus ; quia spectat ad ipsam personae constitutionem ut propria actualitas eius ; *persona* enim nihil aliud est quam *natura* deducta ad hoc quod sit proprie *id quod est*. Et hinc provenit, ut unitas personae exigat unitatem *esse;* oportet namque constitutionem unius personae ad unum tantummodo terminum compleri... *Esse* vero naturam habet ut *principium quo* tantum ; et personam, ut *immediatum subiectum quod est*. Eadem ergo est doctrina hic (q. 19. a. 1.) et superius (q. 17. a. 2.) tradita. Non enim docemur hic, quod *esse* sit de intrinseco intellectu personae, sed quod pertinet ad constitutionem personae. Et vere sic est. Quoniam constitutio personae est constitutio ipsius *esse*. Tunc quia non alia constitutione fit *persona*, et alia fit *esse;* sed una et eadem. Tum quia ad hoc constituitur persona, ut *sit:* quod est dictu, constitutionem personae terminari ad *esse*, tamquam ad

ipsius personae propriam, immediatam ultimamque actualitatem, infra latitudinem sui generis, sc. substantiae. »

SECUNDO : **Esse, iuxta doctrinam philosophicam Scoti et Suarezii, pertinet ad constitutionem essentiae seu naturae creatae.** — Iam vero, tam Scotus quam Suarez negant realem compositionem essentiae et *esse* in rebus creatis ; ac proinde, iuxta philosophica ipsorum principia, essentia vel natura humana realiter identificatur cum actu essendi. Actualis enim hominis existentia constituit formaliter ipsam et realem hominis essentiam. Quapropter, ubicumque datur realis humana natura, ibi oportet ut necessario detur humana existentia, quae supponitur esse unum et idem cum ipsa essentia vel natura. Unde qui negant realem compositionem naturae et *esse* in creatis, coguntur ponere *duo esse*, *duas existentias* in Christo, in quo iuxta fidem catholicam sunt *duae essentiae* vel *naturae*. Ergo logice procedentes nec Scotus nec Suarez possunt declarare unionem hypostaticam per hoc quod in Christo est *unum* tantummodo *esse*, nempe *esse aeternum* Filii Dei, in quo uniuntur et communicant utraque Christi natura, divina sc. et humana.

TERTIO : **Ergo Scotus et Suarez aliter quam D. Thomas tradere coguntur notionem humanae personae.** — Etenim *esse*, quod est actus essentiae vel naturae substantialis, supponitur unum et idem cum ipsa essentia vel natura humana ; idcirco *esse* non se habet, iuxta philosophicam eorum doctrinam, ad personam humanam in ratione termini suae propriae constitutionis, nec proinde ad constitutionem personae humanae pertinet ut actualitas eiusdem. Unde necesse est, quod tam Scotus quam Suarezius per alias vias quaerant adinvenire *quid sit humana persona* et per quod postremo constituatur in ratione termini ac propriae actualitatis. Ac semel iam determinata quidditate humanae personalitatis, aliter quam D. Thomas hypostaticam Verbi Incarnati unionem explicare satagant et conentur. Quod quidem per diversas atque oppositas vias ab invicem declinando Scotus et Suarezius laborant perficere.

§ 2.

Via Scoti.

PRIMO : **Quid sit persona iuxta Scotum.** — *a*) « Non in positivo, sed in negativo esse ponendam rationem personalitatis creatae. Personalitas creata est formaliter negatio. Personalitas igitur creata supra naturam singularem non addit nisi negationem communicabilitatis sive dependentiam, quae est in communicari. » *b*) « In natura ergo creata ad rationem personalitatis oportet concurrere simul duas negationes, actualis sc. et aptitudinalis dependentiae ad extrinsecam personam, adeo ut negatio aptitudinalis dependentiae sit quasi habitualis, necessario conveniens naturae cui convenit, sive sit personata in se sive in persona aliena. Sed alia negatio, actualis nimirum dependentiae, superveniens illi negationi aptitudinali, complet propriam personalitatem in natura intellectuali, et suppositi in aliis naturis substantialibus et completis... Ex quo patet, qualiter non sufficeret negatio actualis dependentiae sine aptitudinali ad complendam rationem personae. » *c*) « Nos putamus eam rationem (ratio personae) esse negationem actualis et aptitudinalis dependentiae ; et propterea omne positivum naturae fuisse a Verbo assumptum [1]. »

SECUNDO : **Natura humana et suppositum humanum, secundum Scotum.** — Itaque secundum Scoti doctrinam : 1° Aliquid ultimo constituitur in ratione suppositi seu personae per negationem unionis cum altero supposito. 2° Natura singularis et integra per se constituitur in tali independentia, non aliquo alio positivo ultra illam entitatem quae est ipsamet essentia vel natura. 3° Sola natura singularis integra ultimo in ratione personae per hoc constituitur, quod actu non unitur nobiliori supposito ; si autem actu unitur, per hoc ipsum

[1] DUNS SCOTI, *Summa theol.*, T. V. q. 1. fundam. a. 3. et 4. ; q. 4. a. 2. ad 3.

formaliter cadit a ratione personae seu hypostasis. *d*) Unde tandem natura et suppositum in creatis sunt realiter idem, et sola ratione differunt.

Tertio : **Unio hypostatica iuxta Scoti doctrinam.** — Igitur iuxta Scotum : 1° Verbum Divinum in mysterio Incarnationis assumpsit quidquid positivum habet humanitas in unoquoque hominum ; assumpsit ergo omnia principia quibus homo quispiam subsistens constituitur, ita ut omnis realitas substantialis, quae est in hoc homine singulari et existente, v. g. Petro, invenitur univoce in humanitate Christi. 2° Tamen humanitas haec, quae revera est *hic homo* singularis et individuus et existens, non est *persona;* quia ex hoc solo quod assumitur, dependet actu a persona Verbi ; et ex hoc quod actu dependet a persona Verbi, amittit rationem propriae personae, quae in *negatione* dependentiae actualis ab alieno supposito formaliter consistit. Posita enim dependentia humanae naturae Christi a persona Verbi, amplius negatio actualis dependentiae non est ; ideoque personalitas humana non est. 3° « In Christo reperiri *duo esse* actualis existentiae ; ac proinde naturam humanam non existere existentia Verbi, sed propria... Christus secundum naturam humanam habet propriam existentiam creatam[1]. »

§ 3.

Via Suarezii.

Primo : **In quonam Suarezius cum Scoto consentiat et a Scoto discedat.** — *Consentit* quidem, quatenus nullam realem agnoscens distinctionem inter essentiam et *esse* in creatis, utrumque terminum in unione Incarnationis propria vult existentia existere ; nam et Verbum est suum *esse*, et similiter humanitas assumpta a Verbo omnino identificatur cum suo proprio actu essendi. Quamobrem tam Suarezius quam Scotus ponunt, ac necesse est ut ponant, in Christo

[1] *Loc. cit.* q. 17. a. 2.

duo esse, duas existentias. *Discedit* tamen Suarezius a Scoto, quatenus subsistentiam et humanam personalitatem asserit esse *aliquid reale positivum*, atque in re ipsa ab eius essentia et ab eius existentia (quae realiter identificantur) *realiter distinctum*. Hoc autem reale positivum vocat Suarezius *perseitatem existendi*.

SECUNDO : **Quid sit personalitas seu perseitas existendi secundum doctrinam Suarezii.** — Ita ipse definit in suis *Disputationibus Metaphysicis* [1] : « Dico ergo primo : Personalitatem ad hoc dari naturae, ut illi det ultimum complementum in ratione existendi ; vel (ut ita dicam) ut existentiam eius compleat in ratione subsistentiae ; ita ut personalitas non sit proprie *terminus* aut *modus* naturae secundum *esse essentiae*, sed secundum *esse existentiae*. » Quod mox Suarez his tribus declarat rationibus, quarum :

a) « *Prima* accipi potest ex ipsis terminis existendi et subsistendi. Nam *existere* ex se solum dicit habere entitatem extra causas seu in rerum natura ; unde de se indifferens est : 1° ad *modum existendi*, innitendo alteri ut sustentanti ; 2° et ad *modum existendi* per se, sine dependentia ab aliquo sustentante. At vero *subsistere* dicit *determinatum modum* existendi per se et sine dependentia a sustentante ; unde illi opponitur *inexistere* vel *inesse*, dicitque determinatum modum existendi in alio... Sic igitur natura, concepta secundum *esse essentiae*, proxime ac immediate indiget (ut modo concipiendi nostro loquamur) *existentia* qua fiat *ens actu ;* postquam vero est essentia in actu, solum indiget *modo existendi in se* ac *per se ;* hic ergo est ultimus terminus naturae secundum existentiam eius ; et hoc est proprium munus suppositalitatis. »

b) « *Secunda* declaratur ex modo opposito, qui est *esse in alio*. Nam in forma accidentali *actu esse alteri* est quasi ultimus terminus seu modus talis formae secundum existentiam eius... Substantialis natura, licet actualis entitas per existentiam suam, ex vi talis existentiae praecise sumptae

[1] *Disput.* 34. sect. 4.

non est subsistens, sed indiget modo per se essendi, quo ultimo terminatur existentia naturae. »

c) « *Tertia* declaratur ex mysterio Incarnationis. Nihil aliud intelligimus deesse humanitati Christi ut non subsistat subsistentia propria, nisi *talis existendi modus* quo sit per se et non alio. Nam in ea est integra omnis essentia actualis et creata, et consequenter est etiam existentia humanae naturae ; tamen quia illa existentia ita est affecta, ut uniatur Verbo a quo sustentatur et pendet, ideo caret illa humanitas *modo existendi per se*. Ergo solum ex defectu huius modi non est subsistens nec persona creata. Ergo talis modus est qui habet rationem personalitatis creatae. »

Tertio : **Unio hypostatica iuxta philosophicam Suarezii doctrinam.** — Ex dictis patet. In mysterio namque Incarnationis Verbum Dei assumpsit : *a*) naturam humanam singularem et individuam ; *b*) existentiam humanae naturae, quia existentia realiter identificatur cum ipsamet natura vel essentia ; *c*) non tamen assumpsit *modum per se existendi*, qui est realiter distinctus ab essentia et ab existentia, quique constituit ultimum complementum existentiae, id est, rationem personalitatis creatae. Unde ipse Suarez addit alibi : « Humanitas Christi, ut condistincta a Verbo,... intelligitur esse existens per existentiam propriam et creatam, omnino a Verbo distinctam. In Christo Domino sunt duae naturae habentes entitates actuales, creatam et increatam ; ergo constituuntur in suis entitatibus per *existentias distinctas*, creatam et increatam [1]. »

[1] *De Mysterio Incarnat. Commentar. in III. Part. Sum.* q. 17. a. 1. *Disput.* 36. sect. 1.

IV

Omnes sententiae quae humanitati Christi tribuunt proprium esse, id statuunt cum quo hypostatica unio nequit omnino componi.

§ 1.

Tres sententiae antiquorum theologorum ad hypostaticam unionem declarandam.

PRIMO : **Expositio huiusce triplicis sententiae.** — Tres has quidem sententias ponit Magister Sententiarum, lib. 3. dist. 6., ubi Patrum adducuntur auctoritates, quibus ex antiquis illis theologis suam unusquisque conabatur sententiam munire ; omnesque tamen simul laborabant ad hoc unum recte intelligendum recteque explicandum, videlicet : *Deus factus est homo*, *Deus est homo*. Unde ipse Sententiarum Magister ait : « Ex praemissis emergit quaestio plurimum continens utilitatis, sed nimium difficultatis atque perplexitatis... In huius profunditatis reseratione et scrupulosae quaestionis expositione plurimum differre inveniuntur sapientes. »

Hanc vero sapientium differentiam in profundae adeo quaestionis expositione ita describit D. Thomas ibidem in suis *Commentariis*, dicens : « Prima ergo opinio dicit, quod illud unum constitutum ex anima et corpore, quod praeintelligitur unioni et assumitur, est *hic homo*. Secunda vero dicit, quod est *humanitas ;* et hoc quod sit *hic homo*, non habet ex coniunctione animae ad corpus, sed ex coniunctione utriusque ad divinam personam... Tertia vero opinio, quia negat unionem animae ad carnem in Christo, ideo primo ponit, quod *homo* non praedicat de Christo *aliquid compositum* ex anima et corpore, sed *partes* humanae naturae... Et ideo ponit secundo, quod *homo* praedicatur de Christo accidentaliter, non in *quid*, sed in *quomodo* se habens... Et ideo

tertio ponit, quod *duae substantiae* non pertinent ad personalitatem Filii Dei, sed extrinsecus se habent ad ipsam. »

SECUNDO : **Quot esse oporteat ponere in Christo iuxta has tres praedictas sententias.** — D. Thomas, *III. Sent.* dist. 6. q. 2. a. 2. : « Loquendo igitur de *esse* secundum quod est *actus* entis, sic dico quod secundum secundam opinionem oportet ponere tantum *unum esse;* secundum alias autem duas oportet ponere *duo esse.* Ens enim subsistens, est quod habet *esse* tamquam eius *quod est,* quamvis sit naturae vel formae tamquam eius *quo est;* unde nec natura rei nec partes eius proprie dicuntur esse, si *esse* praedicto modo accipiatur ; similiter autem nec accidentia ; sed suppositum completum, quod est secundum omnia illa. Unde etiam Philosophus dicit, *II. Metaph.* quod accidens magis proprie est entis quam ens. Prima ergo opinio, quae ponit duo subsistentia, ponit *duo esse substantialia;* similiter tertia opinio, quia ponit quod partes humanae naturae adveniunt divinae personae accidentaliter, ponit *duo esse,* unum substantiale et aliud accidentale ; secunda vero opinio, quia ponit unum subsistens, et ponit humanitatem non accidentaliter advenire divinae personae, oportet quod ponat *unum esse.* Impossibile est enim, quod unum aliquid habeat *duo esse* substantialia, quia unum fundatur super ens ; unde si sint *plura esse,* secundum quae aliquid dicitur ens simpliciter, impossibile est quod dicatur *unum.* »

TERTIO : **Quid dicendum est de tribus suprapositis sententiis seu opinionibus.** — D. Thomas, qui semper viam rectam tenuit propugnando secundam opinionem vel sententiam (in *III. Sent.* dist. 6. q. 1. et 2.), alias opiniones, etsi reiecit, non tamen expresso iudicio damnavit ; at tamen in *Summa Theologica* huius arduae quaestionis profunditatem maiori luce aperiens, securiori acumine introspiciens, et maturiori examine diiudicans, sic in veritate pronuntiavit, bonam theologorum intentionem agnoscens et ipsorum opiniones condemnans : « Quidam autem posteriores magistri, putantes se has haereses (Eutychetis et Nestorii) declinare,

in eas per ignorantiam inciderunt. Quidam eorum concesserunt unam Christi personam, sed posuerunt duas hypostases, sive duo supposita, dicentes *hominem quendam*, compositum ex corpore et anima, a principio suae conceptionis esse assumptum a Dei Verbo. Et haec est prima opinio, quam Magister ponit *III. Sent.* dist. 6. Alii vero, volentes servare unitatem personae, posuerunt Christi animam non esse corpori unitam, sed haec duo, separata ab invicem, esse unita Verbo accidentaliter, ut sic non cresceret numerus personarum. Et haec est tertia opinio, quam Magister ibidem ponit. Utraque autem harum opinionum incidit in haeresim Nestorii... Sic ergo patet, quod *secunda* trium opinionum quas Magister ponit *III. Sent.* dist. 6. quae asserit unam hypostasim Dei et hominis, non est dicenda *opinio*, sed *sententia catholicae fidei*. Similiter etiam *prima opinio*, quae ponit duas hypostases, et *tertia*, quae ponit unionem accidentalem, non sunt dicendae *opiniones*, sed *haereses* in conciliis ab Ecclesia damnatae. » III. q. 2. a. 6.

§ 2.

Sententia Scoti non satisfacit.

PRIMO : **Quia omnino repugnare videtur, ut aliquid ultimo constituatur in ratione personae per negationem unionis cum altero supposito.** — Etenim : *a*) *Persona* significat « id quod est perfectissimum in tota natura, sc. subsistens in rationali natura. » (I. q. 29. a. 3.) Atque ex hac ipsa maxima perfectione oritur, quod substantia individua sit alteri incommunicabilis, eo ipso quod est sui iuris quoad *esse* et operari. Unde substantia ultimo non constituitur in ratione suppositi per negationem actualis unionis cum altero supposito. *b*) Si eadem natura singularis integra esset suppositum cum sola negatione unionis, et cum unione additionis non esset suppositum, de eodem secundum idem affirmat et negat *esse completum* : quod est contradictorium. Negat quidem, cum dicit naturam illam adhuc esse capacem assumptionis ad alterum, secundum hypostasim ; asserit vero, cum dicit naturam eandem, cui nihil additur, esse personam.

SECUNDO : **Quia in ista sententia non explicatur nec dicitur in quo formaliter consistat unio Verbi Incarnati, vel quid sit illud unum in quo humana et divina natura communicant.** — Siquidem omnis unitas praesupponit *aliquid positivum*, quod sit fundamentum et ratio verae unitatis, et in quo illa, quae unita dicuntur, communicant et redduntur *indivisa*. Iam vero, secundum istam sententiam, humanitas assumpta et Verbum nec in natura communicant, nec in substantiali existentia, nec in qualibet alia forma ; sed ratio cur sint *unum*, est quia indivisa sunt ; et ratio cur indivisa sunt, est quia divisa non sunt.

TERTIO : **Quia haec sententia ponit in Christo duas naturas substantiales quae habent singulae proprias existentias.** — *a*) Omne quod habet per se *esse*, est subsistens. Si ergo in Christo est duplex *esse* substantiale, nempe et divinae naturae simul atque naturae humanae, sunt ibi duo subsistentia ; ergo duae hypostases. *b*) Unius non est nisi unum *esse ;* quia unum fundatur supra ens. Si ergo in Christo ponuntur duae existentiae sive duo *esse* substantialia, Christus nec est unus nec unum. Unde, ut bene observat P. Billot [1], in sententia Scoti « non apparet quomodo vitetur inconveniens *primae opinionis* apud Magistrum, quae ponebat in Christo unam personam et duo supposita. Asserit enim Scotus *duos sistentes in esse suo ;* et ita sistentes in *esse* suo, ut, cessante unione, absque ulla additione vel mutatione intrinseca ex parte etiam naturae assumptae, tam humanitas quam Verbum singillatim subsisterent. Ergo, et stante unione, in suis intrinsecis considerata, *existit in se, subsistit*, et est *hic homo.* »

§ 3.

Sententia Suarezii non satisfacit.

PRIMO : **Quia Suarez, sicut Scotus, multiplicat in Christo substantiales existentias.** — *a*) Repugnare quidem videtur omnis unio secundum hypostasim inter duas substantias

[1] *De Mysterio Incarnationis*, q. 2. thesi 7. § 1.

quae habent singulae propriam existentiam. Etenim ubi dantur duae substantiae, quarum unaquaeque propriam existentiam habet, ibi sunt *duo* habentia *esse in se;* et ubi sunt *duo* habentia *esse in se*, ibi sunt duo actu existentia. Ex duobus autem actu existentibus non potest fieri unum, quia unius non est nisi *unum esse.* Unde D. Thomas, *III. Sent.* dist. 6. q. 2. a. 2. : « Impossibile est enim, quod unum aliquid habeat *duo esse* substantialia, quia unum fundatur super ens ; unde si sint plura *esse*, secundum quae aliquid dicitur ens simpliciter, impossibile est quod dicatur unum. »

b) Rursus : Ubi sunt duae naturae substantiales, quarum unaquaeque habet suum proprium actum essendi, ibi sunt duae essentiae vel naturae, quarum unaquaeque stat sub proprio suo *esse ;* ubi autem sunt duo, quorum unumquodque stat sub proprio suo *esse*, ibi sunt duo subsistentia. Igitur si humanitas Christi propria existit existentia, est etiam subsistens in *esse*, et nequaquam unitur Verbo secundum subsistentiam sive hypostasim.

Secundo : **Quia ille modus per se existendi, quem Suarez vocat personalitatem, nequit esse nisi merum accidens.** — Suarez in suis *Disputationibus Metaphysicis* renuit admittere realem distinctionem inter essentiam et existentiam in creatis, et nunc coactus est ponere realem distinctionem inter existentiam et subsistentiam, ut posset declarare unionem hypostaticam in mysterio Incarnationis. In quonam ergo consistit formalis ratio subsistentiae ? Subsistentia, ait Suarez, dat ultimum *complementum in ratione existendi.* D. Thomas, *II. C. Gent.* cap. 53. docet : « In substantia autem intellectuali creata inveniuntur *duo*, sc. substantia ipsa et *esse* eius quod non est ipsa substantia ; ipsum autem *esse* est *complementum substantiae existentis ;* unumquodque enim actu est per hoc quod *esse* habet. Relinquitur igitur, quod in qualibet praedictarum substantiarum sit compositio actus et potentiae. » Suarez vero hanc D. Thomae reiiciens doctrinam, dum negat realem compositionem essentiae et *esse*, ipsam tamen quodammodo desiderat exprimere ac imitari, introducens compositionem existentiae et subsistentiae, quam

nominat *complementum naturae in ratione existendi*. Sed tale complementum advenit naturae substantiali post *actum* existentiae, post *esse*, quod est *primus actus* substantiae in linea entis. Et quidquid advenit substantiae creatae post primum actum quo substantia existens est *ens simpliciter*, accidentaliter advenit et est modus accidentalis, non substantialis (I. q. 5. a. 1. ad 1.). Et *I. C. Gent.* cap. 22. : « Omne quod sequitur ad *esse* rei, est ei accidentale [1]. »

Unde ad rem P. Billot : « Vides igitur, quomodo haec sententia, velit nolit, imitetur *opinionem tertiam* apud magistrum, sicut sententia Scoti, scientifice considerata, videbatur reduci ad *opinionem primam*. Nam auctores tertiae opinionis auferebant informationem corporis ab anima, ne cogerentur confiteri hominem subsistentem seorsum a Verbo ; Suarez aufert *personalitatis modum*, quem ad hoc ipsum invenit, ut posset auferre. Insuper auctores tertiae opinionis volebant partes humanitatis uniri ad Verbum accidentaliter, mediante contactu ; Suarez vult ut humanitas uniatur *mediante modo*, quem utique omni ope contendit *non* esse *accidens ;* sed frustra, ut pluribus ostendit Tiphanius (*De hypostasi*, cap. 44. et seq.) ; quippe accidens est id cui competit supervenire subiecto in *esse* simpliciter iam praeconstituto. » Hactenus recte Billot, l. c. § 2.

V

Per solam ergo sententiam S. Thomae optime declaratur unio facta Dei et hominis, non secundum essentiam vel naturam, neque etiam secundum accidens, sed medio modo secundum subsistentiam seu hypostasim.

Primo : **D. Thomas ponit unum tantummodo esse in Christo.** — Sententia D. Thomae est illa secunda trium opinionum quas Magister ponit *III. Sent.* dist. 6. et de qua ipse Angelicus Doctor, III. q. 2. a. 5. ait : « Non est dicenda opinio,

[1] Vide supra lib. 2. cap. 9. pag. 175. thes. 2.

sed sententia catholicae fidei. » Et *III. Sent.* dist. 6. q. 2. a. 2. : « Secunda vero opinio, quia ponit unum subsistens, et ponit humanitatem non accidentaliter advenire divinae personae, oportet quod ponat *unum esse*. Impossibile est enim, quod unum aliquid habeat duo *esse* substantialia, quia unum fundatur super ens ; unde si sint *plura esse*, secundum quae aliquid dicitur ens simpliciter, impossibile est quod dicatur unum. Sed non est inconveniens, quod *esse* unius subsistentis sit per respectum ad plura, sicut *esse* Petri est unum, habens tamen respectum ad diversa principia constituentia ipsum ; similiter suo modo *unum esse* Christi habet duos respectus, unum ad naturam humanam, alterum ad divinam. » III. q. 17. a. 2. : « Illud *esse*, quod pertinet ad ipsam hypostasim vel personam secundum se, impossibile est in una hypostasi vel persona multiplicari ; quia impossibile est, quod unius rei non sit unum *esse* [1]. »

Secundo : **Esse, de quo loquitur D. Thomas, est actus existentiae.** — Ita Caietanus, In III. q. 17. a. 2. : « Est igitur indubie tenendum, secundum Auctoris doctrinam, in Christo nullum *esse* actualis existentiae substantialis inveniri nisi *esse* actualis existentiae Filii Dei, quod est aeternum et ipse Deus. Hoc enim ipsum quod est naturam aliquam esse naturam alicuius personae actu existentis, est naturam illam existere ; sive persona illa sit constituta per illam naturam sive non... Humanitas Christi non sic advenit personae divinae ut sit distincta ab illa sicut prius, sed est indivisa a persona secundum *esse personale ;* ita quod non est sicut pars separata, sed est sicut pars coniuncta secundum *esse substantiale ;* est enim assumpta ad personalitatem positivam Verbi Dei. Et ex hac personalitate communicata humanitati Christi, perfecta est humanitas illa multo plus quam quaecumque pars perficiatur per hoc quod advenit suo toti ; acquisivit enim perfectionem infinitam, acquirendo personalitatem infinitam. Quo fit ut, quia humanitas Christi non remanet distincta, sed indistincta secundum *esse substantiale* a Verbo,

[1] Vide etiam *Quodl.* 9. a. 2. et 3.

consequens sit, ut non det Verbo *novum esse*, sed ipsa sit per *esse infinitum* ipsius Verbi... Communicatum siquidem est humanae naturae *esse divinum*, non ut est naturae, nec ut est cuiuscumque personae divinae, sed ut est personae Filii ; quia assumpta ad personalitatem Filii tantum. »

Et P. Billot concludit : « Ex his igitur testimoniis (*III. Sent.* dist. 6. q. 2. a. 2. et q. 3. a. 2. ; *Quodl.* 9. a. 3.) manifeste constat S. Thomam sine haesitatione tradidisse *unitatem actus existentiae* in Christo, veluti contentam in ea opinione, quae non est dicenda opinio, sed sententia catholicae fidei. (III. q. 2. a. 5.) Neque enim dubium est de *quo esse* loquatur : de *esse* sc. quod est actus entis, et quo formaliter aliquid subsistit. Sed *esse*, quod est actus entis, profecto est ultima existentiae actualitas ; et *esse* quo subsistitur, nihil aliud audit, saltem in doctrina Angelici, praeter substantialem actum existendi ; quippe illa subsistere dicimus (inquit I. Part. q. 29. a. 2.) quae non in alio, sed in se existunt. Et hoc dico, exponendo sententiam S. Thomae. Unde non sequitur dogma fidei esse secundum nos, quod una sit in Christo existentia ; sed sequitur tantum *unitatem actus essendi* obiective contineri, iuxta S. Doctorem, in doctrina quae asserit unionem secundum subsistentiam, et quae est de fide. Vult igitur doctrina ista, conformiter ad principia superius tradita de natura et supposito, non esse in humanitate assumpta *creatum actum* substantialis existentiae ; sed *personale esse* Verbi ei communicari, eo modo quo communicari potest *Esse subsistens*. Ideo ipsum *esse* Verbi supplet *proprium esse* humanitatis, sed modo eminentiori... Supplet tamen eminentiori modo ; quia *esse* Verbi non recipitur in humanitate, nec contrahitur ad eam, nec qualibet alia ratione mutatur, sed semper subsistendo in seipso (idem enim est in Verbo quo subsistitur et quod subsistit), sustentat naturam creatam. Quapropter extendit ad humanitatem suum subsistendi actum per hoc solum quod humanitas a Deo producta est et conservatur non sub proprio *esse* ipsius, sed ut communicata hypostasi Verbi, cuius increata existentia eidem humanitati est loco *esse* proprii. » Ibid § 4.

TERTIO : **Momentum ergo realis distinctionis inter essentiam et esse in rebus creatis manifeste etiam apparet ex ipso ineffabili Incarnationis mysterio.** — « Realis distinctio (addit P. Billot) inter essentiam et *esse* in creatis, tantae est necessitatis, ut, sine illa, unio duarum naturarum in uno eodemque divino supposito videatur undequaque inintelligibilis. Verum, doctrina de *unitate actus essendi* in Christo minime fundatur super doctrinam philosophicam hactenus declaratam ; quinimo, quod apud nos *esse* existentiae non sit re idem cum natura, directe eruitur et solide deducitur vel ex sola veritate revelata unionis naturae creatae ad Deum secundum subsistentiam ; et ideo etiam si praefata distinctio non probaretur efficaciter ex argumentis pure rationalibus mox indicatis, adhuc maneret theologice demonstrata, ut suo loco videbimus, et firma semper consisteret theologia de Verbo Incarnato... Et sic etiam patet legitimitas praecedentis asserti, quando dictum est : *Realem distinctionem inter essentiam et esse in creatis theologica ratione constare.* Conclusio enim theologica illa est, quae ex veritate revelata per ratiocinium deducitur ; rursus, revelata veritas est, quod natura humana in Christo unitur Deo secundum subsistentiam ; denique, ex huius veritatis revelatione statim licet sequentes deductiones eruere :

Si aliqua natura creata unitur Deo secundum subsistentiam, propriâ subsistentiâ careat necesse est ; propriâ autem subsistentiâ nusquam careret, si *quidditas* naturae substantialis et *actus* existentiae esset in re *unum quid* et *idem ;* ergo haec duo nequaquam idem sunt ; imo vero, inter se ita realiter distinguuntur, ut creatae existentiae actus possit suppleri per *esse* Personae assumentis, quae nonnisi hoc modo vere dici potest in duabus naturis subsistere et ambarum praedicationem haud fallaciter accipere in se.

Haec, inquam, simplicissima est analysis principii revelati cui innitimur ; et argumentum inde deductum generaliter valet contra eos omnes qui in Christo existentias multiplicant pro numero naturarum ; adeoque, tam opinionem Scoti impetit, quam modum dicendi Suarezii. »

CAPUT QUARTUM

Quomodo ex identitate esse et essentiae in Deo atque ex reali utriusque compositione in creatis procedat D. Thomas ad declarandum sanctissimum Eucharistiae mysterium.

I

Expositio huius Mysterii iuxta doctrinam fidei.

PRIMO : **Realis Christi praesentia in Eucharistia.** — Iuxta fidem catholicam, in sanctissimo Eucharistiae Sacramento est vere, realiter et substantialiter Dominus noster Iesus Christus, verus Deus et verus homo. Est enim *vere;* quoniam est non sicut in signo tantum vel figura, sed in veritate. Est autem *realiter;* quoniam est non tantum secundum apprehensionem nostri intellectus, sed independenter ab illo, secundum rem. Est vero *substantialiter:* quoniam est non tantum secundum virtutem transeuntem, ut in aliis sacramentis, sed etiam secundum sui proprii corporis et sanguinis substantiam simul cum ipsius anima et divinitate. Et ideo dicendum, quod omnino necesse est confiteri, secundum fidem catholicam, quod totus Christus sit in hoc sacramento. Per totum autem Christum intelligitur eius corpus integrum, sanguis, anima, divinitas et subsistentia seu persona Verbi Incarnati. Haec omnia constant ex definitione expressa Ecclesiae catholicae, in Conciliis praesertim Florentino et Tridentino [1].

SECUNDO : **Altissimum hoc mysterium excedit captum omnis creati intellectus.** — Dicendum, quod verum corpus

[1] *Conc. Florent.* Decret. Pro instruct. Armenorum. — *Conc. Trid.* sess. 13. et 22. — *Conc. Lat. IV.* Decret. 1. cap. *Firmiter.*

Christi et sanguinem esse in hoc sacramento, neque sensu neque intellectu deprehendi potest, sed sola fide, quae auctoritati divinae innititur. Tantum vero ac tam adorabile Sacramentum convenientissime fuit a Christo Domino institutum, et valde revera competit : 1° perfectioni Novae Legis ; 2° caritati Christi erga nos ; 3° et perfectioni nostrae fidei : ut ex professo declaratur a D. Thoma, III. q. 75. a. 1.

Tertio : **Dogma transsubstantiationis.** — De fide etiam est, quod per consecrationem panis et vini fit conversio totius substantiae panis in substantiam corporis Christi, Domini nostri ; et totius substantiae vini in substantiam sanguinis eius. Quae siquidem conversio convenienter et proprie a sancta et catholica Ecclesia *transsubstantiatio* est appellata. Unde Conc. Trident. sess 13. can. 2. : « Si quis dixerit, in Sacrosancto Eucharistiae Sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore et sanguine Domini nostri Iesu Christi ; negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini : quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime *Transsubstantiationem* appellat : anathema sit. »

Quarto : **Accidentia sine subiecto constant in Eucharistia.** — *Catechismus Concilii Trident.* P. 2. De Eucharist. cap. 44. : « Tertium restat, quod in hoc sacramento maximum atque admirabile videatur, quod quidem, iam duobus explicatis, facilius a pastoribus tractari posse existimandum est, panis videlicet et vini *species* in hoc sacramento sine aliqua re subiecta constare ; nam, cum antea demonstratum sit corpus Domini et sanguinem vere in Sacramento esse, ita ut nulla amplius subsit panis et vini substantia, quoniam *ea accidentia* Christi corpori et sanguini inhaerere non possunt, relinquitur ut supra omnem naturae ordinem ipsa se, nulla alia re nisa, sustentent [1]. Haec perpetua et constans fuit

[1] Vide ibid. *de Consecratione*, dist. 7. c. *Nos autem* et *Decr.* lib. 1. tit. *de Cel. miss.* — D. Thom. III. q. 75. a. 3. et q. 77. a. 2.

catholicae Ecclesiae doctrina ; quae etiam facile eorum testimoniorum auctoritate confirmari poterit, quibus antea planum factum est, nullam residere in Eucharistia panis aut vini substantiam. »

QUINTO : **Duo capita declaranda.** — Duo itaque sunt praecipue a theologo ostendenda ac declaranda circa hoc mirabile Sacramentum, videlicet : 1° Quod conversio substantiae panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Christi potest fieri divina virtute. 2° Quod etiam virtute divina fieri potest, ut accidentia panis et vini in hoc Sacramento maneant sine subiecto post consecrationem. Utrumque autem D. Thomas procedit ad ostendendum ex eo quod : *In Deo essentia et esse sunt idem ; in omnibus autem aliis differt esse rei et essentia eius.*

II

Possibile est totam substantiam panis converti in totam substantiam Corporis Christi, et totam substantiam vini in totam substantiam Sanguinis Christi.

§ 1.

Argumenta D. Thomae.

Arg. 1^{um} Sumptum ex hoc, quod Deus est actus purus in ordine essendi. — D. Thomas, III. q. 75. a. 4. : « Manifestum est enim, quod omne agens agit in quantum est actu. Quodlibet autem agens creatum est determinatum in suo actu, cum sit determinati generis et speciei. Et ideo cuiuslibet agentis creati actio fertur super aliquem determinatum actum. Determinatio autem cuiuslibet rei in *esse* actuali est per eius formam. Unde nullum agens naturale seu creatum potest agere nisi ad immutationem formae ; et propter hoc omnis conversio quae fit secundum leges naturae, est formalis. Sed Deus est *actus infinitus*, ut I. q. 7. a. 1. et q. 25. a. 2.

habitum est ; unde eius actio se extendit ad totam naturam entis. Non igitur solum potest perficere conversionem formalem, ut sc. diversae formae sibi in eodem subiecto succedant, sed conversionem totius entis, ut sc. tota substantia huius convertatur in totam substantiam illius. Et hoc agitur divina virtute in hoc sacramento ; nam tota substantia panis convertitur in totam substantiam corporis Christi, et tota substantia vini in totam substantiam sanguinis Christi. Unde haec conversio non est formalis, sed substantialis ; nec continetur inter species motus naturalis, sed proprio nomine potest dici *transsubstantiatio*. »

Arg. 2^{um} Sumptum ex opere creationis. — *IV. Sent.* dist. 11. q. 1. a. 3. : « Quanto aliqua sunt magis distantia, tanto difficilius in invicem mutantur. Sed magis distat non — ens simpliciter ab ente, quam hoc ens ab hoc ente. Ergo difficilius est ex non — ente simpliciter facere ens aliquod, quam ex ente hoc facere illud ; et ideo *creatio* est maioris virtutis indicativa quam *transsubstantiatio*. »

Arg. 3^{um} Sumptum ex opere Incarnationis. — Ibid. : « Praeterea, quanto terminus mutationis est altior, tanto mutatio est maioris virtutis ; sicut maioris virtutis est facere hominem quam animal. Sed *assumptio* humanae naturae, quae est mutatio quaedam, terminatur ad personam Filii Dei, quae est *dignius quid* quam corpus Christi, ad quod terminatur *transsubstantiatio*. Ergo magis est miraculosa illa mutatio quam ista conversio. »

§ 2.

Argumentorum declaratio.

Argumenti primi declaratio. — 1° *Tria in transsubstantiatione consideranda.* — D. Thomas, III. q. 75. a. 4. ad 3. indicat haec tria capita fundamentalia ad possibilitatem transsubstantiationis manifestandam, dum argumentum, in corpore articuli expositum, sic breviter in compendium redegit :

« Virtute agentis finiti non potest forma in formam mutari, nec materia in materiam. Sed virtute agentis infiniti, quod habet actionem in totum ens, potest talis conversio fieri ; quia utrique formae et utrique materiae est communis *natura entis ;* et id quod entitatis est in una, potest *auctor entis* convertere in id quod est entitatis in altera, sublato eo per quod ab illa distinguebatur. » Unde habentur tria, quorum primum est ratio convertibilitatis substantiae panis in substantiam corporis Christi ; secundum vero est modus huius mirandae conversionis ; tertium denique est virtus qua ista adeo mirabilis conversio verificatur.

2° *Ratio convertibilitatis est communicatio in natura entis.* Circa rationem convertibilitatis, ait Cajetanus, docilis esto, interpres, plures vitando errores ex illo verbo : *communis natura entis.* Etenim : *a*) *Natura entis est communis Deo et creaturis ;* et tamen non modo falsum, verum fatuum quoque esset velle inferre possibilitatem convertibilitatis inter rem creatam et increatam, quia communis est eis natura entis. Ergo per communem entis naturam minime intelligitur *ens* communissime sumptum commune Deo et rebus creatis. *b*) *Natura entis* sumpta tantummodo *ut est communis solis creaturis,* nequaquam est intelligenda veluti *natura aliqua* habens gradum altiorem supra specificas et genericas rerum naturas, quemadmodum animal et homo, vivens et animal ; nam *ens* nec est genus logicum, nec contrahitur ad inferiora per differentias logicas, sed per modos exprimendi realitates ac essentias rerum. Non enim se habent *ens* et *homo,* sicut *animal* et *homo ;* animal enim et homo significant duas naturas quibus diversimode *esse* communicatur ; *ens* autem et *homo* unam tantum naturam significant, eam sc. quam significat *homo.* Quapropter D. Thomas, *IV. Metaph.* lect. 1. scribit : « Sciendum est enim, quod hoc nomen *homo* imponitur a *quidditate* tantum ; hoc vero nomen *ens* imponitur ab *actu* essendi ; et hoc nomen *unum,* ab ordine vel indivisione. Est enim unum, ens indivisum. Idem autem est quod habet essentiam et quod est in se indivisum. Unde ista tria : *res, ens, unum,* significant omnino idem. » Et *Quodl.* 2. a. 3. : « Hoc nomen *ens,* secundum quod importat *rem* cui competit

huiusmodi *esse*, sic significat *essentiam* rei, et dividitur per decem genera ; non tamen univoce, quia non eadem ratione competit omnibus *esse ;* sed substantiae quidem per se, aliis autem aliter. » *c*) *Natura entis in ente creato et in ente increato.* Ad hoc Caietanus : « Dicimus quod per *naturam entis* intelligit Autor (D. Thomas) *ens commune* solis creaturis. Quod nomine *naturae* in Littera (textu Art.) appellatum est, quia huiusmodi *ens*, secundum Autoris doctrinam (I. q. 3. a. 4. et *I. C. Gent.* cap. 22.), secundum naturas generum et specierum definitur ; et per hoc differt ab Ente increato, in quo *esse* non definitur natura aliqua, sed ipsum *Esse in seipso subsistens* vocatur *natura Dei*, et *Deitas*, et *Deus*. Est igitur ratio convertibilitatis totius rei in totam alteram rem, communicatio earum in *natura entis communis* omnibus creaturis tantum. »

3° *Modus conversionis est id quod est entitatis in una re convertere in id quod est entitatis in altera, sublato eo per quod ab ea distinguebatur.* — *a*) Non est intelligendum per modum divisionis seu separationis unius naturae ab altera, sicut animalitas separatur a rationalitate, dum fit animal sine ratione ; nec intelligendum per modum abstractionis, sicut color albus, in quantum color abstrahit a seipso in quantum albus. Nam panis convertitur in corpus Christi, et tota substantia panis in totam substantiam corporis Christi. *b*) Unde cum dicitur : *Sublato eo per quod ab ea distinguebatur*, « consistit huiusmodi differentia in hoc quod, dum tota res, quae est panis, convertitur in corpus Christi, formalis ratio naturae entis salvatur. Post conversionem enim panis in corpus Christi, panis *entitas conversa, entitas quaedam* est ; panis vero conversus, panis non est. Sic enim verificatur, quod sit conversio *entitatis* in *entitatem*, sublato eo per quod distinguebatur. Perinde enim ac si dictum fuisset, quod conversio fit per totius quidem rei conversionem in totam rem alteram ; sed inter rationes seu conditiones substantiales communes vel proprias disparitas est ; quia res conversa sic secundum communia quasi salvatur, quod iterum suscipit *eorundem praedicationem*, secundum vero propria *non* subit *eorundem praedicationem*. Hoc enim modo intelligitur subla-

tum *id* per quod distinguebatur, et totam rem converti in totam rem, ita quod nihil eius secundum se remaneat, aut in nihilum decidat. » *c*) Per hanc autem viam, qua D. Thomas laborat ad distinguendum in rebus convertibilibus *naturam entis* in qua conveniunt, a *propriis distinctivis* rerum in quibus differunt, « utiliter (ait Caietanus) Autorem laborasse ad reddendam rationem convertibilitatis totalis supernaturalis proportionaliter ad rationem conversionis substantialis naturalis... Ut intellectus noster ex naturalibus conversionibus, quas novit, manuducatur ad supernaturalia, etsi non penetranda, saltem cogitanda, ut non impossibilia existimentur. »

4° *Virtus, qua ista adeo mirabilis conversio verificatur, est virtus se extendens ad totam naturam entis.*—Virtus namque seu activa potentia cuiuscumque agentis mensuratur secundum perfectionem formae qua agit, ita ut quanto aliquod agens est perfectius in forma qua agit, tanto maior est potentia eius ; et quanto maior est potentia alicuius agentis, ad tanto plura se extendere valet eiusdem actio. Adest enim adaequata proportio inter haec tria, videlicet : *esse*, *posse* et *agere*. Ex differentia ergo inter *esse* Dei et *esse* creaturae originem trahunt differentiae correlativae inter *posse* et *agere* utriusque. Deus enim est suum *esse*, atque impossibile est, quod in Deo sit aliud *esse* et aliud essentia eius ; in creatura vero differt *esse* et eius essentia, in qua *esse* recipitur sicut actus in potentia ; quapropter determinatio cuiuslibet rei in *esse* actuali est per eius formam. Exinde, ex hoc ipso, quod *esse* Dei est per se subsistens, Deus est infinitus in essendo ; ac perinde, quia *esse* divinum, super quod ratio divinae potentiae fundatur, est *esse* infinitum, non limitatum ad aliquod genus entis, ideo activa Dei potentia ad *totum ens* se extendit ; et Deus est *auctor entis*, atque eius potentia est *omnipotentia* [1]. Quia igitur Deus est ens per essentiam, est quoque agens per essentiam ; et ipsa Dei essentia vel substantia est eius activa potentia ; atque in Deo sua actio non est aliud a sua substantia et a sua potentia [2].

[1] I. q. 3. a. 4. ; q. 7. a. 1. ; q. 25. a. 3.
[2] I. q. 14. a. 4. et q. 19. a. 1. — *II. C. Gent.* cap. 8. et 9.

5° *Conversio formalis et conversio substantialis.* — Si ergo agens creatum, in quo aliud est *esse* et aliud essentia per quam *esse* determinatur, et aliud est actio et aliud potentia per quam virtus agendi limitatur, potest tamen agere usque ad immutationem formae et perficere conversionem formalem, ut sc. diversae formae sibi in eodem subiecto succedant : abs dubio Deus, quia ex infinito agit actu, atque est infinitus in virtute agendi sicut est infinitus in essendo, poterit agere ultra usque ad immutationem non tantum formae, sed etiam materiae, et sua actione ad *totum ens* se extendere, ac per hoc usque ad ipsam conversionem substantialem attingere, ipsamque perficere. Quod D. Thomas, *IV. Sent.* dist. 11. q. 1. a. 3. ita expressit : « Sicut autem *esse* compositi, quod ex suppositione materiae natura producit, operationi naturae subicitur, ita *ipsa materia*, quam praesupponit natura, subicitur actioni primi agentis, sc. Dei, a quo *hoc ipsum imperfectum esse*, sc. in potentia, quod habet, accepit. Unde divina operatio pertingere potest ad variationem materiae, ut sc. sicut natura facit *hoc totum* esse *hoc totum*, ut ex toto aëre totam aquam : ita Deus faciat ex *hac materia signata illam*. Et quia materia signata est individuationis principium, ideo solius Dei operatione fieri potest, ut *hoc individuum demonstratum* fiat *illud individuum demonstratum;* et talis modus conversionis est in hoc Sacramento, quia ex *hoc pane* fit *hoc corpus* Christi. »

Argumenti secundi declaratio. — Sicut argumentum primum procedit ex comparatione inter potentiam agentis creati quod ex finito agit actu, et potentiam agentis increati quod agit ex actu infinito, ita secundum argumentum procedit ex comparatione *transsubstantiationis* et *creationis*. Utrumque opus nonnisi solius Dei operatione fieri potest ; at opus tamen creationis, si consideretur secundum *terminum a quo*, videtur maiorem habere difficultatem quam opus transsubstantiationis ; etenim magis distat *non ens* simpliciter ab *ente*, quam *hoc ens* ab *hoc ente*. Si ergo, quia Deus est *auctor entis*, potest producere substantiam rei secundum totam suam entitatem : nonne etiam poterit totam entitatem

unius substantiae convertere in totam alterius substantiae entitatem ? Et hoc est, quod D. Thomas dicit ad 3^{um} : « Id quod entitatis est in una, potest Auctor entis convertere in id quod est entitatis in altera, sublato eo per quod ab illa distinguebatur. » Quam quidem maiorem creationis difficultatem ex parte termini *a quo* ita declarat Angelicus Doctor, *IV. Sent.* dist. 11. q. 1. a. 3. sol. 3. ad 2. : « In aliqua actione potest esse resistentia dupliciter : Uno modo ex *parte agentis*, quando sc. ex contrario agente virtus ipsius debilitatur ; alio modo ex *parte ipsius effectus*, quando ex contraria dispositione impeditur effectus. In omni actione, ubi agens non patitur, prima resistentia non habet locum, sed secunda solum ; unde in operationibus divinis non attenditur difficultas secundum *resistentiam ad agentem*, sed secundum *impedimentum effectus*. Magis autem impeditur effectus per subtractionem potentiae recipientis quam per rationem contrariae dispositionis ; quia contraria dispositio non impedit effectum nisi in quantum facit potentiam indispositam. Et ideo maior difficultas est in creatione, ubi omnino materia non praeexistit, quam ubi in praeexistenti materia est aliquid quod effectui contrariando repugnat. »

Argumenti tertii declaratio. — Sicut autem argumentum secundum procedit ex comparatione inter opus transsubstantiationis et opus creationis, ita argumentum tertium procedit ex comparatione inter opus Transsubstantiationis et opus Incarnationis. Quemadmodum namque creationis opus, secundum terminum *a quo* inspectum, maiorem videtur exhibere difficultatem, ideoque maiorem ex hac parte ostendere virtutem quam transsubstantiatio, sic opus Incarnationis ex parte *termini ad quem* humana natura assumitur, tanto maiorem demonstrat potestatem Dei in agendo, quanto *esse divinum* Verbi Incarnati est quid dignius ac excellentius quam ipsamet corporis et sanguinis Christi substantia, in quam tota substantia panis et tota substantia vini in hoc sacramento virtute divina convertitur. Mirabile quippe opus transsubstantiationis, per quod tota substantia panis transmutatur in totam substantiam corporis Christi, et tota

substantia vini in totam substantiam sanguinis Christi! At longe tamen adhuc mirabilius opus, per quod in mysterio Incarnationis humana natura Christi adiuncta est ad personalitatem divinam, ut sc. persona divina Filii Dei in humana natura subsistat! Miranda illa et singularis conversio totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem Christi; sed adhuc sane magis miranda atque ineffabilior assumptio illa humanae naturae ad *unum esse divinum*, prout *esse* est hypostasis vel personae Verbi. Nam « gratia unionis est *ipsum esse personale*, quod gratis divinitus datur humanae naturae in persona Verbi; quod quidem est terminus assumptionis... Unio naturae humanae ad Verbum Dei est secundum *esse* personale, quod non dependet ab aliquo habitu, sed immediate ab ipsa natura. » (III. q. 6. a. 6.) Unio Incarnationis est maior quam unio animae et corporis in nobis. » (q. 2. a. 9.)

Atque ita, quasi veluti per gradus, ostendit D. Thomas possibilitatem transsubstantiationis : *a*) ex comparatione inter conversionem formalem et conversionem totius entis; *b*) ex comparatione inter transsubstantiationem et creationem; *c*) ex comparatione inter transsubstantiationem et assumptionem humanae naturae in Christo ad unum *esse* divinum, prout est hypostasis seu personae.

Observatio D. Thomae circa transsubstantiationem. — *Quodl.* 5. a. 11. ad 1. : « Sicut in generatione naturali neque forma neque materia generatur aut corrumpitur, sed totum compositum, ita etiam in Sacramento altaris non est quaerendum seorsum de forma aut materia in quid convertatur; sed totus panis convertitur in totum corpus Christi, in quantum est corpus; quia si in triduo mortis Christi fuisset consecratio facta, non fuisset ibi anima, sed corpus exanime, sicut in sepulchro iacebat [1]. »

[1] Vide etiam *IV. Sent.* dist. 11. q. 1. a. 1. sol. 3. ad 2. — III. q. 75. a. 6. ad 2.

III

Virtute divina fieri potest, ut accidentia panis et vini remaneant sine subiecto, facta consecratione, in Sacramento Eucharistiae.

Arg. 1^{um} Ex eo quod Dei substantia est esse. — Effectus plus dependent a causa prima quam a causa secunda. Et ideo virtute Dei, qui est causa prima omnium, fieri potest, ut remaneant posteriora, prioribus sublatis. Unde Deus, qui utpote causa prima, est causa effectus non solum secundum *fieri*, sed etiam secundum *esse*, potest causare effectus omnium causarum secundarum sine ipsis causis secundis. Ergo Deus, Ens per essentiam, a quo fiunt omnia entia per participationem, et qui est prima causa tam substantiae quam accidentis, per suam infinitam virtutem conservare potest in *esse* accidens, subtracta substantia per quam conservabatur in *esse* sicut per propriam causam. — Hoc primum argumentum, quod exponitur a D. Thoma, III. q. 77. a. 1. et q. 75. a. 5. ad 1. et *IV. Sent.* dist. 12. q. 1. a. 1., resolvitur postremo in illam doctrinam fundamentalem quae habetur I. q. 104. a. 1. ubi demonstratur quod creaturae indigent ut a Deo conserventur in *esse;* quoniam Deus est causa non solum fiendi, sed etiam essendi omnium rerum ; et ipse solus, cuius substantia est *esse* subsistens, tenet in *esse* non solum accidentia, quorum *esse* est *inesse* substantiae tamquam subiecto, verum ipsas quoque substantias, quarum essentiis competit esse non in alio, sed in seipsis. En ratio fundamentalis totius quaestionis : « Sic autem se habet omnis creatura ad Deum, sicut aër ad solem illuminantem. Sicut enim sol est lucens per suam naturam, aër autem fit luminosus participando lumen a sole, non tamen participando naturam solis : ita solus Deus est Ens per essentiam suam, quia eius essentia est suum *esse;* omnis autem creatura est ens participative, non quod sua essentia sit eius *esse.* » (I. q. 104. a. 1.) Nec *lumen* habet radicem in aëre, nec *esse* habet radicem in essentiis creaturarum ; inde, sicut cessat lumen cessante actione solis, sic cessat *esse* cessante actione Dei.

Arg. 2^{um} Ex eo quod esse non est essentia substantiae vel accidentis. — D. Thomas, III. q. 77. a. 1. ad 2. : « Cum *ens* non sit genus, hoc ipsum quod est *esse*, non potest esse *essentia* substantiae vel accidentis. Non est ergo definitio substantiae : *ens per se sine subiecto ;* nec definitio accidentis : *ens in subiecto ;* sed quidditati seu essentiae substantiae competit habere *esse* non in subiecto ; quidditati autem sive essentiae accidentis competit habere *esse* in subiecto. In hoc autem sacramento non datur accidentibus quod ex vi suae essentiae non sint in subiecto, sed ex divina virtute sustentante ; et ideo non desinunt esse accidentia, quia non separatur ab eis definitio accidentis, quae est *aptitudo ad subiectum* quae semper manet in iis, *non actualis inhaerentia ;* nec competit eis definitio substantiae. » Exinde patet, quod nec habere *existentiam propriam* est de *essentia* substantiae creatae, nec habere *inhaerentiam actualem* est de *essentia* accidentis. Quapropter : *a*) ex divina virtute sustentante potest dari aliqua natura vel substantia creata sine propria existentia, ut humana natura in Christo, quae existit existentia increata Verbi Incarnati ; *b*) etiam ex divina virtute sustentante possunt dari accidentia absque actuali inhaerentia substantiae vel subiecti, ut accidentia panis et vini in sacramento Eucharistiae.

Arg. 3^{um}. — Ex eo quod in accidentibus, ex virtute divina sine subiecto subsistentibus, relinquitur compositio esse et essentiae accidentium. — Cum autem Deus ex sua infinita virtute possit facere quod *sit* accidens, et non *insit*, accidens habet *esse* proprium dum ex divina virtute *subsistit* sine subiecto. Et tamen huiusmodi accidentia nec per consecrationem adipiscuntur aliquam compositionem, nec ante consecrationem erant composita neque ex materia et forma, neque ex *quo est* et *quod est*. Unde talia accidentia erunt *entia subsistentia* et *simpliciora* quam ipsi angeli, cum tamen haec accidentia sint sensibilia. Huiusmodi inconveniens sic resolvit D. Thomas, III. q. 77. a. 1. ad 4. : « Accidentia huiusmodi, manente substantia panis et vini, non habebant ipsa *esse*, sicut nec alia accidentia, sed subiecta eorum habebant huius-

modi *esse* per ea, sicut nix est *alba* per albedinem ; sed post consecrationem ipsa accidentia, quae remanent, habent *esse;* unde sunt composita ex *esse* et *quod est*, sicut (I. q. 50. a. 2. ad 3.) de angelis dictum est, et cum hoc habent compositionem partium quantitativarum. » Et *IV. Sent.* dist. 12. q. 1. a. 1. sol. 3. ad 5. : « Cum ista accidentia habeant *esse* et *essentias proprias*, et eorum *essentia* non sit eorum *esse*, constat quod aliud est in eis *esse* et *quod est;* et ita habent compositionem illam quae in angelis invenitur, et ulterius compositionem ex partibus quantitativis, quae in angelis non invenitur ; et sic magis recedunt a divina simplicitate. »

Illud vero, quod accidentia haec sint *subsistentia*, « non convenit eis ex ratione suae quidditatis, sed divina virtute. » « *Inesse* non dicit *esse* accidentis absolute, sed magis *modum* essendi, qui sibi competit ex ordine ad causam proximam sui *esse*. Et quia remoto ordine accidentis ad causam proximam, adhuc potest remanere ordo ipsius ad Causam Primam secundum quem modus ipsius essendi non est *inesse*, sed *ab alio esse:* ideo potest Deus facere quod *sit* accidens, et *non insit;* nec tamen *esse* accidentis removetur ab eo, sed modus essendi. » « Deus potest accidentia sine subiecto conservare, nec tamen sequitur contradictoria simul esse vera ; quia subiectum non est de substantia accidentis. » « Nec est impossibile, quod accidens virtute divina subsistere posset sine subiecto. Quod accidit propter infinitatem Dei, et quia omnibus causis secundis largitur virtutem agendi ; unde effectus causarum secundarum conservare potest in *esse* sine causis secundis. Et hoc modo, in hoc sacramento accidens conservatur in *esse*, sublata substantia quae ipsum conservabat ; quod quidem praecipue dici potest de quantitatibus dimensivis, quas etiam Platonici posuerunt per se subsistere, propter hoc quod secundum intellectum separantur ; manifestum est autem, quod plus potest Deus in operando quam intellectus in apprehendendo [1]. »

[1] *IV. C. Gent.* cap. 65. — *Quodl.* 9. a. 5. — *IV. Sent.* dist. 12. q. 1. a. 1. — III. q. 77. a. 1. et 2.

IV

Notanda.

1um **Causalitas substantiae respectu accidentis, et causalitas Dei.** — Ad rem P. Billot [1] : « Substantia enim causat ut *causa materialis*, in quantum subiectat accidentia ; causat etiam *quasi efficienter*, in quantum accidentia ab ea dimanant per quandam resultantiam, et iugiter conservantur per continuum influxum. Porro, cum in sacramento Deus dicitur *supplere causalitatem* substantiae, non sic intelligas quasi ipse suppleret causalitatem materialem, gerendo vices subiecti, quod absit ; sed sublato substantiae influxu, quicumque ille est, conservat accidentis essentiam sub proprio actu essendi. Equidem verum, quod *existentia* accidentis est *inexistentia*, sicut *existentia* substantiae est *subsistentia;* quo fit, ut accidens, proprie loquendo, non habeat *esse;* imo subiectum habet *esse*, secundum ipsum. Sed rursus, hoc non est ita accipiendum, quasi accidentalis existentia esset ipsa existentia qua substantia in se subsistit ; nam unicuique essentiae, sive accidentali sive substantiali, respondet distinctus existentiae actus. Sensus igitur est, quod actus proportionatur potentiae ; unde cum accidens secundum suam essentiam sit magis *entis ens* quam *ens*, ut dici solet in philosophia, ideo etiam eius existentia est magis substantiae secundum accidens, quam accidentis secundum se. At vero, statim ac accidens per divinam virtutem a subiecto separatur, ille idem essendi actus, qui prius competebat substantiae secundum proprietatem accidentalem sibi inhaerentem, iam esse incipit solius accidentis nunc miraculose subsistentis, id est, habentis exsistere in se. Ne tamen de quolibet accidente hoc intelligas, sed de sola quantitate dimensiva, quae per Dei omnipotentiam absolute consistit, et aliorum accidentium est subiectum [2]. »

[1] *De sacramento Eucharistiae.* — III. q. 77. a. 1.
[2] Vide etiam CAIETANUM, In III. q. 77. a. 1. et 2.

2um **Accidentia in Sacramento Eucharistiae et humanitas Christi in mysterio Incarnationis.** — Adest enim quaedam proportio seu analogia. Dominicus Soto, *IV. Sent.* dist. 10. q. 2. a. 1. : « Quemadmodum licet natura substantiae sit per se subsistere, nihilominus humanitas Christi sustentatur in alieno supposito, nempe in divino ; sic, vice versa, et accidens virtute divina potest per se subsistere. » Unde natura humana Christi consistit non per proprium existentiae actum, sed per *esse* personale Filii Dei sibi communicatum ; accidentia autem consistunt in *esse*, virtute divina sustentante. Attamen, diverso modo influendi ; in sacramento Eucharistiae, secundum rationem causae efficientis ; in mysterio Incarnationis, ad instar actus eminenter formalis [1].

[1] Vide Sylvium, In III. q. 2. a. 6. — Caietanum, In I. q. 50. a. 5. et In III. q. 17. a. 2.

CAPUT QUINTUM

Quomodo ex identitate esse et essentiae in Deo atque ex reali utriusque compositione in creaturis procedat D. Thomas ad manifestandum, quod nullus intellectus creatus ex suis naturalibus sufficiens est videre essentiam Dei, et tamen ex supernaturali elevatione gratiae auxilio Deum potest videre per essentiam, sicuti est.

I

Ordo supernaturalis.

PRIMO : **Duplex ordo cognitionis.** — Concil. Vatican. sess. 3. *De Fide*, cap. 4. : « Hoc quoque perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et tenet, duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed obiecto etiam distinctum : principio quidem, quia in altero naturali ratione, et altero fide divina cognoscimus ; obiecto autem, quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt. Quocirca Apostolus, qui a gentibus Deum, per ea quae facta sunt, cognitum esse testatur, disserens tamen de gratia et veritate quae per Iesum Christum facta est, pronuntiat : Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quam nemo principum huius saeculi cognovit ; nobis revelavit Deus per Spiritum suum ; Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Et ipse Unigenitus confitetur Patri, quia abscondit haec a sapientibus et prudentibus, et revelavit ea parvulis. »

SECUNDO : **Ordo supernaturalis est ordo gratiae et veritatis, quae per Iesum Christum facta est.** — Ioann. cap. 1. : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum... In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis ; et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis... Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia. Quia lex per Moysem data est ; gratia et veritas per Iesum Christum facta est. Deum nemo vidit unquam ; Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit. »

Tit. cap. 3. : « Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiae quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Iesum Christum, Salvatorem nostrum, ut iustificati gratia ipsius, haeredes simus secundum spem vitae aeternae. »

TERTIO : **Suprema capita ordinis supernaturalis.** — Ex supra positis iam manifeste patet ordinem supernaturalem importare illas *investigabiles divitias* Christi, quibus homo, eiusdem Christi Salvatoris sanguine redemptus, ex statu iniustitiae in statum iustitiae transfertur, et accipit spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : *Abba, Pater*. Si autem filii, et heredes ; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi ; si tamen compatimur, ut et conglorificemur ; vocati in societatem Filii Dei, Iesu Christi Domini nostri (Rom. cap. 8. ; I. Cor. cap. 1.). Unde ordo supernaturalis est *lumen gratiae*, qua homo fit particeps divinae naturae et divinae cognitionis et divinae dilectionis ; et secundum participationem huiusmodi divinae naturae dicimur regenerari in filios Dei. Tria itaque suprema capita claudunt totum ordinem hunc supernaturalem, in quem elevatus, homo fit nova creatura in

Christo Iesu, ita ut per potentiam intellectivam homo participat cognitionem divinam per virtutem fidei ; et secundum potentiam voluntatis participat amorem divinum per virtutem caritatis ; et per naturam ipsius animae participat secundum quandam similitudinem naturam divinam per quandam regenerationem sive recreationem. Atque ita homo fit particeps Divini Esse, et in essentia animae, et in potentia intellectiva, et in ipsa libera voluntate, per lumen gratiae gratum facientis, per Spiritus Sancti dona, ac per omnes virtutes infusas, quae a lumine gratiae derivantur atque ex anima animaeque potentiis usque ad corpus ipsum effectus gratiae sanctificantis faciunt redundare, dum in praesenti membra nostra exhibemus arma iustitiae Deo, et in futuro corpus nostrum sortietur incorruptionem et gloriam animae [1].

Quarto : **Per gratiam perfectior cognitio de Deo habetur a nobis quam per rationem naturalem.** — Deum esse, quantum in se est, per se notum est ; quia praedicatum est idem cum subiecto. Deus enim est suum *esse*. Quoad nos tamen non est per se notum Deum esse, nec Deus est primum quod a nobis cognoscitur ; sed ex sensibilium cognitione assurgimus ad cognoscendum de Deo quod est, et possumus praeterea de ipso cognoscere quae necesse est ei convenire, secundum quod est prima omnium causa, excedens omnia sua causata. Unde per illas quinque vias, quibus Deum esse demonstrative probari potest, ex ratione primi efficientis et primi necessarii et primi entis et primi motoris rerum et primae intelligentiae, patet via perveniendi usque ad rerum omnium creationem et omnium entium, in quantum entium, efficientem et exemplarem et finalem causam ; et sic cognoscit Deum philosophia prima, ut principium sui proprii subiecti, quod est ens sub ratione entis [2]. Per revelationem autem gratiae plenius Deum

[1] I.-II. q. 110. a. 3. et 4. ; III. q. 79. a. 1. et 2. — Vide opus nostrum : *De gratia et libero arbitrio*, vol. I. q. 2. a. 4.

[2] I. q. 2. a. 3. ; q. 12. a. 12. et 13. ; q. 44. a. 1., 2., 3. et 4. ; q. 88. a. 3.

cognoscimus, pluribus ex causis, videlicet : 1° quia per revelationem gratiae iuvatur ac perfecitur ipsa humana cognitio naturalis de Deo ; 2° quia et naturale intellectus lumen confortatur per infusionem luminis gratuiti ; 3° quia plures et excellentiores effectus Dei nobis demonstrantur ; 4° quia denique plurima supra sensum et supra naturales vires rationis ostensa sunt nobis, dum « multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum, per quem fecit et saecula. » (Hebr. cap. 1.)

QUINTO : **Totius ordinis supernaturalis terminus.** — Ordo supernaturalis incipit per cognitionem Dei lumine fidei, ac perfecte completur per cognitionem Dei lumine gloriae. Incipit quidem lumine fidei ; quia ut dicitur Hebr. cap. 11. « fides est sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium. Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit. » Perfecte vero completur lumine gloriae ; quia, ut dicitur I. Ioann. 3, 2 : « nunc filii Dei sumus et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. » Et I. Cor. 13, 11-13 : « Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi quae erant parvuli. Videmus nunc per speculum in aenigmate ; tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte ; tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum. »

Ecce totius supernaturalis ordinis perfecta consummatio, videre facie ad faciem quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, ea nimirum quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum ; scrutare omnia, etiam profunda Dei ; habitare porro illam eandem inaccessibilem lucem quam inhabitat Deus, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest ; cui honor et imperium sempiternum, Amen (I. Cor. cap. 2. ; I. Tim. cap. 6.).

Quare autem nullus hominum nec angelorum Deum per

sua naturalia videre potest ? Quare tamen possibile est Deum videri a creatura rationali, et videri quidem facie ad faciem, immediate, quidditative, in lumine suae propriae essentiae, sicuti est ? D. Thomas respondet : **Solus enim Deus est suum esse ; in omnibus autem aliis differt essentia rei et esse eius.** (I. q. 3. a. 4. ; q. 44. a. 1. ; q. 61. a. 1.)

II

Impossibile est, quod aliquis intellectus creatus per sua naturalia essentiam Dei videat.

§ 1.

Argumenta D. Thomae.

Arg. 1^{um}. — *In I. Tim.* cap. 6. lect. 3. : « *Quem suis temporibus ostendit beatus et solus potens Rex regum et Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem et lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest, cui honor et imperium sempiternum. Amen.* — Lux in sensibilibus est principium videndi ; unde illud quo aliquid cognoscitur quocumque modo, dicitur lux. Unumquodque autem cognoscitur per suam formam, et secundum quod est actu ; unde quantum habet de forma et actu, tantum habet de luce. Res ergo quae sunt actus quidem, sed non purus, lucentia sunt, sed non lux. Sed divina essentia, quae est actus purus, est ipsa lux. Deus autem habitat apud se, et haec lux est inaccessibilis, id est, non visibilis oculo carnis, sed intelligibilis. Et tamen nullus intellectus creatus potest ad eum accedere. Notandum est tamen, quod dupliciter potest intellectus accedere ad cognitionem naturae alicuius, sc. ut *cognoscat* et ut *comprehendat*. Ad comprehendendum autem Deum impossibile est intellectum pervenire, quia sic cognosceret Deum ut cognoscibilis est ; Deus autem perfecte

cognoscibilis est in quantum habet de entitate et luce ; haec autem sunt infinita ; ergo est infinite cognoscibilis. Virtus autem intellectus creati est finita ; et ideo etiam intellectus Christi non comprehendit Deum. Sed alius modus est cognoscendi Deum, sc. attingendo Deum ; et secundum hoc nullus intellectus creatus per propria naturalia attingit ad cognoscendum id quod est Deus. Et ratio huius est, quia nulla potentia potest in aliquid altius suo obiecto, sicut visus ad altius colore. Proprium autem obiectum intellectus est *quod quid est;* unde quod superat *quod quid est*, excedit proportionem omnis intellectus. In Deo autem non est aliud *esse* et quidditas eius. »

Arg. 2^um^. — *In Coloss.* cap. 1. lect. 4. : « *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae.* Notandum, quod Deus dicitur *invisibilis*, quia excedit capacitatem visionis cuiuscumque intellectus creati, ita quod nullus intellectus creatus naturali cognitione potest pertingere ad eius essentiam. Iob. 36, 26 : *Esse Deus magnus vincens scientiam nostram.* I. Tim. 6, 16 : *Lucem habitat inaccessibilem.* Videtur ergo a beatis ex gratia, non ex natura. Ratio huius assignatur a Dionysio : quia omnis cognitio terminatur ad existens, id est, ad aliquam naturam participantem *esse;* Deus autem est ipsum *esse* non participans, sed participatum ; ergo est incognitus. »

Arg. 3^um^. — I. q. 12. a. 4. : « Impossibile est, quod aliquis intellectus creatus per sua naturalia essentiam Dei videat. Cognitio enim contingit secundum quod cognitum est in cognoscente. Cognitum autem est in cognoscente secundum modum cognoscentis. Unde cuiuslibet cognoscentis cognitio est secundum modum suae naturae. Si igitur modus essendi alicuius rei cognitae excedat modum naturae cognoscentis, oportet quod cognitio illius rei sit supra naturam illius cognoscentis. Est autem multiplex modus essendi rerum. Quaedam enim sunt quorum natura non habet *esse* nisi in hac materia individuali, et huiusmodi sunt omnia corporalia. Quaedam vero sunt quorum naturae sunt per *se subsistentes*, non in materia aliqua ; quae tamen non sunt suum *esse*, sed sunt *esse* habentes. Et huiusmodi sunt substantiae incorporeae,

quas angelos dicimus. Solius autem Dei proprius modus essendi est *ut sit suum esse subsistens*. Ea igitur, quae non habent *esse* nisi in materia individuali, cognoscere est nobis naturale, eo quod anima nostra, per quam cognoscimus, est *forma* alicuius materiae. Quae tamen habet duas virtutes cognoscitivas. Unam, quae est actus alicuius corporei organi ; et huic connaturale est cognoscere res secundum quod sunt in materia individuali ; unde sensus non cognoscit nisi singularia. Alia vero virtus cognoscitiva eius est intellectus, qui non est actus alicuius organi corporalis. Unde per intellectum connaturale est nobis cognoscere *naturas*, quae quidem non habent *esse* nisi in materia individuali ; non tamen secundum quod *sunt* in *materia individuali*, sed secundum quod *abstrahuntur* ab ea per considerationem intellectus. Unde secundum intellectum possumus cognoscere huiusmodi res *in universali* ; quod est supra facultatem sensus. Intellectui autem angelico connaturale est cognoscere *naturas non in materia existentes* ; quod est supra naturalem facultatem intellectus animae humanae secundum statum praesentis vitae, quo corpori unitur. Relinquitur ergo, quod cognoscere *ipsum esse subsistens* sit *connaturale* soli intellectui divino, et quod sit supra *facultatem naturalem* cuiuslibet intellectus creati ; quia nulla creatura est suum *esse*, sed habet *esse* participatum. Non igitur potest intellectus creatus Deum per essentiam videre, nisi in quantum Deus per suam gratiam se intellectui creato coniungit, ut intelligibile ab ipso. »

§ 2.

Argumentorum declaratio.

PRIMO : **Omnia argumenta in hac materia veniunt postremo resolvenda in identitatem esse et essentiae ex parte Dei, et in realem esse et essentiae compositionem ex parte creaturae intellectualis.** — Quod quidem aperte ostenditur non modo ex tribus argumentis supra expositis, sed ex aliis pluribus quae ab ipso Angelico Doctore aliis in locis, et praesertim *III. C. Gent.* cap. 49. afferuntur, ubi quinque

rationes enumerantur, quarum postrema sic se habet : « Divina substantia est suum *esse*, ut ostensum est lib. I. cap. 22. Ipsum autem *esse* substantiae separatae est aliud quam sua substantia, ut probatum est lib. II. cap. 52. Essentia igitur substantiae separatae non est *sufficiens medium* quo Deus per essentiam suam videri possit. » Quare non datur sufficiens medium ad videndum Deum per essentiam ? Optime poterit responderi : 1° Quia omne medium est creatura, perducens in cognitionem Dei, sicut effectus in cognitionem causae ; et nulla creaturarum est effectus adaequans virtutem Dei ; 2° quia nulla natura creata est idem specie, quinimo nec genere, cum natura divina ; 3° quia omne creatum ad aliquod genus vel aliquam speciem terminatur, et Deus non est in genere ; 4° quia omnis intelligibilis species, per quam intelligitur quidditas rei, comprehendit in repraesentando rem illam ; et omnis species creata, utpote finita, nequit totaliter repraesentare Deum, qui est infinitus in essendo ; 6° quia Deus eminenter continet perfectiones omnium rerum et omnes perfectiones simpliciter simplices, quarum non est numerus ; et omnia haec repraesentari nequeunt per *unum* creatum. At ratio tamen suprema istarum et aliarum huiusmodi rationum clauditur in his duobus : *In Deo idem est esse et essentia* (*I. C. Gent.* cap. 21.). *In substantiis intellectualibus differt esse et id quod est* (*II. C. Gent.* cap. 52.).

Secundo : **Radix et initium cognitionis provenit ex eo, quod aliqua natura est non solum id quod est, sed etiam alia a se.** — Radicaliter enim initium cognitionis ex eo quidem oritur, quod natura aliqua est non solum *ipsa*, sed etiam est vel potest esse quodammodo *alia*. Nam talis est secundum se natura cognoscitiva, ut sit actu vel saltem potentia ipsum cognitum ; et hoc est esse non solum *ipsa*, sed etiam *alia*. Unde D. Thomas, *De Verit.* q. 2. a. 2. : « Haec est perfectio cognoscentis, in quantum est cognoscens ; quia secundum hoc a cognoscente aliquid cognoscitur, quod ipsum cognitum aliquo modo est apud cognoscentem ; et ideo *III. De Anima* dicitur animam esse quodammodo omnia, quia nata est omnia cognoscere. Et secundum hunc modum possibile est,

ut in una re totius universi perfectio existat. Unde haec est ultima perfectio ad quam anima potest pervenire, secundum philosophos, ut in ea describatur totus ordo universi et causarum eius, in quo etiam finem ultimum hominis posuerunt, qui secundum nos erit in visione Dei ; quia, secundum Gregorium, *Quid est quod non videant qui videntem omnia vident ?* »

TERTIO : **Una res vel natura cognoscens non potest esse alia nisi habeat in se formam rei cognitae.** — Etenim natura cognoscens non fit *alia natura* nisi quatenus eam cognoscit ; et res non cognoscitur nisi quatenus cognoscens et cognitum fiunt unum, ita quod intellectus in actu est intellectum in actu, res cognoscens in actu est res intellecta seu cognita in actu. Cognitio namque in hoc consistit, quod intellectus in actu sit formaliter res ipsa intellecta in *esse* intelligibili. Quapropter D. Thomas, I. q. 12. a. 4. : « Cognitio enim contingit secundum quod cognitum est in cognoscente. » Et q. 14. a. 1. : « Cognoscentia a non cognoscentibus in hoc distinguuntur, quia non cognoscentia nihil habent nisi formam suam tantum ; sed cognoscens natum est habere formam etiam rei alterius. Nam species cogniti est in cognoscente. »

QUARTO : **Species seu forma rei cognitae non est in re cognoscente secundum idem esse quo est in ipsa re cognita.** — Quoniam forma rei cognitae extra intellectum cognoscentis habet *esse* naturale ; intra intellectum vero habet *esse* intentionale. Extra intellectum habet *esse* singulare et determinatum ; intra intellectum habet *esse* universale seu a materia separatum et a materialibus conditionibus quae natae sunt determinare *esse* in rerum natura. Unde, quamvis forma rei cognitae, prout est in cognoscente, sit eadem forma cum forma naturali, differt tamen ab illa in modo essendi. Quod D. Thomas sic dilucidat, *De Verit.* q. 2. a. 2. : « Perfectio autem unius rei in altera esse non potest secundum determinatum *esse* quod habebat in re illa ; et ideo ad hoc quod nata sit esse in re altera, oportet eam considerare absque his quae nata sunt eam determinare. Et quia formae et perfectiones rerum

per materiam determinantur, inde est, quod secundum hoc est aliqua res *cognocibilis* secundum quod a *materia* separatur ; unde oportet, quod etiam id in quo suscipitur talis rei perfectio, sit *immateriale ;* si enim esset materiale, perfectio recepta esset in eo secundum aliquod *esse* determinatum ; et ita non esset in eo secundum quod est *cognoscibilis*, sc., prout existens perfectio unius est nata esse in altero. »

QUINTO : **Ordo in rebus cognoscibilibus et ordo in rebus seu naturis cognoscitivis est secundum ordinem immaterialitatis in ipsis rebus.** — Ex parte quidem rerum quatenus cognoscibilium hoc patet : 1° quia sc. res materiales non sunt intelligibiles nisi prout a materia separantur, et ipsarum quidditates nonnisi sub forma universalitatis ab intellectu nostro primum et directe attinguntur. Sunt enim intelligibiles in potentia tantum, et efficiuntur intelligibiles actu per lumen intellectus agentis, sicut colores actu visibiles per lumen solis. Sed res immateriales sunt intelligibiles per seipsas ; unde sunt magis notae secundum naturam, quamvis minus notae nobis. 2° Quia res tanto magis participant naturam entis, quanto magis elongantur a nihilo ; et tanto magis elongantur a nihilo, quanto plus elongantur a materia quae, veluti pura potentia in linea entis, est prope nihilum. Res autem tantum habent de veritate et cognoscibilitate, quantum habent de perfectione entitatis.

Ex parte vero rerum seu naturarum prout sunt cognoscitivae, ex hoc etiam est manifestum : 1° quod natura rei non cognoscentis est magis coarctata et limitata ; 2° quod natura rerum cognoscentium habet maiorem amplitudinem et extensionem, et tanto maiorem quanto ad plura et altiora se extendunt cognoscendo. Natura quidem non cognoscentis est magis limitata ac coarctata ; quoniam non cognoscentia a cognoscentibus in hoc distinguuntur, nempe quia non cognoscentia nihil habent nisi formam suam tantum. Natura vero cognoscentis habet maiorem amplitudinem, quia cognoscens natum est habere formam etiam rei alterius ; nam species seu forma cogniti est in cognoscente, et esse ipsum et alia est magis amplum quam esse ipsum tantummodo.

Iam vero : undenam provenit coarctatio formae, qua natura specifica constituitur ? Ex materia, in qua forma recipitur. Undenam oritur amplitudo naturae ? Ex dominio supra materiam, sive ex elongatione ab illa ; nam per recessum materiae habetur infinitas formarum sine materia subsistentium. Et hoc est, quod D. Thomas breviter et dilucide simul ac profunde declarat, I. q. 14. a. 1. dicens : « Manifestum est, quod natura rei non cognoscentis est magis coarctata et limitata. Natura autem rerum cognoscentium habet maiorem amplitudinem et extensionem. Propter quod dicit Philosophus, *III. De Anima*, quod : *anima est quodammodo omnia*. Coarctatio autem formae est per materiam. Unde et supra diximus quod formae, secundum quod sunt magis immateriales, secundum hoc magis accedunt ad quandam infinitatem. Patet igitur quod : *Immaterialitas alicuius rei est ratio quod sit cognoscitiva ; et secundum modum immaterialitatis est modus cognitionis.* »

Sexto : **Proportio inter ordinem essendi et ordinem cognoscendi.** — Adaequata inter utrumque ordinem proportio ex hoc ipso demonstratur, quod immaterialitas alicuius rei est ratio quod sit cognoscitiva ; et secundum modum immaterialitatis est modus cognitionis. Quapropter *ordo essendi*, ascendendo, incipit statim ac forma, cuius actus est *esse*, recipitur in materia ad quamcumque, quantumvis minimi gradus, naturam specifice constituendam ; et *ordo cognoscendi* praesupponit non tantum ordinem essendi, verum etiam quendam essendi modum non totaliter immersum in materia. Unde D. Thomas, doctrinam Philosophi evolvens, ait I. q. 14. a. 1. : « Plantae non cognoscunt propter suam materialitatem. Sensus autem cognoscitivus est, quia receptivus est specierum sine materia ; et intellectus adhuc magis cognoscitivus est, quia magis separatus est a materia et immixtus. » Et *De Verit.* q. 2. a. 2. : « Videmus, quod secundum ordinem immaterialitatis in rebus, secundum hoc in eis natura cognitionis invenitur ; plantae enim et alia quae infra plantas sunt, nihil immaterialiter possunt recipere ; et ideo omni cognitione privantur ; sensus autem recipit species sine materia, sed

tamen cum conditionibus materialibus ; intellectus autem etiam a conditionibus materialibus species depuratas recipit. » Ac deinde quoad ipsummet intellectum sunt gradus diversi intelligendi correspondentes ad gradus essendi, ita quod homo intelligit per species a rebus acceptas, et angelus per species ei connaturales ; interque angelos ipsos, quanto angeli superiores sunt, tanto per pauciores species universalitatem intelligibilium apprehendunt, ac proinde per formas universaliores ; et sic usque ad Deum, qui, cum sit in summo immaterialitatis atque in fine separationis ab omni potentialitate, ideo est in summo cognitionis ; et ipse est maxime cognoscitivus et maxime cognoscibilis ; atque eius natura secundum hoc quod habet *esse* realiter, secundum hoc competit ei ratio cognoscibilitatis ; et omnia intelligit per unum, in sua natura vel essentia, quae est ipsemet Deus et ipsum suum Esse Subsistens. Unde in Deo, qui est in vertice rerum ac in cuspide entium, ordo essendi et ordo intelligendi identificantur ; et omne ideale est reale, et omne reale ideale ; et intelligere Dei est eius substantia ; et in Deo non est forma quae sit aliud quam suum *esse* ; atque ita in Deo intellectus, intelligens, et id quod intelligitur, et species intelligibilis, et ipsum intelligere, sunt omnino unum et idem [1].

Septimo : **Cognoscens actu est actu ipsum cognitum ; sed diversimode, iuxta diversos gradus perfectionis in cognoscendo.** — Ex hactenus indicatis, cognoscens natum est esse etiam alia ; et natura cognoscens non potest esse alia nisi habeat in se formam rei, quia *esse cognoscens* est ex habere formam suam et formam alterius ; et aliunde, forma rei cognitae non est in cognoscente secundum idem *esse* quo est in ipsa re cognita ; ideo declarare oportet, quomodo cognoscens habeat formam rei cognitae, et quomodo cognoscens actu *sit* ipsa res cognita. Ad hoc optime respondet Caietanus, In I. q. 14. a. 1. dicens : « Aliquod enim cognoscens est, quod est *omnia* per *identitatem*, ut Deus ; aliquod, quod est

[1] I. q. 14. a. 1., 2., 3. et q. 55. a. 2. et 3. — *De Verit.* q. 2. a. 2.

aliqua per *identitatem*, et *aliqua* per *informationem*, ut angeli ; aliquod, quod est *omnia* per *informationem*, ut anima nostra ; aliquod, quod est *aliqua* per *informationem*, ut anima pure sensitiva. » — Quod quidem magis adhuc complet declarando Bañez, In I. q. 14. a. 1. : « Tripliciter cognoscens potest habere in se formam rei cognitae. Primo, per *identitatem formalem* cognoscentis cum forma rei cognitae in *esse intelligibili*. Et hoc modo Deus habet in se *formam* rerum omnium cognoscibilium. Nam divinus intellectus formaliter est idem cum divina essentia in *esse* intelligibili ; id est, prout essentia est expressa similitudo omnium rerum cognoscibilium. Secundo modo, cognoscens potest habere formam rei cognitae ex *eo quod actuatur* ab illa, non quidem per *inhaesionem* aut *veram informationem*, sed quatenus ab illa, in *esse intelligibili* sumpta, determinatur et constituitur *in actu* ad intellectionem, et ipsa forma est principium specificativum intellectionis. Isto modo divina essentia est in intellectu videntis Deum. Et similiter essentia angeli, in *esse intelligibili* sumpta, *actuat* intellectum ipsius angeli ad cognitionem, quam habet angelus sui ipsius. Tertio tandem, forma rei cognitae potest esse in cognoscente per *veram informationem* et *inhaesionem ;* quo modo res a nobis cognitae sunt in nostro intellectu per species intelligibiles. Primo et secundo modo cognoscens in actu est cognitum in actu per *identitatem* rei cognitae. Tertio vero modo est cognitum in actu per *similitudinem* eius *formalem*, quae est species eius intentionalis. » Atque ista doctrina expresse traditur a D. Thoma, I. q. 14. a. 4. 5. et 6. et q. 55.-57. et q. 84. et sequentibus et alibi passim.

Octavo : **Proportio inter modum essendi et modum naturalem cognoscendi in unoquoque cognoscente.** — Ex supra declaratis iam infertur modum naturalem cognoscendi in unoquoque cognoscente esse proportionatum ac veluti mensuratum in sua perfectione per gradum perfectionis, quam res ipsa cognoscens possidet in suo proprio modo essendi. Nam diversi ordines cognoscentium oriuntur ex diversis modis essendi alia a se, in quo radicatur ratio cognitionis ; diversi autem modi essendi alia a se consurgunt ex diversis modis

ipsarum naturarum cognoscentium ; exinde, iuxta ordinem ipsarum naturarum cognoscentium, habentur diversi modi quibus cognoscens actu est actu ipsa res cognita secundum *esse* intelligibile. Unde postremo *esse cognitum* modificatur secundum modum essendi qui reperitur in ipsa re cognoscente ; et hinc sequitur, quod naturalis mensura cognitionis in unoquoque cognoscente est ipsa cognoscentis natura. Quamobrem cognitio quidditativa alicuius rei cognitae erit supra naturam alicuius rei cognoscentis, cum modus essendi illius excedit modum essendi huius. Etenim cognitio evidens, qua cognoscitur res sicuti est, et cuius quidditas vel essentia per intellectum attingitur, praerequirit saltem proportionem inter modum essendi cognoscentis et rei cognitae, vel excessum illius supra hanc. Et hoc est quod dicit D. Thomas, I. q. 12. a. 4. : « Cognitio enim contingit secundum quod cognitum est in cognoscente. Cognitum autem est in cognoscente secundum modum cognoscentis. Unde cuiuslibet cognoscentis cognitio est secundum modum suae naturae. Si igitur modus essendi alicuius rei cognitae excedat modum naturae cognoscentis, oportet quod cognitio illius rei sit *supra naturam* illius cognoscentis. »

Nono : **Triplex modus essendi rerum cognoscentium per intellectum, nempe : hominis, angeli, Dei.** — Sicut enim substantiae compositae ex materia et forma habent *esse* in hac materia individuali, et huiusmodi sunt omnia corporalia, et ipsum humanum compositum, ita substantiae separatae, quas angelos vocamus, alterius modi *esse* habent quam substantiae materiales ; et ita Deus alterius modi *esse* habet quam omnes substantiae separatae. 1° *Modus essendi in homine.* In homine quidem, sicut et in omnibus rebus materialibus, « tria est considerare, quorum nullum est aliud, ait D. Thomas, *De Anima* a. 17. ad 10. sc. : *individuum*, *naturam speciei*, et *esse.* Non enim possumus dicere, quod *hic homo* sit sua *humanitas ;* quia humanitas consistit tantum in speciei principiis ; sed hic homo supra principia speciei addit principia individuantia, secundum quod natura speciei in hac materia recipitur et individuatur. Similiter etiam nec

humanitas est ipsum *esse* hominis. » 2° *Modus essendi angeli.* « In substantiis autem separatis, quia immateriales sunt, natura speciei non recipitur in aliqua materia individuante, sed est ipsa natura per se subsistens ; unde non est in eis aliud *habens* quidditatem, et aliud *quidditas* ipsa ; sed tamen aliud est in eis *esse*, et aliud *quidditas*. » 3° *Modus essendi Dei.* « Deus est ipsum suum *esse* subsistens. »

Decimo : **Impossibile est ergo, quod aliquis intellectus creatus per sua naturalia essentiam Dei videat.** — Quia per sua naturalia nulla potentia cognoscitiva potest attingere nisi quidditatem vel essentiam illius rei, quod est obiectum proportionatum naturae ipsius potentiae et connaturale modo essendi rei cognoscentis. Unde : 1° Ea quae non habent *esse* nisi in materia individuali, cognoscere est nobis connaturale, eo quod anima nostra, per quam cognoscimus, est forma alicuius materiae ; per sensus quidem cognoscimus res materiales, secundum quod sunt in hac materia individuali et singulari ; per intellectum vero cognoscimus huiusmodi res in universali, quod est supra facultatem sensus. 2° Intellectui autem angelico connaturale est cognoscere naturas non in materia existentes, quod est supra naturalem facultatem intellectus animae humanae secundum statum praesentis vitae, quo corpori unitur. 3° Cognoscere vero ipsum *esse subsistens* non est connaturale nisi soli intellectui divino, et excedit facultatem naturalem cuiuslibet intellectus creati. Quare ? *Quia nulla creatura est suum esse, sed habet esse participatum* [1].

[1] I. q. 12. a. 4. et *De Verit.* q. 8. a. 3.

III

Ex supernaturali elevatione per gratiam intellectus creatus potest videre Deum per essentiam, facie ad faciem, sicuti est.

§ 1.

Argumenta D. Thomae.

Arg. 1^um. — *Ex doctrina fidei.* — D. Thomas, I. q. 12. a. 1. : « Cum unumquodque sit cognoscibile secundum quod est in actu, Deus, qui est actus purus absque omni permixtione potentiae, quantum in se est, maxime cognoscibilis est. Sed quod est maxime cognoscibile in se, alicui intellectui cognoscibile non est propter excessum intelligibilis supra intellectum. Sicut sol, qui est maxime visibilis, videri non potest a vespertilione propter excessum luminis. Hoc igitur attendentes quidam posuerunt, quod nullus intellectus creatus essentiam Dei videre potest. Sed hoc inconvenienter dicitur. Cum enim ultima hominis beatitudo in altissima eius operatione consistat, quae est operatio intellectus, si numquam essentiam Dei videre potest intellectus creatus, vel numquam beatitudinem obtinebit, vel in alio eius beatitudo consistet quam in Deo : quod est alienum a fide. »

Arg. 2^um. — *Ex naturali hominis desiderio.* — « Similiter etiam est praeter *rationem*. Inest enim homini naturale desiderium cognoscendi causam, cum intuetur effectum ; et ex hoc admiratio in hominibus consurgit. Si igitur intellectus rationalis creaturae pertingere non possit ad primam causam rerum, remanebit inane desiderium naturae. Unde simpliciter concedendum est, quod beati Dei essentiam videant. »

Arg. 3^um. — *Ex identitate essentiae et esse in Deo.* — I. q. 12. a. 2. ad 3. : « Divina essentia est ipsum *esse*. Unde sicut aliae formae intelligibiles, quae non sunt suum *esse*, uniuntur intellectui secundum *aliquod esse*, quo informant ipsum

intellectum et faciunt ipsum in actu, ita divina essentia unitur intellectui creato, ut intellectum in actu, per seipsam faciens intellectum in actu. »

§ 2.

Argumentorum declaratio.

PRIMO : **Ex identitate esse et essentiae in Deo ostenditur nullum intellectum creatum posse per sua naturalia videre Deum per essentiam.** — Etenim, ut ex antecedentibus colligitur et manet ostensum, eo ipso, quia solius Dei proprius modus essendi est ut sit suum *esse subsistens*, relinquitur quod cognoscere ipsum *esse subsistens* sit connaturale soli intellectui divino ; quia si modus essendi alicuius rei cognitae excedat modum naturae cognoscentis, oportet quod cognitio illius rei sit supra naturam illius cognoscentis. Unde sicut cognoscendo quidditates materiales non possumus cognoscere substantias separatas, ita nec substantiae separatae per cognitionem suae substantiae possunt cognoscere divinam essentiam. Et suprema ratio in hoc consistit, quod ens per participationem nequit esse *medium sufficiens* ad cognoscendum essentialiter et quidditative *ens per essentiam*. Quia ipsum divinum *esse* est ipsius Dei existentis substantia ; in aliis autem rebus hoc accidere non potest, nam nulla substantia creata est ipsum suum *esse* [1].

SECUNDO : **Ex identitate esse et essentiae in Deo demonstratur etiam nullam esse speciem aut similitudinem in qua Dei essentia videatur.** — D. Thomas, I. q. 12. a. 2. : « Ex parte rei visae, quam necesse est aliquo modo uniri videnti, per nullam similitudinem creatam Dei essentia videri potest... : *a*) Quia essentia Dei est ipsum *esse* eius, ut supra ostensum est, quod nulli formae creatae competere potest. Non potest igitur aliqua forma creata esse similitudo repraesentans videnti Dei essentiam. *b*) Quia divina essentia est aliquid

[1] *I. C. Gent.* cap. 21. ; *II.* cap. 52. et 53. ; *III.* cap. 20. et 49.

incircumscriptum, continens in se supereminenter quidquid potest significari vel intelligi ab intellectu creato. Et hoc nullo modo per aliquam speciem creatam repraesentari potest ; quia omnis forma creata est determinata secundum aliquam rationem, vel *sapientiae*, vel *virtutis*, vel *ipsius esse*, vel alicuius huiusmodi. Unde dicere Deum per similitudinem videri, est dicere divinam essentiam non videri : quod est erroneum. Dicendum ergo, quod ad videndum Dei essentiam requiritur aliqua similitudo ex parte visivae potentiae, sc. lumen divinae gloriae confortans intellectum ad videndum Deum ; de quo dicitur Psalm. 35, 10 : *In lumine tuo videbimus lumen*. Non autem per aliquam similitudinem creatam Dei essentia videri potest, quae ipsam divinam essentiam repraesentet ut in se est. » Et infra, a. 5. ad 2. : « Lumen istud non requiritur ad videndum Dei essentiam, quasi similitudo in qua Deus videatur, sed quasi perfectio quaedam intellectus confortans ipsum ad videndum Deum. Et ideo potest dici, quod non est medium *in quo* Deus videatur, sed *quo* videtur. Et hoc non tollit immediatam visionem Dei. »

Tertio : **Ex identitate esse et essentiae in Deo probatur quoque a D. Thoma, quod ipsa essentia Dei fit forma intelligibilis intellectus creati videntis Deum per essentiam.** — *a*) *III. C. Gent.* cap. 51. : « Cum enim intellectus perfectio sit verum, illud intelligibile erit ut forma tantum in genere intelligibilium, quod est veritas ipsa, quod convenit soli Deo ; nam cum *verum* sequatur ad *esse*, illud tantum *sua veritas* est, quod est *suum esse ;* quod est proprium soli Deo. Alia igitur intelligibilia subsistentia non sunt ut pura forma in genere intelligibilium, sed ut formam in subiecto aliquo habentes ; est enim unumquodque eorum *verum, non veritas*, sicut est *ens*, non autem *ipsum esse*. Manifestum est igitur, quod essentia divina potest comparari ad intellectum creatum ut *species intelligibilis* qua intelligit ; quod non contingit de essentia alicuius alterius substantiae separatae. »

b) *Comp. Theol.* cap. 105. : « Ad hoc igitur, quod ipse Deus per essentiam cognoscatur, oportet quod ipse Deus fiat forma intellectus ipsum cognoscentis et coniungatur ei non ad

unam naturam constituendam, sed sicut *species intelligibilis* intelligenti. Ipse enim sicut est *suum esse*, ita est *sua veritas*, quae est forma intellectus. »

c) *IV. Sent.* dist. 49. q. 2. a. 1. : « Si sit aliqua res per se subsistens, quae non habeat aliquid in se praeter *id* quod est intelligibile in ipsa, talis res per se poterit esse forma qua intellectus intelligit. Res autem quaelibet est intelligibilis secundum id quod habet de actu, non secundum id quod habet de potentia, ut patet *IX. Metaph.* ; huius signum est, quod oportet formam intelligibilem abstrahere a materia et omnibus proprietatibus materiae. Et ideo, cum essentia divina sit actus purus, poterit esse forma qua intellectus intelligit ; et hoc erit visio beatificans. Et ideo Magister dicit, quod unio animae ad corpus est quoddam exemplum illius beatae unionis, qua spiritus unietur Deo. »

Quarto : **Ex identitate esse et essentiae in Deo procedit D. Thomas ad manifestandum, quomodo ex essentia divina atque ex intellectu creato fiat unum in ordine intelligibili.** — *De Verit.* q. 8. a. 1. : « Restat ergo ut illud, quo intellectus creatus Deum per essentiam videt, sit essentia divina. Non autem oportet quod ipsa divina essentia *fiat forma* intellectus ipsius, sed quod *se habeat ad ipsum ut forma;* ut sicut ex forma, quae est pars rei, et materia efficitur *unum ens* actu, ita, licet dissimili modo, ex essentia divina et intellectu creato fiat *unum* in intelligendo, dum intellectus intelligit et essentia divina per seipsam intelligitur. Qualiter autem essentia separata possit coniungi intellectui ut forma, sic ostendit Commentator in *III. De Anima.* Quandocumque in aliquo receptibili recipiuntur duo, quorum unum est altero perfectius, proportio perfectioris ad minus perfectum est sicut proportio formae ad suum perfectibile ; sicut lux est perfectio coloris, quando ambo recipiuntur in diaphano. Et ideo cum intellectus creatus, qui inest substantiae creatae, sit imperfectior divina essentia in eo existente, comparabitur *divina essentia* ad illum intellectum quodammodo ut *forma.* Et huius exemplum aliquale in rebus naturalibus inveniri potest. Res enim per se subsistens non potest esse alicuius

materiae forma, si in ea aliquid de materia inveniatur ; sicut lapis non potest esse alicuius materiae forma ; sed res per se subsistens, quae materia caret, potest esse forma materiae, sicut de anima patet. Et similiter quodammodo essentia divina, quae est actus purus, quamvis habeat *esse* distinctum omnino ab intellectu, efficitur tamen ei ut forma in intelligendo. Ideo dicit Magister, *II. Sent.* dist. 2. quod unio corporis ad animam rationalem est quoddam exemplum beatae unionis spiritus rationalis ad Deum. »

§ 3.

Processus argumentationis.

PRIMO : **Ordo intelligendi est altior quam ordo essendi.** — Ut saepe saepius D. Thomas tradit, aliter est in participationibus et in participantibus. Participationes enim quanto sunt simpliciores, tanto nobiliores, sicut *esse* quam *vivere*, et *vivere* quam *intelligere ;* nam si separata per intellectum fiat comparatio ad invicem, *vivere* claudit *intelligere*, et *esse* claudit utrumque ; et non e converso. Intelligere namque est quoddam vivere ; vivere autem est quoddam *esse ; esse* vero est actus omnium formarum et omnium perfectionum. In participantibus autem, quanto aliquid magis est compositum per receptionem plurium participationum, tanto est nobilius, quia tanto in pluribus Deo assimilatur ; unde *intelligens* nobilius est quam *vivens*, et *vivens* quam *ens*, eo quod ens dicitur quodcumque participans *esse ;* et ad rationem viventis praerequitur altior essendi modus ; atque ad intelligendum nobilior adhuc oportet ut sit perfectio. Unde ordo intelligendi exhibet supremum gradum inter omnes ordines essendi [1].

SECUNDO : **In utroque ordine reperiuntur duo. ex quorum unione resultat unum.** — In ordine quidem essendi, materia et forma seu, generaliter loquendo, potentia et actus, ex quo-

[1] *De Verit.* q. 20. a. 2. ad 3. — *De Div. Nom.* cap. 5. lect. 1. — I. q. 4. a. 2. ad 3. ; I.-II. q. 2. a. 5. ad 2.

rum unione resultat ens vel substantia existens ; in ordine autem intelligendi, potentia intellectiva et species intelligibilis, ex quorum unione resultat intelligens in actu. Atque sicut in ordine essendi forma perficit materiam et *esse* sequitur formam cuius est actus et ultima essentiae completae perfectio, sic in ordine intelligendi species intelligibilis complet ac informat potentiam intellectivam ; et *intelligere* sequitur speciem intelligibilem tamquam ultima perfectio intellectus specie informati. Unde D. Thomas, I. q. 14. a. 4. : « Sicut enim *esse* sequitur formam, ita *intelligere* sequitur speciem intelligibilem. » Et q. 79. a. 1. : « Sicut enim potentia se habet ad operationem ut ad suum actum, ita se habet essentia ad *esse*. » Quam quidem profundam doctrinam ita declarat Caietanus, In I. q. 14. a. 4. : « Intelligere consequitur speciem intelligibilem, ut *esse* formam, quoad tria. Primo, quoad *causalitatem ;* quoniam forma est ratio essendi, et species intelligibilis est ratio intelligendi. Secundo, quoad *necessitatem ;* quoniam formam in actu necessario comitatur *existere ;* et speciem intelligibilem in actu, non medio modo inter potentiam et actum, necessario comitatur *intelligere*. Tertio, quoad *modum causandi ;* quoniam forma, complendo *quod est*, facit *esse ;* et species intelligibilis in actu, non in genere entis, sed in genere intelligibilis complendo intellectum, facit *intelligere*... Sequitur enim ex his, quod intelligere est perfectio intelligentis, ut existere est perfectio existentis ; id est, intelligere ea proportione perficit intelligentem, qua *esse* perficit existentem ; immo, *intelligere* est ipsum *esse* intelligentis in genere intelligibili, sicut *esse* est ipsum *esse* entis in genere entium. »

Tertio : **Unio inter potentiam intellectivam et speciem intelligibilem in ordine intelligendi est perfectior quam unio inter materiam et formam in ordine essendi.** — Hoc enim ex duobus demonstratur, ut Caietanus evolvit, In I. q. 14. a. 1. explicans differentiam assignatam a D. Thoma inter cognoscentia et non cognoscentia. Ait enim : « Ad evidentiam huius difficilis ac ardui fundamenti magnae partis metaphysicae ac philosophiae naturalis... radix omnium producenda est in

lucem. ... Radix autem ista lucescit, si intuemur per se differentiam inter modum quo *cognoscens est cognitum*, et quo materia habet formam. Et similiter, quam differenter fit unum ex cognoscente et cognito, et materia et forma ; idem enim iudicium est de *esse* et de *uno*, cum eandem naturam significent, ut *IV. Metaph.* dicitur. Sciendum est ergo : 1° Quod per se differentia in hoc est, quod *cognoscens* est *ipsum cognitum* actu vel potentia, *materia* autem numquam est *ipsa forma*. 2° Ex hac differentia quoad *esse* sequitur differentia quoad *unitatem ;* quod sc. cognoscens et cognitum sunt *magis unum* quam materia et forma, ut egregie dixit Averroës, *III. De Anima*. Et rationem reddidit modo dictam, quia ex intellectu et intellecto non fit *tertium*, sicut ex materia et forma ; assignando enim pro ratione maioris unitatis exclusionem tertii, aperte docuit unitatem consistere in hoc, quia *unum est aliud*. Unde Aristoteles, *III. De Anima*, hoc idem praedocuit, dicens quod *anima est omnia sensibilia et intelligibilia*. Cognoscens et cognitum non eadem intensione in omnibus sunt unum, sed magis et minus diminute, adeo quod in solo Deo sunt omnino idem. »

Quarto : **In vertice utriusque ordinis, essendi videlicet ac intelligendi, est Deus, qui est actus purus in genere entium et in genere intelligibilium.** — Ordo namque essendi incipit, ascendendo a materia prima, quae est prima potentia in linea substantiae materialis, et quae est in potentia tantum, et non habet *esse* nisi secundum quod reducitur in actum per formam ad quam sequitur *esse*. Ordo vero intelligendi incipit, ascendendo ab anima humana, cuius intellectus possibilis se habet in ordine intelligibilium sicut materia prima in ordine rerum naturalium, eo quod est in potentia ad intelligibilia, sicut materia prima ad naturalia. Per utriusque ordinis viam oportet devenire ad summum rerum atque intellectuum cardinem, nempe Deum, qui est sicut actus purus, tam in ordine existentium quam in ordine intelligibilium. In Deo enim, cuius substantia est suum *esse*, et cuius *esse* est formaliter ac identice suum intelligere, non minor est efficacia, infinitas seu actualitas substantiae divinae in genere intelli-

gibilium quam in genere entium ; atque a Deo, in quo *intelligere* et *esse* sunt unum et idem, derivatur omnis perfectio, tam in ordine essendi quam in ordine intelligendi, ita quod a divina substantia seu essentia, ut est actus purus in genere entium, procedunt et derivantur rationes rerum in creaturas, ut actu sint et subsistant ; et ut est actus purus in genere intelligibilium, derivantur rationes rerum intelligibiles in alios intellectus, ut actu intelligant. Deus est primum in utroque ordine ; et quanto creaturae magis distant a Deo ut est Esse Subsistens, tanto magis habent de potentia et appropinquant materiae quae est prope nihil ; et quanto creaturae intellectuales distant a Deo ut est Intelligere Subsistens, tanto magis dividitur illud lumen divinum quod illuminat omnes angelos et omnem hominem venientem in hunc mundum ; et sic tam *esse* quam *intelligere* in creaturis dividitur et diversificatur, sicut accidit in lineis a centro egredientibus et in radiis lucis e sole emicantibus, iuxta diversas naturas quae sunt diversi modus essendi, et iuxta diversitatem intellectuum qui sunt potentiae intelligendi ; dum in Primo Principio, qui est Deus, essentia vel natura, esse et intelligere sunt quid unum, et idem, et simplex, et immobiliter stans, omnia creans, omnia movens, omnia conservans, dirigens ac illuminans [1].

QUINTO : **Essentia divina non potest esse forma alterius rei secundum esse naturale ; potest tamen esse forma creaturae intellectualis in genere intelligibilium.**

Primum patet ; quia absolute repugnat infinitae perfectioni divinae essentiae, quae est actus purus in ordine essendi. Neque est possibile Deum aliquo modo in compositionem alicuius venire, nec sicut principium formale nec sicut principium materiale, ut D. Thomas a radice demonstrat, I. q. 3. a. 8. et *I. C. Gent.* cap. 26. et 27. Atque per eadem quoque argumenta ostendi valet, quod divina essentia non potest esse forma alterius rei secundum *esse* naturale, per

[1] I. q. 14. ; q. 56. a. 2. ; q. 89. a. 1. ; q. 105. a. 3. et 4.

quae ostenditur quod impossibile est unionem Verbi Incarnati esse factam in natura, secundum quod natura significat essentiam, vel *quod quid est*, sive quidditatem speciei, ut D. Thomas probat III. q. 2. a. 1. [1].

Alterum patet: quoniam species intelligibilis unita intellectui non constituit aliquam naturam ex unione ad intellectum, nec talis unio est compositio aliqua per coniunctionem utriusque, ex qua resultet aliquod tertium ; sed species intelligibilis, in quantum talis, perficit ipsum intellectum ad intelligendum, et facit quod cognoscens sit cognitum, et res actu intelligens sit ipsamet res actu intellecta, non quidem secundum *esse* naturale, sed secundum *esse* intelligibile. Atque hoc perfectioni divinae essentiae non modo non repugnat, verum quoque convenit valde : 1° quia divina essentia est *ipsa veritas*, quae est propria forma intellectus ; et cum sit veritas ipsa subsistens, quod non convenit nisi soli Deo, est pura forma in genere intelligibilium ; 2° quia divina essentia est *actus purus* in genere intelligibilium, ipsum intelligibile per essentiam, ipsamet *species intelligibilis substantialis et subsistens*, ac perinde potest comparari ad intellectum creatum ut species intelligibilis qua intelligit ; 3° quia divina essentia est ipsum *Esse Subsistens*, et idcirco continet eminenter omnem plenitudinem perfectionis et omnem rationem essendi, ideoque et illud *esse*, secundum quod species intelligibilis creata unitur intellectui et facit ipsum in actu ; atque ita divina essentia unitur intellectui creato, *ut intellectum in actu*, per seipsam faciens in actu intellectum creatum.

Unde D. Thomas assignat pro suprema causa hoc, quod divina *essentia* est ipsum *Esse;* inde est ipsa veritas, ipsum intelligibile subsistens, ipsa lux in ordine intelligibilium, totaliter lux ; per essentiam veritas et per essentiam intelligibilis, sicut per essentiam ens. Quod Angelicus Doctor sic declaravit, *Quodl.* 7. a. 1. ad 1. : « Id quod est per se, est causa eorum quae per se non sunt. Unde *esse* per se subsistens

[1] Vide etiam *IV. C. Gent.* cap. 35., 37. et *III. Sent.* dist. 5. q. 1. a. 2. et 3.

est causa omnis *esse* in alio recepti ; et ita essentia divina est *intelligibile*, quod potest determinare intellectum. » Et ad 4. « Essentia autem divina est pure lux ; et ideo non requirit aliquam aliam speciem quam ipsum lumen, ut videatur... Sicut si lux sensibilis per se existeret, ad eius visionem sufficeret lumen oculum perficiens sine aliqua similitudine. »

Ultima ergo ratio, quare essentia divina unitur intellectui creato per seipsam et constituit ipsum in actu in genere intelligibilium est : quia in Deo essentia et *esse* sunt idem. Optime ad rem Caietanus, In I. q. 12. a. 2. : « Ut autem in *III. C. Gent.* cap. 51. dicitur, essentia divina, etsi nullius forma esse possit in genere entium, id est, in essendo, potest tamen esse forma intellectus creati in genere intelligibilium. Et ibi quidem redditur pro causa, *quia est ipsa actualitas* in genere intelligibilium ; *quia est ipsa veritas*, quae est propria forma intellectus in genere intelligibili, ut habes ibi diffuse. Hic vero assignatur pro causa, *quia est ipsum esse*. Et intendit (D. Thomas), iudicio meo, quod ex hoc quod natura aliqua non est *suum esse*, habet quod non sit *omne suum esse ;* et per oppositum, ex hoc quod natura aliqua est *ipsum esse*, habet quod sit *omne suum esse ; suum* autem dico, id est, *sui ordinis*. Ex his enim (subintellecta illa maxima declarata in littera (textu D. Thomae), sc. : *cognitio quidditativa non fit nisi per esse eiusdem vel superioris ordinis respectu rei cognitae*) manifeste sequitur, quod essentia divina habet hoc singulare, quod est illud *esse intelligibile*, quod existimaretur dare intellectui, si uniretur illi per speciem. Ac per hoc ipsa, ex hoc quod est *ipsum esse*, habet et quod sit, et quod sit forma intelligibilis seipsa, respectu intellectus videntis ipsam. »

IV

Quonam sensu sit verum dicere, quod homini inest naturale desiderium videndi Deum per essentiam.

§ 1.

D. Thomas expresse in terminis docet non inesse homini nec ulli creaturae rationali naturale desiderium videndi essentiam Dei.

a) *In I. Cor.* cap. 2. lect. 2. : « *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus his qui diligunt illum ; nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum.* — Ostenditur autem illa gloria visionis aperte ab hominibus ignorari dupliciter. Primo quidem ; quia non subiacet humanis sensibus, a quibus omnis humana cognitio initium sumit... Deinde excludit notitiam eius intellectualem, cum dicit : *Nec in cor hominis ascendit...* Proprie dicitur in cor hominis ascendere id quod ab inferiori pervenit ad hominis intellectum, puta a sensibilibus, de quibus prius fecerat mentionem. Res enim sunt in intellectu secundum modum eius ; res igitur inferiores sunt in intellectu altiori modo quam in seipsis ; et ideo quando ab intellectu capiuntur, quodammodo in cor ascendunt ; unde dicitur Is. 65, 17 : *Non erunt in memoria priora, nec ascendent super cor.* Illa vero quae sunt in intellectu superiora, altiori modo sunt in seipsis quam in intellectu ; et ideo quando ab intellectu capiuntur. quodammodo descendunt. Iacob. 1, 17 : *Omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.* Quia igitur illius gloriae notitia non accipitur a sensibilibus, sed ex revelatione divina, ideo signanter dicit : *Nec in cor hominis ascendit,* sed descendit, id sc. *quod praeparavit Deus,* id est praedestinavit, *diligentibus se ;* quia essentiale praemium aeternae gloriae caritati debetur, secundum illud Ioan. 14. : *Si quis diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum*

et manifestabo ei meipsum. In quo perfectio aeternae gloriae consistit. »

b) *In II. Cor.* cap. 5. lect. 2. : « Hic ostendit auctorem supernaturalis desiderii de habitatione coelesti. Causa enim naturalis desiderii, quod nolumus expoliari, est quia sc. anima naturaliter unitur corpori, et e converso. Sed hoc, quod coelestem inhabitationem superindui cupiamus, non est ex natura, sed ex Deo, et ideo dicit : *Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus,* quasi dicat : Volumus superinduere coelestem habitationem, ita tamen quod non spoliemur terrena ; et tamen hoc ipsum, quod volumus sic supervestiri, efficit in nobis Deus. Philipp. 2, 13 : *Deus est qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate.* Cuius ratio est, quia quamlibet naturam consequitur appetitus conveniens fini suae naturae, sicut grave naturaliter tendit deorsum et appetit ibi quiescere. Si autem sit appetitus alicuius rei supra naturam suam, illa res *non movetur* ad illum finem *naturaliter,* sed ab alio, quod est supra naturam suam. Constat autem, quod perfrui coelesti gloria et videre Deum per essentiam, licet sit rationalis creaturae, est tamen supra naturam ipsius. *Non ergo movetur rationalis creatura ad hoc desiderandum a natura, sed ab ipso Deo, qui in hoc ipsum efficit nos.* »

c) *III. Sent.* dist. 23. q. 1. a. 4. sol. 3. : « In omnibus quae agunt propter finem, oportet esse inclinationem ad finem et quandam inchoationem finis ; alias numquam operarentur propter finem. Finis autem, ad quem divina largitas hominem ordinavit vel praedestinavit, sc. fruitio suiipsius, est *omnino supra facultatem* naturae creatae elevatus ; quia *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se,* ut dicitur I. Cor. 2, 9. Unde per naturalia tantum homo non habet sufficienter inclinationem ad illum finem ; et ideo oportet, quod superaddatur homini aliquid per quod habeat inclinationem in finem illum, sicut per naturalia habet inclinationem in finem sibi connaturalem ; et ista superaddita dicuntur virtutes theologicae ex tribus : Primo, *quantum ad obiectum ;* quia cum finis, ad quem ordinati sumus, sit ipse Deus, inclinatio quae praeexigitur, consistit

in operatione circa ipsum Deum. Secundo, *quantum ad causam;* quia sicut ille finis est a Deo nobis ordinatus, non per naturam nostram, ita inclinationem in finem operatur in nobis *solus Deus;* et sic dicuntur virtutes theologicae, quasi a solo Deo in nobis creatae. Tertio, quantum ad *cognitionem naturae;* inclinatio in finem non potest per naturalem rationem cognosci, sed per revelationem divinam ; et ideo dicuntur theologicae, quia divino sermone sunt nobis manifestatae ; unde philosophi nihil de eis cognoverunt. »

d) *III. Sent.* dist. 33. q. 1. a. 2. sol. 3. : « Seminaria virtutum, quae sunt in nobis, sunt ordinatio voluntatis et rationis ad *bonum* nobis *connaturale.* Cum autem sit homo ex divina liberalitate ordinatus ad *quoddam bonum supernaturale,* sc. aeternam gloriam, ex praedictis virtutum seminariis non possunt virtutes causari fini praedicto proportionatae. Unde oportet virtutes, quae vitam nostram ordinant ad finem illum, ex eo causari, ex quo est nobis *inclinatio* in finem illum. Hoc autem est *per Dei gratiam;* unde oportet nos aliquas virtutes morales infusas habere. »

e) *De Verit.* q. 22. a. 7. : « Homini inditus est appetitus ultimi finis in communi, ut sc. *appetat naturaliter se esse completum in bonitate.* Sed in quo ista completio consistat, utrum in virtutibus, vel scientiis, vel delectabilibus, vel huiusmodi aliis, non est ei determinatum a natura. Quando ergo ex propria ratione, *adiutus divina gratia,* apprehendit *aliquod speciale bonum* ut suam beatitudinem, in quo vere sua beatitudo consistit, tunc meretur, non ex hoc quod appetit beatitudinem quam naturaliter appetit, sed ex hoc quod appetit hoc speciale bonum quod *non naturaliter* appetit, ut *visionem Dei,* in quo tamen secundum rei veritatem sua beatitudo consistit. » Atque ibid. q. 14. a. 2. : « Aliud est bonum hominis naturae humanae proportionem excedens ; quia ad ipsum obtinendum vires naturales non sufficiunt nec ad *cogitandum* vel *desiderandum*... Nihil potest ordinari in aliquem finem nisi praeexistat in ipso *quaedam proportio* ad finem, ex qua proveniat in ipso *desiderium* finis ; et hoc est secundum quod aliqua inchoatio finis fit in ipso ; quia nihil appetit nisi in quantum appetit illius similitudinem. Et haec

inchoatio est per fidem. » I. q. 62. a. 2. : « Ostensum est supra, cum de Dei cognitione ageretur, quod videre Deum per essentiam, in quo ultima beatitudo rationalis creaturae consistit, est supra naturam cuiuslibet intellectus creati. Unde nulla creatura rationalis potest habere *motum voluntatis* ordinatum ad illam beatitudinem, *nisi mota* a supernaturali agente ; et hoc dicimus *auxilium gratiae*. Et ideo dicendum est, quod angelus in illam beatitudinem *voluntate* converti non potuit nisi per *auxilium gratiae*. »

g) I.-II. q. 114. a. 2. : « Vita autem aeterna est quoddam bonum excedens proportionem naturae creatae ; quia etiam excedit *cognitionem* et *desiderium* eius, secundum illud I. Cor. 2, 9 : *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* »

§ 2.

Ergo D. Thomas loquitur de naturali desiderio videndi essentiam Dei, non quatenus sit naturale ex vi solius naturae, nec ex sola cognitione effectuum naturalium, sed quatenus est proveniens ex vi elevationis naturae rationalis ad ordinem supernaturalem.

Arg. 1^um^. — *Ex omnibus testimoniis supra adductis.* — Etenim Angelicus Doctor ad litteram asserit : *a*) tam notitiam intellectualem illius divinae visionis, quam eiusdem desiderium nec accipi a sensibilibus, nec in cor hominis ascendere, sed tantummodo descendere a Patre luminum per divinam revelationem ; *b*) rationalem creaturam non moveri ad Deum per essentiam videre desiderandum, a natura, sed ab ipso Deo, qui in hoc ipsum efficit nos ; *c*) finem, qui est visio Dei et fruitio ipsius, esse omnino supra facultatem naturae creatae elevatum, atque per naturalia tantum hominem non habere sufficienter inclinationem ad illum finem ; *d*) inclinationem hominis in illum finem causari in nobis per Dei gratiam ; *e*) hominem non naturaliter appetere visionem Dei nisi quatenus ex propria ratione ipse homo, adiutus divina gratia, apprehendit aliquod speciale bonum ut suam beati-

tudinem, in quo vere sua beatitudo consistit ; *f)* nullam creaturam rationalem posse habere motum voluntatis ordinatum ad Dei visionem, in qua consistit beatitudo, nisi motam a supernaturali agente, id est, a Deo ut est auctor gratiae. Unde, absolute loquendo, non inest homini naturale desiderium videndi Deum per essentiam.

Arg. 2^um^. — *Ex eo quod iam non esset necessarium, praeter philosophicas disciplinas, quae per rationem investigantur, sacram doctrinam per revelationem haberi.* — Etenim, ut D. Thomas ex professo declarat I. q. 1. a. 1. ratio prima et fundamentalis, quare necessarium fuit ad humanam salutem esse doctrinam quandam secundum revelationem divinam, praeter philosophicas disciplinas quae ratione humana investigantur, in hoc stat, ut homo valeret desideria cordis sui in Deum per essentiam videndum elevare ac dirigere. Necessaria fuit supernaturalis fidei cognitio, ait D. Thomas, « primo quidem, quia homo ordinatur ad Deum sicut ad quendam finem, qui comprehensionem rationis excedit, secundum illud Is. 64, 4 : *Oculus non vidit, Deus, absque te, quae praeparasti diligentibus te.* Finem autem oportet esse praecognitum hominibus, qui suas intentiones et actiones debent ordinare in finem. Unde necessarium fuit homini ad salutem, quod ei nota fierent quaedam per revelationem divinam, quae rationem humanam excedunt. »

Arg. 3^um^. — *Quia tale desiderium ex vi solius naturae videtur implicare contradictionem.* — 1° Quia huiusmodi desiderium esset simul naturale et supernaturale. Naturale quidem, quoniam supponitur procedere ex vi solius naturae ; supernaturale vero, quia videre Deum per essentiam constituit summum totius ordinis supernaturalis, absolute loquendo. 2° Quia beatitudo facialis seu visio divinae essentiae esset simul et non esset supra exigentiam naturalem animae. Esset quidem ; quoniam impossibile est, quod aliquis intellectus creatus per sua naturalia essentiam Dei videat, ut supra manet ostensum ex I. q. 12. a. 4. Non vero esset ; quoniam natura largitur inclinationem ad videndum Deum facie ad faciem ; unde si naturale desiderium insit homini Deum videndi per essentiam, naturaliter et absolute exigit

videre. 3° Quia voluntas in suo motu nequit procedere ultra terminos motus ipsius intellectus ; etenim obiectum voluntatis est bonum apprehensum. Si ergo non potest intellectus creatus Deum per essentiam videre nisi in quantum Deus per suam gratiam se intellectui creato coniungit, ut intelligibile ab ipso : pari ratione, nec voluntas poterit tendere in id quod est supra naturam suo naturali desiderio, nisi ab aliquo alio supernaturali principio adiuvetur atque elevetur supra suam naturam, ut D. Thomas ipse ostendit I. q. 12. a. 5. et q. 62. a. 2.

Desiderium itaque naturale hominis ad divinam substantiam videndam, de quo loquitur D. Thomas, I. q. 12. a. 1. ; I.-II. q. 3. a. 8. ; *III. C. Gent.* cap. 50. ; *Comp. theol.* cap. 104-106. iuxta ipsam Angelici Doctoris firmam sententiam praesupponit elevationem hominis ad ordinem supernaturalem ; ideoque argumenta ex hoc desiderio naturali desumpta concludunt utique, sed supposita divina revelatione vel qualicumque auxilio supernaturali interius hominis cor illustrante et movente. Inclinatio namque in finem illum, proprie et simpliciter loquendo, est per Dei gratiam.

Ex eo enim, quod obiectum intellectus est *quod quid est* sive essentia rerum, bene sequitur, quod cognoscens *essentiam* effectus, tendat ac desideret cognoscere *essentiam* causae primae quae est Deus ; at illo tamen modo, quo *essentia* effectus cognita repraesentat virtutem causae, atque ex sua propria quidditate valeat perducere in cognitionem causae. Si autem effectus sint tantummodo *naturales*, perducent intellectum in cognitionem Dei ut auctor est naturae et secundum quod est omnium principium. Si vero effectus sint *supernaturales*, manuducunt intellectum in cognitionem Dei ut auctor est gratiae et gloriae ; sicque desiderium intellectus videndi Deum ut est in se, supponit cognitionem aliquam illorum effectuum, « quorum causa est Deus ut Deus est in se. » Atque huiusmodi effectus sunt gratiae et gloriae uno modo vel alio, et non naturae tantum.

Et quamvis non mutetur finis ultimus hominis per gratiam, perficitur tamen *modus attingendi* illum ; unde per gratiam non mutatur natura, sed perficitur atque supra

seipsam elevatur. Verum in quod tendit intellectus, et bonum in quod tendit voluntas, sunt primo bonum et verum in communi ; exinde, licet postea tendat homo ex vi suae naturae cognoscere et amare bonum et verum infinitum, quod est Deus, tendit tamen ex vi solius suae naturae, iuxta ipsiusmet naturae modum et exigentiam. Duplex autem est modus attingendi Deum, sc. : 1° cognitione et dilectione naturali ; 2° cognitione praeterea et dilectione supernaturali. Uterque *plene* satisfacit naturae humanae intra suum ordinem, dummodo ex parte hominis non adsit culpa personalis, per quam ab ordine supernaturali exciderit. Unde ipsemet D. Thomas, loquens de pueris sine baptismo decedentibus, ait *II. Sent.* dist. 33. q. 2. a. 2. : « Dico ergo, quod omnis homo, usum liberi arbitrii habens, proportionatus est ad vitam aeternam consequendam, quia potest se ad gratiam praeparare per quam vitam aeternam merebitur ; et ideo, si ab hoc deficiant, maximus erit dolor eis, quia amittunt illud quod suum esse possibile fuit. Pueri autem numquam fuerunt proportionati ad hoc quod vitam aeternam haberent ; quia nec eis debebatur ex principiis naturae, cum omnem facultatem naturae excedat, nec actus proprios habere potuerunt quibus tantum bonum consequerentur ; et ideo *nihil omnino dolebunt de carentia visionis divinae ;* imo magis gaudebunt de hoc, quod participabunt multum de divina bonitate in perfectionibus naturalibus. » Et ad 5. : « Quamvis pueri non baptizati sint separati a Deo quantum ad illam coniunctionem quae est per gloriam, non tamen ab eo penitus sunt separati, immo sibi coniunguntur per participationem naturalium bonorum ; et ita etiam de ipso gaudere poterunt *naturali cognitione* et *dilectione.* »

Inde patet, quod huiusmodi pueris non inest naturale desiderium videndi Deum per essentiam ; aliter tristitiam haberent ; nam tale desiderium naturale, cum esset inane ac frustratum, causaret in eis poenam et dolorem. « Unde defectus talis gratiae (addit D. Thomas) non magis tristitiam causat in pueris decedentibus non baptizatis, quam sapientibus hoc quod eis multae gratiae non fiunt quae aliis sibi similibus factae sunt. »

Atque hanc esse genuinam D. Thomae mentem testatur semel atque iterum Caietanus, dicens : *a*) I. q. 12. a. 1. : « Scito, quod creatura rationalis potest dupliciter considerari : uno modo *absolute*, alio modo *ut ordinata est ad felicitatem*. Si primo modo consideretur, sic naturale eius desiderium non se extendit ultra naturae facultatem ; et sic concedo quod *non naturaliter* desiderat visionem Dei absolute. Si vero secundo modo consideretur, sic *naturaliter* desiderat visionem Dei ; quia, ut sic, novit quosdam effectus, puta gratiae et gloriae, quorum causa est Deus, ut Deus est in se absolute, non ut universale agens. Notis autem effectibus, naturale est cuilibet intellectuale desiderari notitiam causae. Et propterea desiderium visionis divinae, etsi non sit naturale intellectui creato absolute, est tamen naturale ei supposita revelatione talium effectuum. Et sic tam ratio hic allegata, quam reliquae rationes ad idem collectae *III. C. Gent.* cap. 50. concludunt inane fore desiderium intellectualis naturae creatae, si Deum videre non possit. Non oportuit autem exprimi, quod de creatura intellectuali non absolute, sed ut ordinata ad felicitatem, esset sermo ; quia commune est cuilibet scientiae, quod semper intelligantur termini *formaliter*, ut subsunt illi scientiae, ut patet de quantitate in physicis. Constat autem ex *II. C. Gent.* cap. 4. quod creaturae non sunt de consideratione theologica nisi ut ordinantur, gubernantur, praedestinantur a Deo in Deum, ut supremum omnium finem ; alioquin non in ordine ad altissimam causam et propriam theologo, theologica considerarentur, ut de se patet. »

b) In I.-II. q. 3. a. 8. : « Si desiderium naturale distinguitur iuxta praedicta (in I. q. 1. a. 1.) in principio. Desiderium namque potest dici *naturale*, a natura ut *subiecto* tantum : et sic naturaliter desideramus visionem Dei. Et a natura ut *subiecto* et *modo ;* et sic procedunt obiectiones. Nec propterea aliquid adimitur efficaciae huius rationis ; quoniam perfecta beatitudo neutrum huiusmodi desiderium imperfectum relinquit. Posset quoque dici, quod auctor tractat de homine ut theologus, cuius, ut *II. C. Gent.* cap. 4. dicitur, est considerare creaturas non secundum proprias naturas, sed ut ad Deum

sunt relatae. Et sic, licet homini absolute non insit naturale huiusmodi desiderium, est tamen naturale homini ordinato a divina providentia in illam patriam. Et hae duae responsiones sunt generales ad huiusmodi materiam. Specialiter tamen ad hanc huius articuli materiam descendendo, dici potest quod intellectus humanus, sciens *an est* de Deo et communia, desiderat *naturaliter* scire de Deo *quid est* in quantum sub numero causarum comprehenditur ; et non absolute, nisi per quandam consequentiam. Et hoc est verum ; quia inditum est naturaliter ut, viso effectu, desideremus nosse quid est causa, quidquid sit illa. »

§ 3.

Ergo doctrina Scoti[1] de univocatione entis Deo et creaturis et de naturali desiderio videndi Deum per essentiam ex vi solius naturae creaturae intellectualis, videtur tollere radicalem differentiam inter ordinem naturalem et ordinem snpernaturalem.

Patet 1° *Ex ipsa univocatione entis.* — *a*) Nam omnis effectus agentis univoci adaequat virtutem agentis. Sed si ratio entis esset univoca Deo et creaturis, creaturae essent effectus Dei ut agentis univoci. Ergo adaequarent virtutem primi agentis. Ergo creaturae essent medium sufficiens ad perveniendum ad quidditativam ipsius Dei cognitionem.

b) Illud quod impedit univocam praedicationem entis, est diversa habitudo ad *esse*, quod est actus entis. Sed si ratio entis esset univoca Deo et creaturis, univoca esset quoque habitudo Dei et creaturarum ad *esse*. Ergo eodem modo se haberent ad *esse* Deus et creaturae. Unde cognitio quidditativa creaturarum perduceret sufficienter ad cognitionem quidditativam ipsius Dei.

c) Si ratio entis praedicaretur univoce de Deo et creaturis,

[1] Vide CAIETANUM, In I. q. 1. a. 1. et de *Ente et Essent.* cap. 2. q. 3. — ZIGLIARA, *Propaedeutica*, lib. 1. cap. 9.

tunc sicut Deus est suum *esse* atque in Deo essentia et *esse* sunt idem, ita pariter creaturis competeret identitas essentiae et *esse*, et creaturae essent etiam suum *esse*. Ergo sicut ex hoc quod solius Dei proprius modus essendi est ut sit suum *esse* subsistens, concluditur quod cognoscere ipsum *esse* subsistens sit connaturale soli intellectui divino : ita similiter, praesupposita univocatione entis et identitate essentiae et *esse* in creaturis, logice infertur, quod etiam creato intellectui sit connaturale cognoscere essentialiter ipsum Deum, cuius essentia est *esse* [1].

Patet 2° *Ex ipso naturali desiderio videndi Deum per essentiam.* — *a*) Nam si ipsum desiderium voluntatis videndi essentiam divinam est naturale absolute loquendo, id est, ex propriis viribus solius naturae, visio divinae essentiae non debet esse supra facultatem eiusdem intellectus creati. Etenim, ut recte observat Caietanus, In I. q. 12. a. 4. : « Natura non largitur inclinationem ad aliquid, ad quod tota vis naturae perducere nequit. Cuius signum est, quod organa natura dedit cuilibet potentiae, quam intus in anima posuit. Et *II. Coeli*, cap. 8. dicitur quod, si astra haberent vim progressivam, natura dedisset eis organa opportuna. Implicare igitur videtur, quod natura det desiderium visionis divinae, et quod non possit dare requisita ad visionem illam, puta lumen gloriae etc. »

b) Quia si anima nostra desiderat naturaliter ex vi solius naturae videre Deum per essentiam, oportet dicere, quod visio Dei est *finis naturalis* nostrae animae ; ac perinde, quod anima nostra seu natura intellectualis *naturaliter ordinatur* ad visionem Dei seu fruitionem. Et quantumvis dicatur talem finem, *naturalem* nostrae animae, esse *supernaturaliter* adipiscendum, minime effugitur maximum illud inconveniens, nempe quod anima nostra est in *potentia* vere *naturali* ad gratiam et ad *finem* vere *supernaturalem*, qui est beatitudo gloriae ; cum secundum rei veritatem nulla reperitur potentia

[1] I. q. 13. a. 5. et q. 14. a. 4. ; *De Pot.* q. 7. a. 7. ; *I. C. Gent.* cap. 32. et 33. ; *III. C. Gent.* cap. 49.

in creatura intellectuali ad illum finem supernaturalem nisi sola *potentia obedientialis*, quae est mera aptitudo ad hoc ut in nobis fiat quidquid faciendum ordinaverit Deus. Nec favet illud S. Augustini, *De Praedest. Sanct.* cap. 5. : « *Posse habere fidem, sicut posse habere caritatem, naturae est hominum ; habere autem, gratiae est fidelium.* » Nam, ut Caietanus respondet Scoto, In I. q. 1. a. 1. : « Augustinus non dixit, quod posse habere fidem sit *naturale* homini, sed quod sit *naturae* hominum. Aliud est enim potentiam esse naturae, et aliud esse naturalem ; primum enim significat *subiectum* potentiae, secundum autem *modum* potentiae. Et ideo primum est verum in proposito ; secundum vero falsum. Potentia siquidem illa obedientialis ad fidem et caritatem est in natura hominum, quia intellectiva est ; non autem in natura leonina, quoniam sibi repugnat. Et hoc intendebat Augustinus [1]. »

Patet 3° *Ex eo quod per talem doctrinam lata aperiri videtur via et ad errorem Pelagii et ad errorem Iansenii ac Quesnellii.* — Ad errorem quidem Pelagii : *a*) Quoniam visio divinae essentiae dicitur esse *finis naturalis* animae ; *b*) quoniam asseritur consequenter, quod animae nostrae inest *potentia naturalis* ad habendam fidem et caritatem et idcirco gratiam sanctificantem ; *c*) quoniam aperte sequitur, quod inclinatio in finem supernaturalem beatitudinis non est per Dei gratiam ; ideoque gratiam Dei et virtutes infusas non esse absolute necessarias homini ad esse et ad operandum in ordine ad vitam aeternam, sed tantummodo ad melius esse et ad facilius observanda Dei praecepta.

Ad errorem autem Baii et Iansenii et Quesnellii ; nam ex una parte necessitatem gratiae efficacis ex sola corruptione naturae per peccatum repetebant, quasi converti ad beatitudinem ultimam non esset homini difficile, quia est supra naturam, sed solum quia habet impedimentum ex corruptione corporis et infectione peccati. Et ex alia parte tradebant quod : « *Gratia Adami est sequela creationis, et erat*

[1] Vide opus nostrum *De grat. et lib. arb.* vol. I. q. 5. a. 10. p. 523 et 527.

debita naturae sanae et integrae [1]. » Quod quidem valde consonum est doctrinae theologorum qui tenent illum finem supernaturalis beatitudinis esse *naturalem* nostrae animae, quamvis *supernaturaliter* adipiscendum. Gratia enim divina videtur tunc esse ex hoc naturae intellectuali debita, ex quo per inclinationem suae propriae naturae seu naturale desiderium anima tendit in finem beatitudinis, quem nonnisi per gratiam de facto valebit adipisci. Gratia in hac hypothesi est sequela ipsius creationis.

V

Unio hypostatica in Mysterio Incarnationis et unio beata in visione Divinae Essentiae.

§ 1.

Comparatio utriusque ad unionem animae rationalis cum corpore.

PRIMO : **Unio hypostatica.** — D. Thomas, *IV. C. Gent.* cap. 41. ait : « Quamvis haec unio perfecte ab homine non valeat explicari, tamen secundum modum et facultatem nostram conabimur aliquid dicere ad aedificationem fidei, ut circa hoc mysterium fides catholica ab infidelibus defendatur. In omnibus autem rebus creatis nihil invenitur huic unioni tam simile sicut unio animae ad corpus. »

[1] Proposit. 35. inter propositiones 101 QUESNELLII damnatas a Clemente XI. Const. *Unigenitus*, 8 sept. 1713. Atque inter propositiones 79 Michaëlis BAII damnatas a S. Pio V. in Bulla *Ex omnibus afflictionibus*, 1 oct. 1567 leguntur : « 21ª. Humanae naturae sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae *debita fuit integritati* primae conditionis, et proinde *naturalis* dicenda est, et *non supernaturalis*. » « 26ª. Integritas primae creationis non fuit *indebita* humanae naturae *exaltatio*, sed naturalis eius conditio. »

1° Quia ex anima et corpore constituitur in nobis (praeter *unitatem naturae*, secundum quod anima unitur corpori, formaliter perficiens ipsum, ut ex duobus fiat una natura, sicut ex actu et potentia, vel materia et forma) alia unitas, videlicet *unitas personae;* quae quidem constituitur etiam ex anima et corpore, in quantum est *unus aliquis subsistens* in carne et anima. Et quantum ad hoc attenditur similitudo ; nam *unus Christus* subsistit in duabus naturis, divina sc. et humana. Unde propter hanc similitudinem dicitur in symbolo S. Athanasii : « Sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus. »

2° Quia, sicut in resurrectione corpus adveniet animae praeexistenti, non tamen accidentaliter, cum ad idem *esse* assumetur, ut sc. corpus habeat *esse vitale* per animam, et ideo unio corporis et animae est substantialis, quoniam corpus trahitur in communionem illius *esse* quo anima subsistit : ita natura humana advenit Verbo Divino post *esse* completum quod Verbum Dei habet ab aeterno, et assumitur ad *unum esse divinum*, non prout est naturae, sicut corpus assumitur ad *esse* animae ; sed ad *unum esse*, prout est hypostasis vel personae. Et ideo unio naturae humanae ad Verbum Dei est *unio substantialis*.

3° Quia sicut anima unitur corpori non tantum ut forma ad materiam, sed etiam quatenus corpus est instrumentum coniunctum et organum animae ad suas operationes, ita humana natura in Christo assumpta est ut instrumentaliter operetur ea quae sunt operationes propriae solius Dei, sicut est mundare peccata, illuminare mentes per gratiam et introducere in perfectionem vitae aeternae. Comparatur igitur humana natura Christi ad Deum sicut instrumentum coniunctum, ut manus ad animam [1].

Secundo : **Unio intellectus creati cum Dei essentia.** — Comparationem hanc unionis, videlicet intellectus creati ad Dei essentiam, cum unione corporis ad essentiam animae corpus informantis, indicat ipsemet Angelicus Doctor, *III.*

[1] *IV. C. Gent.* cap. 41. ; III. q. 2. a. 1. ad 2. et a. 6. ad 2.

C. Gent. cap. 51. Exstat enim quaedam analogia ac velut conformitas inter ordinem intelligendi et ordinem essendi, interque formam intelligibilem qua intellectus fit actu intelligendo, atque formam substantialem qua materia, quae est potentia pura in linea entis, fit actu essendo. In ordine quidem essendi, illud quod est ex materia et forma compositum, non potest alteri esse *forma;* quia forma in eo iam est contracta ad illam materiam, ut alterius rei forma esse non possit. In ordine autem intelligendi, illud quod est compositum ex forma et ex subiecto in ordine intelligibilium, simili ratione non potest alteri esse forma intelligibilis, quia iam est contracta ad illud subiectum per talem formam intelligens, ut apparet in substantiis separatis quas vocamus angelos.

Iam vero, in ordine essendi anima humana ita est forma substantialis corporis, ut sit per se sub suo proprio *esse* stans vel subsistens ; et ita est subsistens, ut *esse* eiusdem potest participari a corpore, cuius est forma ; quapropter anima intellectualis dicitur quasi *quidam horizon* et *confinium* corporeorum et incorporeorum, in quantum est substantia incorporea, corporis tamen forma [1]. Hoc autem (addit D. Thomas), sicut in *esse substantiali vel naturali* invenitur, sic et in *esse intelligibili* considerandum est. Nulla essentia cuiuscumque alterius substantiae separatae potest comparari ad intellectum creatum alterius substantiae intellectualis ut *species intelligibilis* qua intelligat, eo quod non se habet ut pura forma in genere intelligibilium ; at essentia tamen divina potest comparari ad intellectum creatum ut *species intelligibilis* qua intelligat ; quia Deus est suum *esse ;* et ideo est sua veritas ; veritas, inquam, subsistens ; ac perinde *pura forma* in genere intelligibilium. Unde D. Thomas, *Comp. theol.* cap. 105. eandem doctrinam tradens, ait : « Ad hoc igitur, quod ipse Deus per essentiam cognoscatur, oportet quod ipse Deus fiat *forma* intellectus ipsum cognoscentis, et coniungatur ei, non ad unam naturam constituendam, sed sicut species intelligibilis intelligenti. Ipse enim sicut est suum *esse*, ita est sua *veritas*, quae est forma intellectus. »

[1] *II. C. Gent.* cap. 68.

§ 2.

Comparatio unionis hypostaticae et unionis beatificantis ad invicem.

Inter alias plurimas incarnationis Filii Dei causas, quas Angelicus Doctor profunde inquirit, diligenter adinvenit atque eleganter exponit, hanc etiam, quae sequitur, affert rationem : « Datur etiam per hoc homini quoddam exemplum illius beatae unionis, qua intellectus creatus increato spiritui intelligendo unietur. Non enim restat incredibile, quin intellectus creaturae Deo uniri possit, eius essentiam videndo, ex quo Deus homini unitus est, naturam eius assumendo [1]. »

1° In mysterio Incarnationis Deus factus est homo, et Verbum Dei caro factum est, et habitavit in nobis. — In mysterio autem beatitudinis homo efficitur *deiformis*, id est, Deo similis, et intrat in illam eandem lucem inaccessibilem, quam Deus inhabitat, et videt eum sicuti est.

2° Per unionem hypostaticam natura humana assumitur et trahitur ad *unum esse divinum*, non prout est naturae vel essentiae, sed prout est hypostasis vel personae ; ita quod ipsum *esse* personale Filii Dei est quod gratis divinitus datur humanae naturae in persona Verbi ; et sic unio naturae humanae ad Verbum Dei est in ordine essendi secundum *esse* personale, ac humana natura Christi existit in persona Verbi ; atque illud *esse* aeternum Filii Dei, quod est divina natura, fit *esse* hominis, in quantum natura humana assumitur a Filio Dei in unitatem personae. — Per unionem vero beatificantem intellectus creatus assumitur quoque et trahitur ad *unum esse divinum* prout est *intelligibile ;* et unitur Deo, non quidem secundum *esse personale*, sed secundum *operationem ;* ita quod homo beatus intrat in consortium Divinitatis in ordine intelligendi, quatenus ipsa divina essentia, quae est suum *esse* et sua veritas, fit *forma* qua intellectus creatus intelligit et videt Deum ipsum facie ad faciem. Atque ita per

[1] *Comp. theol.* cap. 208. — III. q. 1. a. 2. — *IV. C. Gent.* cap. 39. — Opusc. *De rationibus fidei*, cap. 6.

hanc unionem intellectus nostri cum ipsa divina natura vel essentia, secundum *esse intelligibile* consideratam, sic perfectissimo modo divinam similitudinem consequemur, ut sc. ipsum Deum cognoscamus sicuti est et *eo modo* quo se ipse cognoscit, sc. per essentiam suam.

3° *Esse divinum*, in cuius unitatem et consortium trahitur humana natura assumpta a Filio Dei, est *esse* divinum quo humana natura Christi *existit* in Verbo ; unde unio est in ordine essendi secundum subsistentiam, et prout *esse* est actus personae et suppositi sive hypostasis. — *Esse divinum*, in cuius unitatem et consortium trahitur intellectus noster elevatus per lumen gloriae, est *esse* divinum in quo intellectus humanus *intelligit* divinam essentiam quae identificatur cum divino *esse*, atque intelligendo cognoscit Deum eo modo quo se ipse cognoscit ; unde unio est in ordine intelligendi secundum operationem, et prout esse divinum est forma intellectus seu species intelligibilis, qua ipsum divinum *esse* videt ; nam in lumine eius videbimus ipsum lumen.

4° Ex unione essentiae seu naturae humanae Christi cum *esse divino*, prout est *esse* personale Verbi, non resultat tertia natura aut tertium diversae rationis ; nam nec in creatis ex unione essentiae et *esse* relinquitur aliqua res tertia, sed essentia completa in linea entis et substantia habens actum essendi ; et sic ex unione hypostatica resultat unus et unum subsistens in duabus naturis, et natura humana habens actum divinae existentiae Filii Dei. Unde Verbum Dei per solam naturam divinam simpliciter *esse* habet, non autem per humanam naturam ; sed per eam solum habet Verbum quod sit *homo*. Non enim Verbum Dei subsistentiam habet ex natura humana, sed magis naturam humanam trahit ad suam subsistentiam ; non per illam, sed in illa subsistit ; et natura humana melius et nobilius *esse* habet per hanc subsistentiam Verbi, quam si per se exsisteret ac stans sub proprio humano *esse* subsisteret [1]. — Ex unione autem intellectus creati cum divina essentia non constituitur aliqua tertia natura, cum essentia divina in se, in sui natura, sit infinite

[1] *IV. C. Gent.* cap. 49.

perfecta ; et aliunde, nec in creatis species intelligibilis aliquam cum intellectu, cui unitur, constituit naturam ; sed essentia divina unitur intellectui creato, perficiendo ipsum ad intelligendum ; unitur ei ut species intelligibilis, ut forma tantum in genere intelligibilium, ut veritas ipsa ; atque ex hac unione intellectus creati et increatae essentiae fit unum in ordine intelligibili, et *homo fit Deus*, quemadmodum cognoscens est ipsum cognitum actu, et res intelligens fit res ipsa intellecta ; nam sicut Deus per suam essentiam suam substantiam intelligit, ita homo per hanc unionem videt Deum illo modo quo ipse Deus videt seipsum. Unde secundum hanc visionem maxime Deo assimilatur, et eius beatitudinis participes sumus [1].

5° In unione hypostatica *Esse Divinum*, quo humana Christi natura existit in persona Verbi, est purus essendi actus, communicatus humanae essentiae vel naturae assumptae a Verbo in unitatem personae ; sed tamen non est actus receptus in humana natura tamquam in subiecto vel potentia ; quia *esse divinum* non est actus inhaerens, sed subsistens ; non inest humanae naturae assumptae, sed sustentat ac tribuit ei consistentiam in suo proprio ordine et gradu. Natura quidem creata et humana Christi in ratione existendi *actuatur* per *esse* divinum, ut est personae Verbi ; non tamen se habet ut subiectum, ipsius divini *esse* receptivum. — In unione gloriae *esse divinum*, in quo intellectus videt Dei essentiam, est purus actus in ordine intelligendi, et purum intelligibile ; sed non est forma seu species intelligibilis recepta in intellectu creato, sicut actus in propria potentia ; quia *esse* divinum sicut est subsistens in ordine essendi, ita etiam est subsistens in ordine intelligendi ; et quia veritas est subsistens et forma intelligibilis subsistens, idcirco non inhaeret intellectui creato, sed ipsum sustentat, perficiendo ad intelligendum. Intellectus quidem creatus *actuatur* per *esse* divinum prout est *esse* intelligibile ; non tamen se habet ut potentia subiectiva, ipsius divini *esse* receptiva.

Quam adeo sublimem ac profundam D. Thomae doctri-

[1] *III. C. Gent.* cap. 51.

nam ita acuta penetratione ingeniique dexteritate evolvit Caietanus : *a*) I. q. 12. a. 2. : « Sed adhuc mens non quiescit. Oportet enim dicere quid importat hoc, sc. : *Essentiam divinam facere formaliter intellectum in actu in genere intelligibilium.* Ad evidentiam huius scito quod, in communi loquendo, speciem intelligibilem uniri perfecte intellectui non est *ipsam inhaerere intellectui* (quoniam ista unio constituit intellectum non in actu, sed in habitu) ; sed est *ipsam constituere in actu secundo.* Ad hoc enim ponitur species intelligibilis ut sic, *ut intelligens sit intellectum* in actu completo. Ipsam autem constituere in actu secundo, est ipsam non esse actum secundum, sed habere se ad actum secundum ut *forma* ad *esse.* Quemadmodum enim forma est principium essendi materiae, ita quod idem est *esse* materiae et formae diversimode, ut patet de lumine in diaphano, et calore in aqua, etc. : ita species intelligibilis, si actu est in genere intelligibili, est intelligendi principium, ita quod *intelligere* est ut ipsius *esse.* Et propterea, quamvis aliquo modo activa sit species intellectionis, melior tamen et potior est proportio ipsius formalis quam activa. Speciem igitur *uniri* actu intellectui, est *constituere ipsum* in hoc quod est esse actu intelligentem. Esse autem actu intelligentem nihil aliud est quam *intellectum* esse perfecte *ipsum cognitum ; cognoscere* namque aliquid, ut inferius patebit (q. 14. a. 1. et 2.), nihil aliud est quam *esse* etiam illud in actu completo. Ex his autem ad divina balbutiendo ascendentes, dicimus quod : Divinam essentiam uniri intellectui per seipsam, et constituere formaliter seipsum in actu in genere intelligibili, est ipsam *facere formaliter* intellectum esse actu ultimo ipsum Deum intelligibiliter, sublatis omnibus quae imperfectionis sunt. Hoc autem sufficienter fit, substantia ipsa divina concurrente ad visionem beatam immediate *ut obiectum* et *principium* visionis *formale.* Dixi autem, *sublatis imperfectionibus ;* quia visio beata non est *actus* et *esse* substantiae divinae (quia hoc imperfectionis esset), sicut esset speciei intelligibilis creatae, si poneretur. »

b) III. q. 17. a. 2. : « *Esse* existentiae non *actuat* essentiam nisi terminatam, hoc est *personatam* seu per se subsistentem.

Et quia humanitas Christi non est terminata propria personalitate, sed personalitate Verbi, ideo non convenit sibi *actuari* per existentiam. Et haec intellige, loquendo de *actuare* et *actuari* per modum inhaesionis. Nam si de *actuare* et *actuari* infra totam latitudinem suorum modorum sermo sit, non est remotum a philosophia divina Deum posse *actuare* rem creatam. In cuius signum, divinam essentiam esse actum cuiusque intellectus videntis ipsam, et theologi et philosophi fatentur. Cum ergo naturam humanam in Christo ex *divina personalitate* et *esse divino* perfici fateamur, non est absonum fateri etiam, quod *actuatur* aliquo etiam modo per personalitatem et *esse* divinum. Quocirca, cum dicitur : *Aut est actuata proprio esse, aut perseverat potentialis ad proprium esse*, dicitur quod, proprie loquendo, utraque pars disiunctivae est falsa ; quoniam ex assumptione ad *divinum esse* perfecta est potentialitas ad existentiam longe excellentius quam fuisset perfecta per propriam existentiam ; sicut *posse personari* in propria persona longe excellentius perfectum est per personam Verbi quam fuisset perfectum per propriam personalitatem. Et quia potentiae perfectio *actuatio* vocatur, ideo dicere potes, quod *potentia* ad propriam existentiam est *actuata* non per proprium, sed per *divinum esse*, longe excellentius et perfectius quam fuisset actuata per *proprium esse*. Et ideo non remanet humanitas Christi potentialis, hoc est, in statu potentiali ad propriam existentiam ; ad quem statum rediret, si dimitteretur a Verbo, cessante tam excellenti actuatione prohibente naturam ab imperfectioribus sibi propriis et connaturalibus, personalitate sc. et existentia propria... Quia *esse* actualis existentiae realiter distinguitur ab *esse* essentiae seu quidditativo. Et divina praeventione factum est, ut humanitas Christi extra causam suam actu sit per *existentiam Verbi*, et non per *propriam*... Humanitas Christi, quae quasi pars quaedam est personae Verbi, quia ad personalitatem propriam Verbi assumpta est, invenitur sufficienter posita extra causam suam *existens* absque propria existentia, et absque hoc quod actuetur per *informationem inhaesivam* ab existentia Verbi ; sibi enim non debetur existentia nisi per *personam* cuius est...

Humanitas Christi non sic advenit personae divinae, ut sit distincta ab illa sicut prius, sed est indivisa a persona secundum *esse personale;* ita quod non est sicut pars separata, sed est sicut pars coniuncta secundum *esse substantiale;* est enim assumpta ad personalitatem positivam Verbi Dei. Et ex hac personalitate communicata humanitati Christi, perfecta est humanitas illa multo plus quam quaecumque pars perficiatur per hoc quod advenit suo toti ; acquisivit enim perfectionem infinitam, acquirendo personalitatem infinitam. Quo fit ut, quia humanitas Christi non remanet distincta, sed indistincta secundum *esse substantiale* a Verbo, consequens sit, ut non det Verbo *novum esse*, sed ipsa *sit* per *Esse Infinitum* ipsius Verbi. »

§ 3.

Simpliciter ergo atque absolute loquendo, intellectus est altior potentia quam voluntas; atque in patria, visione divinae essentiae, omni ex parte nobilior ac undequaque eminentior.

PRIMO : **Absolute et in universali intellectus est eminentior voluntate.** — 1° *Ratione obiecti.* — Quanto enim aliquid est simplicius et abstractius, tanto secundum se est nobilius et altius ; quia magis immateriale, et magis simile Deo qui est in fine immaterialitatis. Sed obiectum intellectus est simplicius et magis absolutum quam obiectum voluntatis. Nam obiectum intellectus est ipsa ratio rerum, ideoque *ipsa ratio* boni appetibilis ; *bonum* autem *appetibile*, cuius *ratio* est in intellectu, est obiectum voluntatis. Et ideo obiectum intellectus est altius quam obiectum voluntatis. Cum ergo *propria ratio* potentiae sit secundum ordinem ad obiectum, sequitur, quod secundum se et simpliciter intellectus sit altior et nobilior voluntate. (I. q. 82. a. 9.)

2° *Ex relatione inter intellectum et voluntatem.* — Cognitio rei est mensura appetitus eiusdem. Unde amplitudo potentiae appetitivae consequitur amplitudinem potentiae cognoscitivae. Quapropter obiectum voluntatis, qui est appetitus rationalis, est universale bonum, eo ipso quod obiectum

intellectus est universale verum. Et quoniam proprium obiectum intellectus est *verum*, atque quidquid habet veritatem participatam, contemplatum non facit intellectum perfectum ultima perfectione, sed solus Deus, qui est veritas per essentiam : idcirco nihil potest quietare voluntatem hominis nisi solus Deus, qui est bonitas per essentiam. Amplitudo ergo voluntatis in appetendo sequitur ad amplitudinem intellectus, cuius mensura est *ratio entis*, et cuius capacitas non impletur nisi per contemplationem *Entis* per essentiam, qui est solus Deus ; quia solius Dei suum *esse* est sua essentia. Solus ergo Deus voluntatem hominis implere potest ; quia solius Dei, qui est veritas per essentiam, contemplatio facit hominis intellectum perfecte beatum. (I.-II. q. 2. a. 8. et q. 3. a. 7.)

3° *Ex modo diverso quo voluntas et intellectus tendunt in obiectum.* — Actio intellectus consistit in hoc, quod *ratio* rei intellectae est in intelligente ; actus vero voluntatis perficitur ex eo quod voluntas inclinatur ad ipsam rem, prout in se est. Unde perfectio et dignitas intellectus in hoc consistit, quod species rei intellectae in ipso consistit intellectu ; cum secundum hoc intelligat actu, in quo eius dignitas tota consideratur. Nobilitas autem voluntatis et actus eius consistit in hoc, quod anima ordinatur ad rem aliquam nobilem secundum *esse* quod res illa habet in seipsa. Perfectius autem est, simpliciter et absolute loquendo, habere in se nobilitatem alterius rei, quam ad rem nobilem comparari extra se existentem. Unde voluntas et intellectus, si absolute considerentur, non comparando ad hanc vel illam rem, hunc ordinem inveniuntur habere, quod intellectus eminentior est simpliciter voluntate [1].

Secundo : **In statu tamen viae melior est amor Dei quam cognitio ; et sic velle est eminentius quam intelligere.** — 1° *Ex modo quo res intellectae sunt in intellectu.* — Operatio intellectus completur secundum quod res intellecta est in re

[1] I. q. 82. a. 3. — *De Verit.* q. 22. a. 11.

intelligente. Unde si modus, quo res intellecta existit in suo proprio *esse*, est nobilior quam modus quo est in intellectu, cognitio non attingit rem secundum se, et ideo deficit a nobilitate rei intellectae, quae deprimitur et coarctatur ad mensuram intellectus. Sed ea quae sunt infra animam, nobiliori modo sunt in anima quam in seipsis ; quae vero sunt supra animam, nobiliori modo sunt in seipsis quam in anima. Cum ergo divina bonitas perfectior sit in ipso Deo prout a voluntate desideratur, quam participata sit in nobis prout ab intellectu concipitur, sic velle Deum et amare est eminentius quam intelligere et cognoscere.

2° *Ex differentia inter caritatem et fidem.* — Caritas est excellentior fide et spe, et per consequens omnibus aliis virtutibus ; quia caritas magis Deum attingit, utpote attingens eum ut in ipso sistat. Unde Apostolus, I. Cor. 13, 12-13 : « Videmus nunc per speculum in aenigmate ; tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte ; tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum. Nunc autem manet fides, spes et caritas : tria haec ; maior autem horum est caritas. » Igitur in statu viae melior est amor Dei quam cognitio, et Deum diligere nobilius et altius quam Deum intelligere [1].

Tertio : **In patria vero intellectiva potentia omni ex parte est nobilior, sub quocumque aspectu altior, undequaque eminentior.** — Nam, ut patet ex supra iam consideratis, omnia militant pro nobilitate atque altitudine potentiae intellectivae, et absolute et relative, simpliciter et secundum quid, et quomodocumque intellectus et voluntas ad invicem comparentur. Tunc enim divina bonitas iam non potest dici *perfectior* in ipso Deo prout a voluntate desideratur, quam *participata* in nobis prout ab intellectu concipitur ; quoniam *ipsa ratio* divinae bonitatis, prout est in ipso Deo et prout desideratur a voluntate, est per se et immediate intellectui creato coniuncta. Tunc quidem iam non potest dici, quod Deus nobiliori modo est in seipso quam est in anima nostra ; quia

[1] *III. Sent.* dist. 27. q. 1. a. 4. ; I. q. 82. a. 8. ; II.-II. q. 27. a. 6. ad 1. — *De Verit.* q. 22. a. 11.

in supremo apice animae rationalis, qui est intellectus, Deus unitur per essentiam suam, in *esse* intelligibili consideratam, intellectui nostro ut forma in genere intelligibilium ; et ipsa divina essentia comparatur ad intellectum creatum ut species intelligibilis qua intelligit ; et intelligemus ac cognoscemus per essentiam Dei ipsammet Dei essentiam, et eo modo quo Deus se cognoscit, intelligit et videt. Unde D. Thomas, *III. C. Gent.* cap. 51. : « Sic igitur facie Deum videbimus, quia immediate eum videbimus, sicut hominem quem facie ad faciem videmus. Secundum autem hanc visionem maxime Deo assimilamur et eius beatitudinis participes sumus ; nam ipse Deus per suam essentiam suam substantiam intelligit, et haec est felicitas. Unde dicitur I. Joan. 3, 2 : *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Et Dominus, Luc. 22, 29 dicit : *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.* Quod quidem de corporali cibo vel potu non potest intelligi, sed de eo qui in mensa sapientiae sumitur, de quo a Sapientia dicitur, Prov. 9, 5 : *Comedite panem meum et bibite vinum quod miscui vobis.* Super mensam ergo Dei manducant et bibunt, quia eadem felicitate fruuntur qua Deus felix est, videntes eum illo modo quo ipse videt seipsum. »

Unio beatifica est primo et formaliter per coniunctionem intellectus nostri cum divina essentia. Homo fit *deiformis* per unionem divinae essentiae cum potentia intellectiva. Beatitudo hominis est optima operatio hominis. Optima autem operatio hominis est quae est optimae potentiae respectu optimi obiecti. Optima autem potentia est intellectus, cuius obiectum optimum est bonum divinum : Est *ipsa ratio* Divini Boni, *ipsa essentia* Bonitatis, *ipsa Veritas*, ipsum *quod quid est* Esse Subsistentis, quod est Divina Essentia, in nostro intellectu refulgens, nostro intellectui per se immediate et sicuti est apparens, ipsumque intellectum illuminans, clarificans, atque ad ipsam sublimitatem divinae visionis fortificans et elevans. Ex hac vero divinae essentiae visione, veluti ex sua prima radice et summa causa et fonte verissimo, derivantur omnia et singula quae ad beatitudinem

formalem consequuntur ipsamque omni ex parte integrant, complent, exornant : ut declarantur a D. Thoma, I.-II. q. 3. a. 5. et 8. ; q. 4. per totam, et *III. C. Gent.* cap. 63.

Quarto : **In termino igitur viae nec amor Dei est melior quam cognitio, nec diligere Deum est eminentius quam ipsum videre.** — Sed e contra : Nam, ut Caietanus observat In I. q. 82. a. 3. : « Secus enim est in patria ; lumen enim gloriae perfectius est caritate. Cuius signum est, quod non solum non potest esse informe, sed non compatitur imperfectionem viae, quam tamen caritatis habitus compatitur. Et, quod plus est, essentia divina, ut in q. 12. a. 2. habitum est, est *loco habitus intellectualis*, quia vicem supplet speciei intelligibilis ; non autem supplet vicem alicuius habitus aut cuiuscumque inhaerentis voluntati. »

I.-II. q. 3. a. 4. : « Actus visionis est quasi *pars* ipsius finis et est *finis* non ponens in numerum cum fine extrinsece. *Deus* enim *visus* est finis, et non sunt duo fines, sc. *Deus* et *visio ;* sicut inductive patet in aliis finibus. Unde actus voluntatis est propinquior inter actus tendentes in finem integrum ; sed propinquior illo est, qui est quasi pars finis. Amamus enim non solum bonum, sed bonum cognitum, et propter illud. Verbum Anselmi salvatur in via, in qua melior est Dei dilectio quam intellectio (*perversus ordo amare ut intelligeret. Ergo intelligere est propter amare ut finem*). Sed in patria, quamquam Deus amatus non ametur propter *videre* ipsum, sed propter ipsum Deum, amore amicitiae, quia tamen amatur *visus*, ita quod visio non concurrit ibi per accidens, sed per se, ipse amor beatificus ordinatur in visionem ut finem ; amat enim beatus *visionem illam* ut adeptionem finis : quod est amare illam ut finem. Et amor, ut est concupiscentiae, ordinatur in visionem ut finem, et amare est *propter visionem*. Nec in hoc est perversitas aliqua. Sed perversitas esset de amore ut est amicitiae ; quia sic Deus ordinaretur ad visionem a tali amore. Nunc autem ponitur summum concupiscibile *ipsa adeptio Dei*, quae est *per visionem :* quod est verum. » Et q. 4. a. 3. : « Comprehensio non est aliqua operatio praeter visionem... Non habes quod comprehensio spectat ad intellectum ;

sed quod nullam operationem addit supra visionem, sed solam relationem resultantem in voluntate ex visione quae est in intellectu. Visio enim ponens Deum in *esse* praesentiali, facit per hoc alterum extremum huius relationis ; est enim visio *velut unio rei tenendae* cum eo quod tenebit. »

II.-II. q. 23. a. 6. : « Intellige haec de cognitione et intellectione viae, ubi dilectio ad Deum in seipso, cognitio autem Dei in nobis per speciem attingit. In patria autem secus est, ubi tam visio quam dilectio Deum secundum se attingit. »

Quinto : **Reditio nostra in Primum Principium.** — Atque ita cum Deus apparuerit nobis per immediatam divinae essentiae visionem, ac in lumine Dei videbimus ipsum Deum, qui lucem habitat inaccessibilem, similes ei erimus, et videbimus eum facie ad faciem sicuti est, atque efficiemur *deiformes*, omnique ex parte adimplebuntur in nobis illa verba Domini Salvatoris nostri, Ioan. 17, 22-23 : *Et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis ; ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me ; ut sint consummati in unum.* Post unionem ergo hypostaticam, et sub illa, et propter illam, unio nostra beatifica. Finis namque gratiae est unio creaturae rationalis ad Deum. Non potest autem esse nec intelligi maior unio creaturae rationalis ad Deum quam quae est in persona. Et ideo gratia Christi pertingit ad summam mensuram gratiae. Modus, quo sibi univit humanam naturam Verbum, excedit omnem aliam unionem Dei ad creaturam. Humana natura Christi assumpta est atque unita ad Deum secundum *esse personale* Verbi ; et nos per participationem huius claritatis, quam Verbum caro factum dabit nobis, erimus uniti ad Deum secundum unionem quae est per *operationem*, qua videntes Deum erimus consummati in unum. — Tunc denique erit *Deus omnia in omnibus ;* et *omnia in omnibus Christus* [1]. Deus quidem in Christo secundum unionem humanae naturae ad divinam personam ; Christus autem, verus Deus et verus homo, in nobis per unionem gloriae,

[1] I. Cor. 15, 28. — Coloss. 3, 1.

quae est gratia consummata in visione divinae essentiae ; ac per hoc totius operis divini universitas perficietur, dum per Christum in nostrum Primum redibimus Principium ; atque *omnia erunt nostra ; nos autem Christi ; Christus autem Dei. Ex quo omnia, in quo omnia, per quem omnia : Ipsi gloria in saecula. Amen* [1]

[1] Rom. 11, 36. — I. Cor. 3, 23. — III. q. 4. a. 1. ad 2.; q. 7. a. 12.

INDEX

INTRODUCTIO

Philosophiae Primae subiectum, ac dignitas, et necessitas, atque utilitas, eiusdemque a Sacra Theologia distinctio. v
Philosophiae D. Thomae conditiones atque excellentiae. Philosophia D. Thomae iure merito appellatur christiana xvi
Philosophiae D. Thomae quaenam sit veritas fundamentalis . . xxvi
Totius operis scopus et divisio atque dedicatio. — Operis divisio in quinque libros. — I. De reali substantiae et *esse* compositione in omnibus quae sub Primo Ente sunt. — II. De fundamento primae divisionis entis realis in Ens per essentiam et in ens per participationem. — III. De Ente per essentiam, quod est Deus. — IV. De ente per participationem, quod est creatura. — V. De ipsa veritate fundamentali Philosophiae Christianae relate ad sacram Doctrinam xl

LIBER PRIMUS

De reali compositione substantiae et esse in omnibus quae sub primo ente sunt.

Prologus. — Veritas dilucidanda. — Quaestionis difficultas. — Quaestionis momentum. — S. Thomas suiipsius interpres . . 3

CAPUT PRIMUM

Notiones praeviae ad sensum quaestionis definiendum.

Essentia. — Ens. — Esse, actus essentiae, a quo omnia denominantur entia 7
Relationes inter essentiam, suppositum et *esse* 11

Essentia et suppositum aliter se habent ad *esse* in Divinis et aliter in creatis 14
Quomodo omnia dicantur ens, quomodo omnia addant supra ens, atque inveniantur in rerum naturis diversi modi entium . 16
Compositio ex *esse* et quod est 18

CAPUT SECUNDUM

Aperta D. Thomae mens atque sententia circa realem esse et essentiae in omnibus rebus creatis distinctionem.

Testimonia in quibus D. Thomas tradit realem hanc compositionem. — Argumenta ex *II. C. Gentes*, cap. 52. illam quoque evidenter ostendunt. 23

CAPUT TERTIUM

Argumentum primum. — In rebus creatis non est idem esse et quod est, quoniam aliter omnia essent unum.

Argumentum D. Thomae. — Argumentum in forma : Illud, cuius *esse* non distinguitur realiter ab ipsius essentia substantiali, est suum *esse* subsistens. — Illud autem, quod est suum *esse* subsistens, non potest esse nisi unum tantum. — Si ergo in rebus, quae sunt praeter Deum, est idem *esse* et quod est, omnia sunt unum 29

CAPUT QUARTUM

Argumentum secundum. — In omnibus rebus creatis non est idem esse et id quod est; aliter natura entitatis non inveniretur in quibusdam rebus magis nobilis, et in quibusdam minus.

Argumentum D. Thomae. — Argumentum in forma : *Esse* sive natura entitatis invenitur in omnibus rebus quae sunt. — Sed si ipsarum rerum naturae sunt hoc ipsum *esse* quod habent, natura entitatis non inveniri potest in quibusdam rebus magis nobilis, et in quibusdam minus. — Ergo si in rebus creatis non differt *esse* et quod est, omnia unum, omnia Deus, cuius natura est *esse* subsistens 33

CAPUT QUINTUM

Argumentum tertium. — In omnibus rebus creatis non est idem esse et quod est; aliter omne quod est, esset secundum essentiam infinitum.

Argumentum D. Thomae. — Argumentum in forma. — Huius argumenti explanatio : Impossibile est, quod sit duplex *esse* omnino infinitum. — Sed omne illud, in quo est idem *esse* et quod est, oportet ut sit omnino secundum suam essentiam infinitum. — Aut ergo in omnibus rebus creatis differt *esse* rei et eius essentia, aut omne quod est erit simpliciter infinitum 38

CAPUT SEXTUM

Argumentum quartum.
In omnibus rebus creatis differt esse et id quod est; alioquin nulla res haberet esse causatum sive factum.

Argumentum D. Thomae. — Argumentum in forma. — Huius argumenti explanatio : De ratione causati est, quod in eo aliud sit *esse* et aliud essentia eius sive subiectum essendi. — Sed ubi non differt *esse* et id quod est, ibi non est aliud *esse* et aliud essentia sive subiectum essendi. — Ergo aut in omnibus rebus creatis differt *esse* et id quod est, aut nulla res est creatura 41

CAPUT SEPTIMUM

Argumentum quintum. — In rebus creatis differt esse et quod est; alias omnes res necessario essent.

Argumentum D. Thomae. — Argumentum in forma. — Huius argumenti explanatio : Praedicata essentialia conveniunt rei per se, necessario, et non per aliud. — Esse autem non est praedicatum essentiale ullius creatae substantiae. — Aut ergo in rebus creatis differt *esse* et substantia earum, aut omnes creaturae necessario sunt 44

CAPUT OCTAVUM

Argumentum sextum. — In omnibus rebus creatis differt esse et quod est; alias omnes creaturae haberent modum essendi qui est proprius primi agentis.

Argumentum D. Thomae. — Argumentum in forma. — Huius argumenti explanatio : Soli Deo, primo agenti, competit perfectissimus modus essendi. — Perfectissimus autem essendi modus est, quod id quod est sit ipse actus essendi. — Aut ergo in rebus creatis differt *esse* et id quod est, aut res creatae habent modum essendi proprium primi agentis . . . 47

CAPUT NONUM

Argumentum septimum. — In omnibus rebus creatis differt esse et id quod est; aliter substantia rerum creatarum erit substantia vel natura Dei.

Argumentum D. Thomae. — Argumentum in forma. — Huius argumenti explanatio : Ipsum *esse* competit Deo, primo agenti, secundum propriam naturam; est ipsa Dei substantia. — Quod autem competit Deo secundum propriam naturam suam, non competit aliis nisi per modum participationis. — Ergo in omnibus aliis a Deo, primo agente, *esse* non est substantia nec pars substantiae 50

CAPUT DECIMUM

Argumentum octavum. — In omnibus rebus creatis differt essentia et esse; aliter res creata concipi nequiret sine actu essendi.

Argumentum D. Thomae. — Argumentum in forma. — Omnis enim natura vel essentia rerum creatarum potest intelligi absque actu essendi. — Natura autem vel essentia Dei nullo modo sine actu essendi intelligi potest. — Actus ergo sive *esse* est ipsa Dei essentia, et non est essentia nec pars essentiae in rebus creatis 55

CAPUT UNDECIMUM

Argumentum nonum. — In omnibus rebus creatis differt esse et essentia; quia res, cuius essentia sit suum esse, non potest esse nisi una et prima.

Argumentum D. Thomae. — Argumentum in forma. — Argumenti explanatio : Natura cuius substantia est *esse* subsistens, non potest multiplicari. — Natura igitur, quae identificatur cum suo essendi actu, non potest esse nisi una numero. . . 50

CAPUT DUODECIMUM

Argumentum decimum. — In omnibus rebus creatis differt essentia rei et esse eius; quia essentia se habet tamquam materiale in rebus, et ipsum esse participatum tamquam formale.

Argumentum D. Thomae. — Argumentum in forma. — Argumenti explanatio : Illud quod se habet in rebus creatis tamquam aliquid materiale vel ad modum materiae, et illud quod se habet tamquam formale, ad invicem realiter distinguuntur. — In omnibus autem rebus creatis essentia completa in ratione essentiae se habet tamquam aliquid materiale, et *esse* tamquam formale. — Patet ergo, quod etiam in angelis reperiuntur duo realiter distincta, nempe : forma sive substantia, et *esse*. 62

CAPUT DECIMUM TERTIUM

Argumentum undecimum. — In omnibus rebus creatis differt essentia et esse; quia omne ens creatum constat actu et potentia in linea entis.

Argumentum D. Thomae. — Argumentum in forma. — Argumenti explanatio : Solus Deus est actus purus. — Omne autem ens creatum constat actu et potentia in ipsa ratione entis constitutiva. — In omnibus igitur praeter Deum differt essentia rei et *esse* eius : quae sunt prima potentia et primus actus in ipsa entis constitutione 67

CAPUT DECIMUM QUARTUM

Esse subsistens et omnia alia entia quae sub Ipso sunt. Totius primi libri recapitulatio.

LIBER SECUNDUS

De prima divisione entis realis subsistentis in ens per essentiam et ens per participationem.

Prologus. — Ens praedicatur de omnibus. — Non tamen univoce, sed analogice. — Nec ideo ens est prius utroque, Deo sc. et creatura. — Illud autem quod primo intellectus noster concipit quasi notissimum et in quo omnes conceptiones resolvit, non est ens divinum. — *Esse* inhaerens et *esse* subsistens. 86

CAPUT PRIMUM

Declarantur diversi termini, sub quibus traditur prima divisio entis realis.

Ens reale dividitur in ens a se et ens ab alio 87
Ens necessarium et ens contingens. 89
Ens per essentiam et ens per participationem 90
Ens quod est actus purus, et ens quod constat actu et potentia . 92
Ens infinitum et ens finitum. 95
Ens increatum et ens creatum 97

CAPUT SECUNDUM

Fundamentum philosophicum, cui prima divisio entis realis innititur, ex hoc habetur, quod solus Deus est suum esse, in omnibus autem aliis differt essentia rei et esse eius.

Patet : 1° Ex termino quinque viarum quae I. q. 2. a. 3. declarantur. — 2° Ex modo quo *esse* convenit enti per essentiam et enti per participationem. — 3° Ex unibilitate seu adunatione

diversorum *esse* in ente per participationem. — 4° Ex entis per participationem multiplicitate, diversitate, finitudine, producibilitate. — 5° Ex eo quod in omni ente per participationem *esse* est praedicatum extra conceptum omnium praedicatorum essentialium 103

CAPUT TERTIUM

Absque reali compositione essentiae et esse nullum datur ens contingens ; nec finitum ; nec causatum ; nec per participationem ; nec compositum. 115

CAPUT QUARTUM

Divisio entis per participationem in decem genera seu praedicamenta fundatur supra realem compositionem esse et essentiae.

Patet : 1° Ex conditionibus requisitis, ut aliquid ponatur in praedicamento. — 2° Ex indivisione entis infiniti. — 3° Ex eo quod Deus non est in genere. — 4° Ex convenientia simul ac differentia eorum quae sunt in genere. — 5° Ex modo quo se habent ad invicem entia quae sunt in genere. — 6° Ex eo quod actus et potentia dividunt ens et quodlibet genus entis. — 7° Ex hoc ipso quod ens contrahitur ad inferiora, de quibus praedicatur, non per differentias logicas, sed per modos exprimendi realitates et essentias rerum. 118

CAPUT QUINTUM

Divisio entis per participationem in diversa genera non sumitur ab esse, sed ab essentia.

Argumenta quibus probatur. — Observationes D. Thomae, Caietani et Bañez. — Observatio circa ens per modum nominis et per modum participii 123

CAPUT SEXTUM

Ex reali compositione esse et essentiae declaratur atque elucescit vera notio substantiae, et accidentis, et individui, et suppositi ad quod, proprie loquendo, pertinet habere « esse ».

Ens per participationem dividitur in substantiam et accidens. . 130
Vera notio substantiae 132
Vera notio accidentis 134
Vera notio individui 138
Vera notio suppositi 140

CAPUT SEPTIMUM

Ex reali compositione esse et essentiae in rebus creatis optime declaratur vera sententia verusque sensus circa naturas universales quae respondent vocibus et conceptibus nostri intellectus.

Praenotanda 143
Elementum autem reale in naturis universalibus nec facile capitur nec convenienter declaratur, nisi praesupposita reali compositione *esse* et essentiae in rebus creatis 146
Essentias rerum esse immutabiles, necessarias, indivisibiles et aeternas non explicatur in vero sensu, nisi praesupposita reali compositione *esse* et essentiae in rebus creatis. 149

CAPUT OCTAVUM

Argumenta quibus Suarez conatur ostendere nullam dari realem compositionem inter essentiam et existentiam in rebus creatis; immo, talem compositionem seu realem distinctionem esse superfluam ac plane impossibilem.

Praenotanda 152
Argumentum primum atque eius solutio 153
Argumentum secundum atque eiusdem solutio 157
Argumentum tertium ac eius solutio 160

CAPUT NONUM

Quomodo Suarez ostendat notas quibus Deus differt a creatis, et creaturae discernuntur a Deo.

Prima nota : Omne ens creatum includit aliquam compositionem 165
Doctrina Suarezii. — Doctrina D. Thomae. — Absque reali compositione *esse* et essentiae nulla dari potest realis compositio ex natura et supposito, nec ex subiecto et accidente ; nec rationis cum fundamento in re. 166
Secunda nota : Omne ens creatum est finitum seu limitatum in sua entitate 169
Doctrina Suarezii. — Doctrina D. Thomae. — Thesis 1. Absque reali compositione *esse* et essentiae nullum ens potest esse finitum in sua propria entitate, nec inveniri possunt limites in essendo. — Thesis 2. Ad limitationem entitatis non sufficit habere *esse* acceptum ab alio ; sed requiritur, praeterea, quod huiusmodi *esse* sit receptum in alio tamquam in subiecto . . 170
Tertia nota : Omne ens creatum est ens per participationem . 172
Doctrina Suarezii. — Doctrina D. Thomae. — Thesis 1. Absque reali compositione essentiae et *esse* nullum dari potest ens per participationem. — Thesis 2. Notio subsistentiae a Suarezio tradita videtur esse a veritate aliena ; ac reicienda prorsus est . 173
Quarta nota : Omne ens creatum est necessario dependens a causa prima 177
Doctrina Suarezii. — Doctrina D. Thomae. — Thesis 1. Prima ratio distinguens ens creatum ab increato nequit esse ipsa dependentia entis creati ab increato. — Thesis 2. Necessaria est in creaturis realis compositio ex *esse* et essentia ad reddendam primam rationem omnium rationum, quibus distinguitur ens creatum ab Ente Increato 178

CAPUT DECIMUM

Critica totius Disputationis Metaphysicae XXXI. Suarezii atque observationes generales circa omnes philosophos negantes realem compositionem esse et essentiae in creatis.

Suarez nihil valet concludere contra realem compositionem *esse* et essentiae in rebus creatis, atque per totam suam Disp. XXXI. in aequivoco laborat 180

Suarez non quaerit de reali distinctione *esse* et essentiae vel de utriusque identitate, ut oportebat quaerere 185
Suarez videtur admittere in composito tot *esse* quot entitates realiter distinctae reperiuntur 188

CAPUT UNDECIMUM

Metaphysica D. Thomae et Disputationes Metaphysicae Suarezii.

Suarez recedit a doctrina D. Thomae : *a)* Circa ipsa Metaphysicae fundamenta. — *b)* Circa notionem entis. — *c)* Circa notiones ontologicas *esse*, et essentiae, et subsistentiae, et substantiae, et huiusmodi. — *d)* Circa notionem materiae primae. — *e)* In quaestione de existentia Dei demonstranda. — *f)* Circa notionem infiniti et finiti. — *g)* In quaestione de veritate creationis demonstranda. — *h)* Circa principium individuationis in substantiis corporeis. — *i)* Circa influxum Causae Primae in causas secundas. — Ergo Suarez in suis Disputationibus metaphysicis non ambulat per vias D. Thomae 205

CAPUT DUODECIMUM

Epilogus.

Prima divisio entis realis est in ens cuius substantia est Esse, et in ens cuius substantia est potentia essendi. — *Esse* proinde est de conceptu essentiali entis per essentiam ; non autem de conceptu essentiali entis per participationem. — In omni ergo ente per participationem est compositio substantiae et *esse*, tamquam ex potentia et actu 210

LIBER TERTIUS

De ente per essentiam, quod est Deus.

Prologus — Quonam sensu dicitur Deus per essentiam. — Nec infinitas nec intellectio sunt rationes supremae, quae praedicantur de Deo. — Ratio suprema, quae praedicatur de Deo, est ratio Esse subsistentis 215

CAPUT PRIMUM

Deum esse quinque viis probari potest.

Prima via. — Argumentum D. Thomae. — Huius argumenti declaratio 217
Secunda via. — Argumentum D. Thomae. — Huius argumenti declaratio 221
Tertia via. — Argumentum D. Thomae. — Huius argumenti declaratio 224
Quarta via. — Argumentum D. Thomae. — Argumenti declaratio 227
Quinta via. — Argumentum D. Thomae. — Argumenti declaratio 232

CAPUT SECUNDUM

Hoc quod est Esse, est substantia vel natura Dei.

Summitas quinque viarum 236
De ratione Primi Moventis est identitas essentiae et *esse* . . . 240
De ratione Primae Causae efficientis est identitas essentiae et *esse* 242
De ratione Primi Necessarii est identitas essentiae et *esse* . . . 245
De ratione Primi Entis est identitas essentiae et *esse* 248
De ratione Primi Intelligentis est identitas essentiae et *esse* . . 250

CAPUT TERTIUM

Ex identitate essentiae et esse in Deo assumit D. Thomas praecipua argumenta ad divinas perfectiones demonstrandas.

Deus est omnino simplex. (I. q. 3.) 255
Deus est universaliter perfectus; in Deo sunt perfectiones omnium rerum; et nihil de perfectione essendi potest ei deesse. (I. q. 4.) 259
Solus Deus est bonus per suam essentiam. (I. q. 6.) 262
Solus Deus est simpliciter infinitus ac perfectus secundum suam essentiam. (I. q. 7.). 265
Deus est omnino immutabilis; atque aeternitas vere et proprie in solo Deo est, ita quod ipse sit sua aeternitas. (I. q. 9. et q. 10.) 268
Deus est unus et maxime unus. (q. 11.) 272
Deus est : 1° in summo cognitionis; 2° in summo gradu vitae; 3° in summo libertatis; 4° in summo potentiae seu virtutis; 5° in summo beatitudinis 276

CAPUT QUARTUM

Ex identitate essentiae et esse in Deo procedit D. Thomas ad veritatem creationis demonstrative probandam.

Argumenta D. Thomae 284
Argumentorum explicatio 285
Processus quo D. Thomas pervenit ad demonstrationem Creationis 286

CAPUT QUINTUM

Identitas essentiae et existentiae in Deo claudit rationem demonstrativam omnium divinorum attributorum.

Esse Subsistens est ratio propria Divinitatis 290
Ex hoc, quod Essentia Dei est ipsum Esse Subsistens, excedit proportionem omnis intellectus creati 293
Esse est nomen proprium Dei 296

LIBER QUARTUS

De Ente per participationem, quod est creatura.

Prologus. — Ens nominaliter et per modum participii. — Quomodo ens ita sumptum dicatur de rebus. — Compositio ex substantia et *esse* est compositio participantis et participati in ipsa linea entis. — Via quarta ad probandam existentiam Dei fundatur supra compositionem participantium *esse* et ipsius *esse* participati. — Ascensus per viam quartam perducit ad Deum sicut ad Primum exemplare simul ac effectivum et finale omnium entium. — Compositio itaque substantiae et *esse* in rebus creatis constituit gradus fundamentales qui in rebus inveniuntur, ex quibus quarta via sumitur. — Resolutio ergo facta in omnibus quae sub Primo Ente sunt, in haec duo, nempe id quod est et *esse*, declarat a radice viam quartam ad Dei existentiam demonstrandam 305

CAPUT PRIMUM

Per easdem vias, quibus Deum esse probari potest, necessario pervenitur ad realem compositionem substantiae et esse in omnibus, praeter unum quod est Deus.

Prima via 311
Secunda via. 319
Tertia via 322
Quarta via 327
Quinta via 330

CAPUT SECUNDUM

Demonstratio vere philosophica processionis omnium rerum a Deo per creationem praesupponit, tamquam lapidem angularem supra quem firmiter ac bene fundatur, identitatem substantiae et esse in Deo, atque realem utriusque compositionem in omnibus quae sunt praeter Deum.

Permagnum huius quaestionis momentum 338
Ad veritatem creationis philosophice demonstrandam nonnisi per quinque vias, quibus Deum esse demonstrative probari potest, datum est ascendere 344
Tenendum est firmiter, quod Deus potest facere aliquid ex nihilo et facit, atque ex nihilo produxit res in *esse* 349
Ex termino quinque viarum, quibus Deum esse probari potest, demonstrative probatur Deum esse Creatorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium 353
Omnia argumenta, quae pro veritate creationis militant, reducuntur ad haec duo excelsa et firma principia, quorum unum necessario sequitur ex altero, sc. : *Solus Deus est suum esse; in omnibus autem aliis differt essentia rei et esse eius* . . . 355
In omnibus ergo aliis, quae sub Primo Ente sunt, oportet communem quandam resolutionem fieri in *id quod est* et in suum *esse* 359
Dantur ergo in omni re creata saltem duo principia realia, ex quibus omnis res subsistens constituitur tamquam ex actu et potentia in linea entis sive in ordine essendi 364

CAPUT TERTIUM

Absque reali compositione esse et essentiae in creaturis non darentur diversi perfectionis gradus in essendo in rerum natura, sed omnia essent unum.

Gradus in essendo perfectius et minus perfecte non dantur nisi propter diversam participationem ipsius *esse*, quod diversimode participatur iuxta diversitatem formarum seu naturarum in quibus recipitur 370
Absque reali compositione substantiae et *esse* non daretur compositio subiecti et accidentis in substantiis creatis 375
Absque reali compositione essentiae et *esse* in rebus creatis non daretur differentia unius substantiae secundum *esse* ab illis substantiis cum quibus convenit in ratione suae quidditatis . 378
Absque reali *esse* et essentiae compositione non daretur differentia unius rei creatae ab alia secundum substantiam vel naturam . 382

CAPUT QUARTUM

Ex reali compositione essentiae et esse in rebus creatis procedit D. Thomas ad ostendendum, quod nec in angelo nec in aliqua creatura actio et virtus vel potentia operativa sunt idem quod sua essentia nec idem quod suum esse.

Impossibile est, quod actio angeli vel cuiuscumque alterius creaturae sit eius substantia 387
Neque actio angeli neque actio alicuius creaturae est eius *esse* . 391
Nec in angelo nec in aliqua creatura virtus vel potentia operativa est idem quod sua essentia 395
Ordo essendi et ordo operandi 400

CAPUT QUINTUM

Ex reali compositione esse et essentiae in omnibus rebus creatis procedit D. Thomas ad ostendendam necessitatem quam cunctae res Universi habent ut conserventur in esse a Deo.

Argumenta D. Thomae 404
Argumentorum declaratio 406
Esse rerum creatarum non habet radicem in ipsis rerum naturis 410

CAPUT SEXTUM

Tota etiam controversia de influxu Causae Primae in omnes causas secundas venit postremo resolvenda, iuxta D. Thomam, in hanc veritatem fundamentalem : « Solus Deus est suum esse ; in omnibus autem aliis differt essentia rei et esse eius ».

Solus Deus est causa per se primo omnium entium in quantum entia 416
Nulla causa secunda, quantumvis perfecta, dat *esse* nisi in quantum agit in virtute Causae Primae 420
Deus est causa operandi omnibus operantibus ; et idem effectus est a Deo et a natura agente ; et totus ab utroque, secundum alium tamen modum 423
Sicut ex hoc, quod omnia entia componuntur ex potentia et actu in linea essendi, indigent causari a Deo, Primo Ente, ut sint : ita ex reali compositione potentiae et actus in linea operandi omnes causae secundae indigent physice praemoveri a Deo, Prima Causa, ut operentur 427
Ratio prima fundamentalis : *Quia solus Deus est suum esse, et in Deo essentia et esse identificantur.* — Ratio secunda fundamentalis : *Quia in omnibus aliis, praeter Deum, differt essentia rei et esse eius* 430
Quid sit physica praemotio 435

CAPUT SEPTIMUM

Ex reali compositione formae et esse, tamquam ex prima potentia et primo actu, procedit D. Thomas ad demonstrative probandum, quod omnes formae subsistentes, ut angelus et anima rationalis, sunt incorruptibiles sive entia necessaria in essendo.

Argumenta D. Thomae 439
Relationes inter *esse* et formam, iuxta D. Thomam 442
Quonam sensu verum sit, quod in rebus creatis : 1° Esse per se convenit formae ; 2° Esse per se consequitur formam . . . 449
Entia contingentia et necessaria in essendo 457

CAPUT OCTAVUM

Ex identitate esse et essentiae in Deo ac reali utriusque compositione in omnibus aliis quae sunt praeter Deum, oriuntur et manifestantur profunditas simul atque unitas harmonica quae splendide fulgent in doctrina philosophica D. Thomae.

Ordo ontologicus rerum 467
Ordo et gradus in intelligendo 479
Quomodo omnia, appetendo bonum, tendunt in Deum, primum rerum omnium immobilem motorem, cuius natura est ipsa essentia bonitatis 483

LIBER QUINTUS

De veritate fundamentali Philosophiae Christianae relate ad Sacram Doctrinam.

Prologus. — Mysteria fidei catholicae nequeunt demonstrari. — Qui probare nituntur naturali ratione fidei mysteria, fidei dupliciter derogant. — In Sacra tamen Doctrina philosophia possumus tripliciter uti. — Verumtamen utentes philosophia in Sacra Scriptura possunt dupliciter errare. — Usus autem philosophiae est magni momenti in theologia quae pertinet ad Sacram Doctrinam. — Materia in hoc libro tractanda atque eiusdem divisio 493

CAPUT PRIMUM

Quomodo de Deo, qui est actus purissimus ac simplicissimus, cum veritate loquamur, affirmando vel negando vel etiam distinguendo.

Quomodo Deus a nobis cognoscatur 499
Quomodo Deus a nobis nominetur 502
In Deo sunt plura attributa et pluralitas rationum quibus attributa differunt 504
Qualiter formentur de Deo propositiones 507
Quod ergo negatur de Deo sub uno conceptu, affirmari poterit de ipso sub alio ; et quod dictum de Deo sub una ratione est verissimum, dictum de eo sub altera esse potest erroneum, immo absurdum. — Exempla 511

CAPUT SECUNDUM

Quomodo ex identitate esse et essentiae in Deo ac reali utriusque compositione in omnibus aliis procedat D. Thomas ad declarandum dogma seu mysterium Sanctissimae Trinitatis.

De Divinis Processionibus 516
De Divinis Relationibus 522
De Divinis Personis 526
Per viam D. Thomae convenienter declaratur altissimum Sanctissimae Trinitatis mysterium; ac difficultates, quas humana ratio ex suis conceptibus discurrendo videtur opponere, per ipsosmet proprios humanae rationis conceptus rationabili discursu solvuntur 529
Qui negant realem compositionem *esse* et essentiae in rebus creatis, coguntur multiplicare *esse* in Divinis, et *relativum* videntur mutare in *absolutum*. — D. Thomas et Suarez. . . 537

CAPUT TERTIUM

Quomodo ex identitate esse et essentiae in Deo atque ex reali utriusque compositione in omnibus aliis procedat D. Thomas ad declarandum unionem hypostaticam in altissimo Incarnationis mysterio.

Expositio mysterii Incarnationis secundum doctrinam Ecclesiae . 546
Quomodo explicatur hypostatica unio humanae et divinae naturae in persona Verbi Incarnati iuxta principia philosophico-theologica a D. Thoma tradita. — Quid sit hypostasis seu persona, et quomodo se habeat ad essentiam et ad *esse* in creatis. — Humana natura in Christo non existit per se, sed existit in persona Verbi Dei. — Modus quo Deus est in Christo per unionem 556
Quomodo explicetur unio hypostatica humanae ac divinae naturae in persona Verbi Incarnati iuxta principia philosophico-theologica a Scoto et a Suarezio tradita. — Negata reali compositione essentiae et *esse* in creatis, oportet unionem hypostaticam explicare aliter quam D. Thomas declarat. — Via Scoti. — Via Suarezii 563
Omnes sententiae quae humanitati Christi tribuunt « proprium

esse », id statuunt cum quo hypostatica unio nequit omnino componi. — Tres sententiae antiquorum theologorum ad hypostaticam unionem declarandam. — Sententia Scoti non satisfacit. — Sententia Suarezii non satisfacit 569
Per solam ergo sententiam S. Thomae optime declaratur unio facta Dei et hominis, non secundum essentiam vel naturam, neque etiam secundum accidens, sed medio modo, secundum subsistentiam seu hypostasim. 571

CAPUT QUARTUM

Quomodo ex identitate esse et essentiae in Deo atque ex reali utriusque compositione in creatis procedat D. Thomas ad declarandum sanctissimum Eucharistiae mysterium.

Expositio huius Mysterii iuxta doctrinam fidei 575
Possibile est totam substantiam panis converti in totam substantiam Corporis Christi, et totam substantiam vini in totam substantiam Sanguinis Christi. — Argumenta D. Thomae. — Argumentorum declaratio. 578
Virtute divina fieri potest, ut accidentia panis et vini remaneant sine subiecto, facta consecratione, in Sacramento Eucharistiae. 585

CAPUT QUINTUM

Quomodo ex identitate esse et essentiae in Deo atque ex reali utriusque compositione in creaturis procedat D. Thomas ad manifestandum, quod nullus intellectus creatus ex suis naturalibus sufficiens est videre essentiam Dei, et tamen ex supernaturali elevatione gratiae auxilio Deum potest videre per essentiam, sicuti est.

Ordo supernaturalis 581
Impossibile est, quod aliquis intellectus creatus per sua naturalia essentiam Dei videat. — Argumenta D. Thomae. — Argumentorum declaratio 596
Ex supernaturali elevatione per gratiam intellectus creatus potest videre Deum per essentiam, facie ad faciem, sicuti est. — Argumenta D. Thomae. — Argumentorum declaratio. — Processus argumentationis 609

Quonam sensu sit verum dicere, quod homini inest naturale desiderium videndi Deum per essentiam. — D. Thomas expresse in terminis docet non inesse homini nec ulli creaturae rationali naturale desiderium videndi essentiam Dei. — D. Thomas loquitur de naturali desiderio videndi essentiam Dei, non quatenus sit naturale ex vi solius naturae, nec ex sola cognitione effectuum naturalium, sed quatenus est proveniens ex vi elevationis naturae rationalis ad ordinem supernaturalem. . 618

Doctrina Scoti de univocatione entis Deo et creaturis et de naturali desiderio videndi Deum per essentiam ex vi solius naturae creaturae intellectualis, videtur tollere radicalem differentiam inter ordinem naturalem et ordinem supernaturalem . 623

Unio hypostatica in Mysterio Incarnationis et unio beata in visione Divinae Essentiae. — Comparatio utriusque ad unionem animae rationalis cum corpore. — Comparatio unionis hypostaticae et unionis beatificantis ad invicem. — Simpliciter ergo atque absolute loquendo, intellectus est altior potentia quam voluntas ; atque in patria, visione divinae essentiae, omni ex parte nobilior ac undequaque eminentior. — Reditio nostra in Primum Principium 639

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Friburgi Helvetiorum. — Ex Typis Consociationis Sancti Pauli.

Date Due

APR 13
MAY 13
JUN 13
SEP 29
MAR 10
10-27
3/17

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY